

Series II. - «АНАЛЕКСТА ОСВМ» - Sectio III.
Серія II. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Секція III.

EPISTOLAE

JOSEPHI VELAMIN RUTSKYJ

METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI

(1613 - 1637)

COLLEGÈRUNT ADNOTATIONIBUS ILLUSTRARUNT ET INTRODUCTIONE AUXERUNT

R. P. THEODOSIUS T. HALUŚCYNKYJ - P. ATHANASIUS G. WELYKYJ
ORDINIS S. BASILII MAGNI

R O M A E 1956

PP. BASILIANI - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS EX.MI D. CONSTANTINI BOHACHEVSKY, AEP. TIT. BEROËN.
EIUSQUE EXARCHICI CONSILII (U. S. A.)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III.

Series II. - «ANALECTA OSBM» - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Серія II.

Sectio III.:

**DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE
CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA**

EPISTOLAE METROPOLITARUM, ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM

Vol. I.

**EPISTOLAE JOSEPHI VELAMIN RUTSKY
METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI**

(1613 - 1637)

**LIBERALITATE EXCEL.MI D. D. CONSTANTINI BOHACHEVSKY
EIUSQUE EXARCHICI CONSILII EDITUM**

R O M A E

Series II. - «ANALECTA OSBM» - Sectio III.
Серія II. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Секція III.

EPISTOLAE
JOSEPHI VELAMIN RUTSKYJ
METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI
(1613 - 1637)

COLLEGERUNT ADNOTATIONIBUS ILLUSTRARUNT ET INTRODUCTIONE AUXERUNT

R. P. THEODOSIUS T. HALUSCYNKYJ - P. ATHANASIUS G. WELYKYJ
ORDINIS S. BASILII MAGNI

R O M A E 1956
PP. BASILIANI - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS EX.MI D. CONSTANTINI BOHACHEVSKY, AEP. TIT. BEROËN.
EIUSQUE EXARCHICI CONSILII (U. S. A.)

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani St. Josaphat, die 20 . VII . 1956.

P. PAULUS P. MYSKIV OSBM
Protoarchimandrita

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 9 . X . 1956.

† ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep.pus Caesarien. Vicesgerens



Ex.mus et Ill.mus D.D. Constantinus BOHACHEVSKY S.T.D.
Archiep. tit. Beroënsis, Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus,
Exarcha Ap. Ucrainorum Catholicorum in U.S.A.

Ex.mus et Ill.mus D.D. Ambrosius SENYSHYN, O.S.B.M., D.D.
Ep. tit. Mainensis, Coadiutor, Syncellus (absens)

V. Rev. SCHMONDIUK Josephus, S.T.L.

V. Rev. BATZA Josephus, Ph. B.

R. ADAMIAK Leo

V. R. KORNYLJAK Plato, V. R. BABAK Nicolaus, M.A.

R. TRESZNEWSKY Alexander

V. R. GRESKO Demetrius

R. KLOS Basilius

R. HOLOWINSKY Basilius

CONCILII ADMINISTRATIVIUM DIOECESANUM
cum
DIOECESIS CANCELLARIO

EXCELLENTISSIMO . AC ILLUSTRISSIMO . DOMINO
DOMINO . CONSTANTINO . BOHACHEVSKY
ARCHIEPISCOPO . TIT. BEROENSI . SOLIO . PONTIFICIO . ADSISTENTI
COMITI . ROMANO
S. T. D.

EXARCHAE . APOSTOLICO . UCRAINORUM . CATHOLICORUM . PHILADELPHIENSI
STATUUM . FOEDERATORUM . AMERICAЕ . SEPTENTRIONALIS

EIUSQUE . COADIUTORI
EXCELLENTISSIMO . AC REVERENDISSIMO . DOMINO

DOMINO . AMBROSIO . SENYSHYN

EPISCOPO . TIT. MAINENSI . D. D. SYNCELLO . ORDINISQUE . BASILIANI . ALUMNO
EORUMQUE . IN DIOECESANA . ADMINISTRATIONE . CONSILIARIIS
REVERENDISSIMIS . DOMINIS

JOSEPHO SCHMONDIUK, S. T. D. . CONSULTORI

JOSEPHO BATZA, PH. B. . CONSULTORI

NICOLAO BABAK, E. A. . CONSULTORI

DEMETRIO GRESKO . CONSULTORI

BASILIO KLOS . CONSULTORI

LEONI ADAMIAK . CONSULTORI

BASILIO HOLOWINSKY . OECONOMO

ALEXANDRO TRESZNEWSKY . SECRETARIO

PLATONI KORNYLJAK, S. T. D. PH. D. . CANCELLARIO

BENEVOLIS . « DOCUMENTORUM ROMANORUM » . FAUTORIBUS
MUNIFICENTISSIMISQUE . HUIUS . VOLUMINIS
FUNDATORIBUS

SIT « MONUMENTUM AERE PERENNUS » . POSTERORUM . GRATA . MEMORIA

P R A E F A T I O

Tandem aliquando seriem novam aperiimus Documentorum Romanorum Ecclesiae Catholicae in terris Ucrainae et Bielarusjae, Epistolarum Metropolitarum Kioviensium Catholicorum. Unicuique historiae Ecclesiae Catholicae Ucrainae studioso patet momentum horum documentorum. Metropolita Kioviensis cardo Unionis Ecclesiae Catholicae Ucrainae cum S. Romana Ecclesia considerari potest. Vi Bullae Clementis VIII: « Decet Romanum Pontificem » (an. 1596) aliarumque Constitutionum Apostolicarum Metropolita Kioviensis tantummodo a Sede Apostolica confirmabatur, et sua ex parte professionem fidei catholicae nec non iuramentum obedientiae emittere simulque ad limina Apostolorum se sistere tenebatur. Metropolita Kioviensis vi huius specialis privilegii tenebatur etiam de rebus Unionis maioris momenti Apostolicam certiorem facere Sedem. Ex hac sua indole naturaliter Roman epistolis suis adire necessarium erat. Inde per duo fere saecula provenit illa epistolarum Metropolitarum Kioviensium in Archivis Romanis frequentia, quae maiora Ecclesiae Unitae momenta in terris Ucrainae illustrat. Hanc sequendo, simul historiam Ecclesiae in terris Ucrainae testimonis illustramus authenticis.

Remissis epistolis Metropolitae Hypatii Potij (1600-1613) ad eam seriem, quae de Unione Berestensi eiusque Auctoribus tractat, seriem nostrarum epistolarum inchoavimus epistolis Metropolitae Kioviensis Josephi Velamin Rutskyj (1613-1637), qui uti « Columna Ecclesiae » nostrae considerari potest. Editio haec epistolarum Josephi Rutskyj sat longam iam habet historiam. Iam inde ab initiis saeculi nostri res haec agitabatur. Metropolita nempe Haliciensis, Andreas Szeptyckyj (1900-1944), magna ductus erga hunc egregium praedecessorem suum veneratione, de eius memoria in populo ucraino renovanda cogitabat. Inde hominibus, qui eius iussu et expensis Documenta Romana Ecclesiae Catholicae in terris Ucrainae colligebant, epistolarum Metropolitae Josephi Rutskyj plenissimam collectionem iterum iterumque inculcabat. Revera, studio Sac. Cyrilli Korolevskyj collectio haec manu scripta iam anno 1937, Leopoli, in manibus inveniebatur Metropolitae Andreae absoluta. Hoc eodem anno sollemniter ter saecularis memoria obitus Josephi Rutskyj celebrabatur. Hac occasione programma elaboratum fuit editionis operum Josephi Rutskyj et maioris biographiae ad introducendam causam eius sanctitatis declarandae. Editio haec iam inde ab anno 1938 imminebat, primaque pars programmatis, biographia nempe, in appendice ad ephemeridem « Lvivski archieparchijalni vidomosti » in lucem per partes prodire cepit. Sed eventibus luctae universalis mox impedita in oblivionem abiit.

Anno 1948, editione « Analectorum OSBM » renovata, a PP. Basilianis programma elaboratum fuit editioni praesertim documentorum romanorum incumbendi. Ex hac nova collectione basiliana provenit nostra tum Documen-

torum Romanorum in genere tum etiam epistolarum Josephi Velamin Rutskyj praesens editio romana, quae nihil commune habet cum illa tam longe antea parata.

Sicuti s. m. Metropolitae Andreae Szeptycyj, ita etiam alio eximio Viro in Ecclesia nostra, Protoarchimandritae Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, R. P. Theodosio Tito Haluscynskyj, vita et opus Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj maximae erat venerationis et aestimationis, quod clare universaliterque ex articulis, discursibus nec non ex quotidianis apparuit colloquiis. Inde etiam P. Theodosius Haluscynskyj eius scripta et epistolas, occasione data, colligebat fideliterque transcribebat ex Archivis Romanis, et nobis, anno 1948 collectionem documentorum romanorum aggredientibus, benigne cessit completandam et perficiendam. Collectione epistolarum harum a nobis perfecta, quis alias editionem curare debuit et aptus fuit, si non ille eximius Josephi Velamini cultor familiaeque basilianae, a magno « Atlante Unionis » instauratae, ultimus supremus Superior? Sed mors praematura opus a P. Theodosio perficiendum impedivit (1952).

Omnibus proinde consideratis, nos ipsi opus hoc tandem aliquando ad felicem exitum deducere et falcam in messem ab aliis per longa decennia paratam immittere statuimus. Solummodo veritatis historicae causa nec non ut omnes imperfectiones in opere hoc perficiendo nostrae parvae experientiae adscribamus, nomen nostrum volumini huic adiunximus. Ignoscat nobis tum magnus « Russiae Athanasius », tum Andrea ille Szeptycius, tum demum dignus eorum assecla et cultor, p. m. Theodosius Haluscynskyj.

His dictis, unicuique etiam patet meritum Philadelphiensis in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus Exarchae, Praesulis Beroënsis, Constantini Bohachevsky, qui nostro « velle » addidit benevolum « posse ». Et sic, Deo benedicente et gratiam dante, opus hoc plurimorum conaminum anno decies saeculari ab Evangelio in terra Ucrainae introducto, ad maiorem Dei Optimi Maximi gloriam eiusque Servi, Josephi Velamin Rutskyj honorem in lucem prodit.

Romae, die 1 Octobris 1956.

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM

I N T R O D U C T I O

Ex defectu « Vitae Rutseii », olim a Metropolita Raphaele Korsak scriptae, aliorumque fontium scribere hic et nunc biographiam Josephi Velamin Rutskyj esset res nimis ardua et imperfecta. Proinde notas solummodo biographicas hic colligere nobis proposuimus, quibus testimonia saeculorum de eius vita et probitate adiecimus. Biographia Josephi Velamin Rutskyj adhuc scribenda manet. Nostra editio epistolarum huic biographiae scribendae multum conferre posse concii nobis sumus.

1. Notae biographicae Josephi Velamin Rutskyj

Joannes Velamin de Ruta Rutskyj natus est anno 1574, si anno 1623, ipso teste, annum agebat 49, et anno vitae 63, id est anno 1637, obiit.

Parentes habuit nobiles, ex genere Velaminorum, quorum nomina nobis non constant. Parentes eius, more temporum et locorum sectae calvinisticae nomen dederunt. Verosimiliter natus est in praedio Ruta dicto, quod in possessione familiae eius erat. Inde nomen : Rutskyj, more Nobilium sibi sumpsit. Non probatur eum originem moscoviticam habuisse, id est eam ex nota familia moscovita Velaminiorum duxisse. Familia eius iam longo tempore in Russia Alba vivebat.

Iuvenis annorum 17 circa, postquam Vilnae primaria exegit studia, Pragam Bohemorum adiit, ibique in studiis continuavit, ut videtur, in famosa Universitate Studiorum Carolina. Iam Vilnae, propter amicitiam cum PP. Societatis Jesu, inclinabat ad fidem catholicam, concionesque in ecclesia PP. Soc. Jesu libenter auscultabat, parentibus id aegre ferentibus. Pragae, etiamsi in societate vivebat husitica, tamen iterum PP. Societatis Jesu adhaesit, qui inibi vita et activitate tunc temporis floruerunt, et sub directione P. Krislak fidem catholicam cognovit Ecclesiaeque Catholicae nomen dedit in Ritu Latino. Pragae etiam aliud cognovit eximum Soc. Jesu membrum, P. Boksa, qui demum fuit etiam Provincialis Lithuaniae. Exemplo vitae et activitatis pastoralis et educative horum illustrium virorum ductus, et ipse nomen Societati Jesu dare intendebat, sed morbo quodam impeditus fuit, et suasus eorundem Patrum Herbipolim in Germania profectus est, ut in studiis inchoatis continuaret philosophiae.

Nostra opinione, agitur de annis 1591-1596 circa. Hoc etiam tempore pater eius vita functus est. Mater vero eius, quae sectae calvinisticae ex propria adhaerebat convictione, audita eius conversione ad fidem catholicam et propositis vitae religiosae, eum e studiis in patriam avocavit, sub poena dengandi omne subsidium ad studia prosequenda. Inde carni et sanguini renuntians

animae consulere statuit. Obtentis vero litteris commendatitiis a P. Boksa, Romam se contulit, ad studia theologiae in Collegio S. Athanasii Romae inchoanda, quod Collegium in directione erat PP. Soc. Jesu. Ut videtur, nec decisio matris nec propositum filii quidquam commune habuit eum Unione Berestensi Ruthenorum, quae tunc temporis cum S. Romana Ecclesia a tota fere Hierarchia Ruthena inita fuit (Romae - mense Decembri 1595; Berestae - mense Octobri 1596). Matri enim, ut sectae adhaerenti calvinistiae motus hic unionisticus extraneus fuit, filium vero, Ritui Latino adscriptum, immediate non tangebat. Romae tamen quaestio haec Ritus in toto suo momento Joanni decidenda proposita fuit.

Collegium Graecorum S. Athanasii, voluntate eiusdem Collegii Fundatoris, Gregorii PP. XIII, Alumnis destinatum fuit, qui Ritui Graeco adlaborandi iurabant, toto vitae ipsorum tempore. Invitus, consiliis initis cum Patribus Spiritualibus et P. Boksa, Joannes soritem suam eligendam in manus posuit Clementis PP. VIII. Hic Pontifex Unionis Berestensis, divino ductus Spiritu, Joannem Rutskyj Ritui Graeco adscripsit in eoque perpetuo permanendi iniunxit.

Studiis absolutis, Joannes anno 1603 in patriam, Vilnam rediit et coram Metropolita Kiovensis, Hypatio Potij, se sistit et ut sacerdos ordinaretur rogavit. Sed repulsam passus est. Intentionem eius probare Metropolitae, ut videtur, in proposito erat. De iuvene enim origine calvinista ad exterios profeeto, dein Ritui Latino adscripto, Romae longeque a patria educato, et Metropolitae minime noto res agebatur. Ob repulsam non animo fractus, imo roboratus, Joannes educationi se dedit iuventutis Vilnensis, quam propriis expensis abebat et vestiebat, cum universalis admiratione omnium (1604-1605).

Iam tunc temporis Joannes Rutskyj, iuvenis adhuc saecularis, de reformato Ritu Graeco cogitare caepit, quem in finem provinciam, ut videtur, erigere sibi proponebat Ordinis Carmelitanorum Discalceatorum Ritus Orientalis, adiutus ab aliis Nobilibus Lithuaniae, modoque speciali eiusdem Lithuaniae Magno Cancellario, Leone Sapieha. Hac de re tum ipse tum etiam Metropolita Potij cum supra aagebat Ordinis Carmelitanorum potestate, Superiore nempe Generali et eiusdem Ordinis Generali Capitulo (an. 1605), qui opportuna ediderunt decreta.

Anno 1605 Missionarius Carmelitanus in Persiam, P. Paulus Simon, iter per Moscoviam in Persiam faciens, Joannem Rutskyj secum comitem et ducem sumpsit. Iter moscoviticum Joannis Rutskyj a mense Novembri 1605 usque ad finem mensis Martii duravit. Quo absoluto, Joannes Rutskyj mense Aprili 1606 Romam venit, ut programma unionis Ecclesiarum, a se maxima ex parte elaboratum, Pontifici Romano praesentaret, reformato et roborando Ordinem Basilianorum. Roma in patriam reversus, mox mense Septembri an. 1607 ingressus est monasterium Vilnense Basilianorum, exemplo et suasu sancti monachi, Archiepiscopi et Martyris, S. Josaphat Kuncewycz permotus, sibique nomen assumpsit Josephi.

Die 1 Januarii 1608, professione monastica emissa, devenit eiusdem Archimandriae anima, spiritualis dux, et mox Superior et Archimandrita. Simul cum his officiis monasticis ipsi commissa fuit a Metropolita Kiovensi cura animarum per totam Lithuaniae et Russiam Albam potestate vicaria metropolitana exercenda. Anno tandem 1611 Metropolita Kiovensis Hypatius Potij

eum sibi in Coadiutorem in dignitate episcopali cum tit. Episcopi Haliciensis assumpsit. Mox tamen, an. 1613, Josephus Hypatio in Metropolita Kioviensi successit, obtenta confirmatione Pontificia Bullisque provisionis in Metropolia. Vi confirmationis Pontificiae ad limina apostolorum visitanda obligatus, Romam an. 1615, in autumno, profectus est, ibique usque ad tempus vernum an. 1616 permansit, gravi pressus morbo, simulque plura procurans Ecclesiae Unitae privilegia salutaria maximeque opportuna.

Viribus debilitatus in patriam reversus Archieparchiam suam et monasteria Religiosorum Basilianorum visitare cepit. Visitatione monasteriorum absoluta, Congregationem generalem Superiorum et Delegatorum monasteriorum convocavit in oppido Novhorodovyci, ubi instaurationi Ordinis Basiliani fundamenta iecit sub tit. Congregationis SS.mae Trinitatis. Novitiatus domo Bytenii instituta, convocatisque quibusdam PP. Societatis Jesu in adiutorium, vitam monasticam reformavit, quae mox maxime florere cepit. Metropoliae suae tempore sex congregavit Capitula Generalia Basilianorum (1617, 1621, 1623, 1626, 1629, 1636).

Anno 1620 in Synodo Eparchiali Decretum de clandestinitate matrimoniorum in sensu Decreti Conc. Tridentini promulgavit. Adhinc singulis annis etiam Comitiis Regni Generalibus interfuit strenueque Unionem Sanetam in supremis hisce regni subseliis defendere cepit.

Iam inde ab anno 1618 Cathedram suam Kioviensem recuperare studuit, Officiale suum mittendo et Officia divina ibidem monachis Basilianis committendo. Hie tamen conamen ob violentiam Cosaeorum omni caruit effectu.

Vitae solitariae anhelans nec non virium recuperandarum causa, anno 1623, annum 49 vitae agens, in soliditudinem cellae monasticae abire intendebat, regimen Metropoliae, potestate vicaria, Archiepiscopo Polocensi, Josaphat Kuncewycz, committendo. Sed martyrio pro Unione ecclesiastica proque Pontifice Romano a Josaphat Vitebsci suscepto, intentum hoc ad effectum deducere impossibile devenit. Caelesti patrocinio huius sancti martyris suffultus, Metropolita Josephus nova vi novoque vigore Unioni defendendae et dilatandae adlaborare cepit, nullo labore nulloque morbo corporis parcendo.

Anno 1624 prohibitionem transitus ad Ritum Latinum Ruthenorum, nec non confirmationem Ordinis Basilianni obtinuit. Polociae, Smolensei, Pinsei optimos instituit Praesules, Processum apostolicum de beatificatione Servi Dei Josaphat inchoavit (1625) et confecit (1628), Meletium Smotryckyj, Polemistam anticatholieum ad fidem catholicam convertit et ex Saulo Paulum effecit, sibique et Metropoliae Kioviensi Coadiutorem in persona Raphaëlis Korsak (1626) assumpsit.

Inde ab anno 1626 de Unione Universalis totius Russiae cum non Unitis Metropolita et Episcopis tractavit Patriarchatusque Kioviensis erectioni favebat et adlaborabat. Anno 1628 visitationem peregit Volhyniae et usque Kioviam profectus est, quam ingressus per duas fere hebdomadas illaesus ibidem permansit.

Eparchias suae Metropoliae visitando, Unionem Sanctam in Comitiis Regni defendendo, tandem difficillimi venerunt in eius vita anni 1632-1633, quando, Sigismundo III, Rege Poloniae, vita functo, tempore interregni non Uniti omnes moverunt machinas, ut Unionem Ecclesiae Ruthenae de medio tol-

lerent vel saltem summa iniuria debilitarent, minis Cosacorum ut arma usi. In mediis hostium fluctibus, a Catholicis derelictus, Josephus vere Defensor catholicitatis in Regno Poloniae considerari potest. Contra « puncta pacificationis » Metropolita Josephus sollemniter est protestatus et ad Sedem Apostolicam appellavit. Misso Raphaële Korsak, Episcopo Pinseensi, Romam, ipse ecclesiastis et monasteria Unitorum defendebat simulque tum Metropoliam Kiovensem tum Eparchiam Pinsensem, absente Episcopo, regebat.

Anno 1936, post Capitulum Generale Ordinis Basilianni, Vilnae celebrato, Josephus se contulit in Volhiniam, ut Episcopum Luceorensem non unitum ad Unionem Sanetam reduceret. Tempore hiberno provinciam Volhinae peragrans, in monasterio Dermanensi morbo diurno defatigatus, occubuit die 5 Februarii, anno 1637, confecto prius testamento spirituali, quo omnibus vale dixit Unionemque Sanctam commendavit.

Corpus eius e Derman Pinsem transvectum, ibique in ecclesia cathedrali ad interim depositum, dein Vilnam translatum in ecclesia SS. Trinitatis Vilnensi tumulatum fuit incorruptum, etiamsi longo itinere tempore verno vectum fuit.

Vilnae coprus Metropolitae remansit incorruptum usque ad annum 1655, quo anno, Vilna ab exercitu moscovitico occupata, corpus Josephi simul cum corpore Patriarchae Mosquensis Ignatii, ab ipso ad fidem catholiceam converso, in Moscoviam deportatum fuit. Abinde de eiusdem corporis ulteriore sorte silet historia.

Eius momentum in historia Ecclesiae unitae optime describitur tribus denominationibus, quas traditio in orem ponit Urbani PP. VIII, qui eum vocavit, ad Regem Poloniae scribens: « Atlas Unionis » — « Athanasius Russiae » — « Columna Ecclesiae ». Nostra ex parte hisce tribus denominationibus alias duas adiungere fas nobis esto: « Ritus Rutheni Defensor » et « Ordinis Basilianni Instaurator ». Omnia vero hoc uno nomine comprehenduntur: « Vir Sanctus ». Ne tamen nostra solummodo repetamus verba, testimonia plurius saeculorum hominumque, maxime contemporaneorum adducere nobis liceat.

2. Testimonia de vita et activitate Josephi V. Rutskyj

Praeter ea quae infra adduximus in *Documentis biographicis*, alia etiam adducere pergratum nobis est. Testimonia haec per annos fere CDL quasi uniformia unoque ore et corde eius veram depraedicant magnitudinem.

1606, 15. III. - MOSCOVIAE. P. PAULUS SIMON, O. CARM. DISC., MISSIONARIUS.

« Il Signor Giovanni Rusehi ha corso pericolo di restarsi in Moscua, desiderando molto il Padre Giesuita... Mi ha consolato in questo viaggio con le sue virtù e la bonissima natura, humile, modesto, obedientissimo; poenitente e sano; non dubito che piacerà V.R.a: la prego consolarlo con due Religioni, o per Russia, o per Moscovia, se per forte in Lithuania havesse tale impedimento che non potesse venire costa » (*Romae, ARCH. ORD. CARM. DISC., Plut. 235, segm. I: Missiones: Persia*).

1606, 17. IV. - VARSAVIA. METROP. HYPATIUS POTIJ AD PAULUM PP. V.

« Joannem Rudski, Nobilem Lithuanum, de nobis nostraque religione optime meritum ad Urben proficiscentem ob pia quaedam animi vota et desideria, literis meis Sanctitati Vestrae commendare non dubitavi: quippe dignus est, cui Sanctissima Sedes Apostolica paternum affectum exhiberet... » (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. I, vol. 512, fol. 17).

1606, 11. XI. - ROMA. CARD. SCIPIO BORGHESE AD NUNTIUM VARSAVIENSEM.

« Havrà V.S. minuta informatione di tutto ciò dal medesimo Rutski, il pensiero del quale commandò N. Signore che lei favorisca et aiuti con ogni vivo affetto, et con la Maestà del Re, et con li Vescovi del Regno li quali potranno giovar molto al negotio; et per stabilir questa unione et aiutare il concetto del Rutski si scriveranno Brevi al Re, ad alcuni Vescovi et ad altre persone secolari, et lei farà in conformità tutti gli offici necessari, a ciò che si veda qualche buon effetto a confusione di quelli, che procurano di impedirla » (ASV.. *Nunz. Poloniae*, vol. 173, fol. 142v-143).

1613. BRUXELLIS. THOMAS A JESU, OCD: THESAURUS SAPIENTIAE...

Scribens de mediis conversionis Schismaticorum in Graecia et Russia, adducit discursum Rutskyj ex anno 1606: « Placuit hic media alia a viris gravibus, et illorum gentium conversionis maximum zelum habentibus summo Pontifici Clementi VIII proposita in medium etiam producere... Primum autem medium a viro quadam gravissimo Rutheno excogitatum sequentibus verbis continetur: Duo potissimum... (Cfr. *infra*, sub nr. 2).

1614, 5. IV. - VARSAVIA. LAELIUS RUINI, NUNTIUS VARS., AD SC. BORGHESE.

« Della persona del Nominato ne ho buonissima informatione. E' di anni 40 in circa, di nascita nobile; ha studiato in Roma nel Collegio greco, et è buon Teologo, et urudito nella lingua greca. E quanto alla bontà di vita, è sempre stato di ottimi costumi, et di molta pietà. Et del suo patrimonio ha dato alla Chiesa; cosa molto rara in questi tempi. Et è zelantissimo di questa Unione, et la promuove con ogni suo potere. Et intendo che non è vi persona, che più di lui fosse atta a questa Metropolia. Ha la vista un poco corta; et questo dicono essere causato dal molto studio, et dall'austerità della vita, che ha menata, conforme alla greca disciplina » (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II., vol. 222, fol. 126).

1615, 12. VIII. VARSAVIA. FRANC. DIOTALLEVI, AD SCIP. BORGHESE.

Commendando Josephum in Urbem proficiscentem scribit: « Non ho potuto denegarlo alle molte qualità sue, che come ben conosciute da V. S. Ill.ma lascio in silentio... » (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 227, fol. 148).

1615, 13. VIII. VARSAVIA. REX SIGISMUNDUS III, AD PAULUM PP. V.

« ... Hunc itaque uti magnum virum et optimum Antistitem Sanctitati Vestrae commendatum esse cupio, cum ob iis quas recensui virtutibus, tum etiam ob negotia, quae in causa suae Ecclesiae apud S. Vestram promovenda sibi

instituit, in quibus non ille suos labores, non corporis et fortunarum in tam longinquu itinere dispendia ad spem aliquam commodorum suorum dirigit, sed illud potissimum spectat, ut cultus divini augmento consulere salutique populi sibi commissi inservire possit » (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. III, vol. 75, fol. 136).

1615, 23. XII. ROMA. PAULUS PP. V, AD REDEMPTIONEM POLONIAE, SIGISMUNDUM III.

« Periucundus Nobis fuit Venerabilis fratris Josephi Kiovensis Archiepiscopi Romam adventus, cum quod gregis tanto a Nobis intervallo disiuneti Episcopum praesentem videre, tum quod statum eius Ecclesiae coram cognoscere licuit, ac sicut huiusmodi Ecclesiae mala Nos afflixerunt, ita Pastoris virtutes, praecipue Unionis zelus laetitiae fuerunt, quod etsi testimonio Maiestatis Tuae antea credebamus, tamen aspectus ipse Nos maxime delectavit, Tuaeque Maiestatis laudes instaurandi, qui tales viros regendis Ecclesiis Nobis proponit, praebuit occasionem » (ASV, *Arm. 44, vol. 15, fol. 96v-97*).

1615, 23. XII. - ROMA. PAULUS PP. V., AD EPISCOPUM LUCEORIENSEM LAT.

« Gratissima fuit Nobis Venerabilis fratris Kiovensis Archiepiscopi praesentia, tum quod operari visa est redintegrationem quamdam vineuli unionis cum hac Sancta Apostolica Sede, tum ob singulares eius virtutes, quas coram agnoscere periucundum fuit... Reliquum est, ut eius unionis pium studium ipse etiam pro viribus complectaris... » (ASV, *Arm. 44, vol. 15, fol. 97v-98*).

1616, 11. VI. - ROMA. PAULUS PP. V., AD ARCHIEP. GNESNENSEM.

« Abunde notam esse Fraternitati Tuae existimamus pietatem et virtutem Venerabilis fratris Joseph Metropolitae Rutheni, et quanto catholicae religionis zelo studeat conservare unitatem nationis suae cum Sancta hac Apostolica Sede » (ASV, *Arm. 45, vol. 11, fol. 11r*).

1616, 11. VI - ROMA. PAULUS PP. V., AD EPISCOPUM VILNENSEM.

« Ad haec peculiari amore ipsum Metropolitam ob spectatam eius pietatem, prudentiam vitaeque integritatem ac laudabilem zelum, quo ministerium suum exerceat... » (ASV, *Arm. 45, vol. 11, fol. 119v*).

1619, 26. VIII. - VARSAVIA. FRANC. DIOTALLEVI AD SECRET. STATUS.

« ... Mons. Metropolita... egli è Prelato molto pio, e molto osservante verso S. Santità... (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 233, fol. 33).

1619, 8. XI. VARSAVIA. FRANC. DIOTALLEVI, AD SECRET. STATUS.

« Rappresento l'istanze di questo buon Prelato, alle quali aggiungerei ancora, se potessi, calore per la singolar osservanza verso S. Santità e V.S. Ill.ma, che scuopro in esso... » (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 233, fol. 33).

1622, 2. IV. - ROMA. GREGORIUS PP. XV, AD JOSEPHUM RUTSKYJ.

« Sed Nobis earum calamitatum cogitatione moerentibus solatium aliquod affert pietatis tuae constantia, animusque ille tuus lucis contemptor, qui se opesque omnes pro catholicae religionis dignitate devovit. Gaude, Venerabilis

Frater, tuo isto tam excellenti bono, fruere tam praeclaro divinae benevolentiae argumento, quae te dignum existimavit, qui contumeliam pro Jesu Christo patareris. Te enim quasi ducem nullis periculis deterritum in ea statione locavit, ubi perpetuae hostium insidiae praebeant fortitudini tuae materiam triumphorum. Pateris quidem iniuste, quae Schismatici contra salutem tuam quotidie moliuntur » (ASV, *Arm.* 45, *vol.* 20, *fol.* 38v).

1622. VARSAVIA. COSMAS TORRES, NUNT. APOST., IN RELATIONE.

« Praesens Metropolita magno cum zelo adlaboravit conversioni Schismatistarum, sed anno praeterito a Patriarcha Hierosolymitano res perturbatae fuerunt... Metropolita Kioviensis, homo plenus bonitatis, scientiae, prudentiae magno cum zelo et fructu adimplet obligationes sui officii... » (RYKACZEWSKI, *Relacye Nuncyuszow*, *vol.* II, *pag.* 154).

1623, 29. III. - ROMA. S. C. DE PROP. FIDE AD NUNTIUM VARSAVIENSEM.

« Con questa occasione torno a raccomandar a V. S. c'otesto Arcivescovo; perche mostrandosi in ogni cosa devotissimo et obedientissimo a questa S. Sede, merita che dalli Ministri di quella sia protetto, et aiutato in tutte l'occorrenze di suo servizio » (APF, *Litterae S. C.*, *vol.* 2, *fol.* 73).

1625, 7. VI. - ROMA. S. C. DE PROP. FIDE AD NUNTIUM VARSAVIENSEM.

« Per mantener l'Unione, primo: conviene d'honorar et aiutar il presente Metropolita, persona di tanto merito e valore » (APF, *Litterae*, *vol.* 4, *fol.* 71).

1628, 4. II. VARSAVIA. REX POLONIAE AD URBANUM PP. VIII.

De coadiutoria Kioviensi scribendo, de Coadiuto ita habet: « Virtuti vero eius quam in eo munere sancte ac sapienter longo vitae sua tempore obeundo integrum semper gessit, neutiquam favorem meum denegare vel possum vel debeam. Supplico pro eo S. V., ut eam ipsi gratiam suam in eo negotio impertiri velit, quae, me iudice, et aequo virtutis aestimatore, viro illi in Ecclesia Dei emerito, iuste iureque debetur, cum ei quippe muneri non dissimilem sui Praelatum proponendum velit » (APF, *Scritt. rif. nelle Congreg. Gen.*, *vol.* 69, *fol.* 491).

1628, 22. III. POLOCIAE. P. GENNADII CHMELNYCKYJ IN PROCESSU BEATIFICATIONIS S. JOSAPHAT.

« Huius Archimandritae Samuelis tempore ingressus est Religionem modernus Ill. mus Metropolita Josephus. Quare Servus Dei (Josaphat) iam theologum nactus socium, eumque vitae piissimae, maiores in cura animarum sumpsit vires » (ASV, *Arch. S. C. Rituum*, *vol.* 2287, *fol.* 59).

1628. P. IGNATIUS A S. JOANNE, OCD, IN ANNALIBUS PROV. POLONAE.

« Anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo Josephus Velamin Rutski, Metropolita Kioviensis Ritus Graeci, vir sanctus, ad reformatos in spiritu suos Religiosos Ordinis S. Basilii... supplicavit, ut Patri nostro Andreae a

Jesu haec provincia demandaretur » (*ARCH. GEN. CARM.*, Nr. 90a, *sub anno 1628*).

1629, 10. XI. - ROMA. P. NICOLAUS LANCICHIUS, S.J., IN PROCESSU BEATIFICATIONIS S. JOSAPHAT.

« Ad 4-um: Vidi illum et Monachum Vilnae (Josaphat) et post multos annos Varsaviae Archiepiscopum Polocensem, quo venerat ad Generalia Regni Comitia cum suo Metropolita, viro sancto, et aliquot aliis Episcopis seu Archiepiscopis ritus graeci » (ASV, *Arch. S. C. Rituum*, vol. 2289, n. n.).

1629, 10. XI. - ROMA. P. NICEPHORUS LOSOVSKYJ IN PROC. BEATIF. S. JOSAPHAT.

Ad secundum respondendo, causam scientiae adducit: « et hoc scio ab Ill.mo Metropolita, viro sancto et fide dignissimo » (ASV, *Arch. S. C. Rituum*, vol. 2289, n. n.).

1629. CRACOVIA. DIARIUM DOMUS PROFESSAE SOC. JESU CRACOVIEN.

« Cognoverunt et illud, Josephum Rucki, Metropolitam totius Russiae, peritissimum ac ferventissimum praedictae Unionis Promotorem... Leopolim contendere » (*SCRIPT. RERUM POLON.*, t. XVII: *Historici diarii domus professae S. J. ad S. Barbaram Cracoviae annos decem: 1620-1629*, pag. 334).

1632, 13. II. - ROMA. IN SESSIONE S.C. DE PROP. FIDE, OBITER.

« Denique Metropolita Russiae, qui Chioviae residere non potest ob Cosachos schismaticos, in Vlodomirensi Ecclesia manens, illi proficet magis, quam proprius Episcopus, cum inter Ruthenos Ecclesiasticos non sit facile reperire virum Metropolitae similem in doctrina, moribus, rerumque ecclesiasticarum peritia » (APF, *Acta*, vol. 8, fol. 20v, nr. 3).

1633, 29. XI. - VILNA. ARCHIEP. HIEREMIAS BARBARIGO AD EP. PINSCENSEM.

« ... et abbraccio V. S. Rev.ma di cuore la saluto, et l'avviso come con la benedizione di Nostro Signore doppo molti travagli, pericoli, dissaggi et patimenti arrivai in Vilna, città Metropolitana di Lituania, dove havendo trovato l'ILL.mo et Rev.mo Metropolita D. Giuseppe Velamino di tutta la Russia, zelosissimo Promotor della Santa Unione et acerrimo Propugnatore della fede cattolica Romana, et vero pastore che mette l'anima sua per le sue pecorelle, sono stato tanto ben'accettato et benevolmente con honore trattato oltre ogni mio merito, che restai estremamente confuso dalla troppa sua benignità, et eccessiva cortesia, et obligatissimo per gli beneficii et favori da esso ricevuti, come Prelato Cattolico che mi conobbe; et perciò le scrivo, come veramente hebbi grandissima edificazione dalli monasteri da lui nuovamente fondati in gloria di Dio, et augumento della Santa Unione et degli fedeli Rutheni da lui in maggior quantità ridotti alla santa obbedienza della Chiesa Romana, et scacciati dalle tenebre dello scisma, che in sin d'adesso si trovavano, et finalmente per la carità e dilectione christiana di vero Prelato, con la quale ama i poveri, soccorre i bisognosi, consola i tribolati, et insegnà gli

ignoranti, et move tutti in sua devozione, con l'esempio singolare delle sue virtù et ottime qualità, dalli quali io freddo mi son riscandato nel progresso della strada divina, et spinto, et eccitato ad affaticarmi per la santa fede a sua imitatione senza speragna di fatica alcuna. Laonde con sua instigazione mi andrò trattenendo in qua et in la, sin tanto che il Serenissimo Re ritorni con vittoria dalla guerra contro i Moscoviti, acciò con sua Serenità possi trattare per l'espulsione di Cirillo Heresiarcha dal Patriarchato di Constantiopolis... » (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 75, fol. 371rv.).

1633-1634. - VILNA. EX EPISTOLA HIEREM. BARBARICO, AEP. AD EP. PINSCENSEM.

« Visum sum mihi videre divum Joannem Chrysostomum, tanta hominis fuit clementia, comitas, lenitas, mansuetudo, charitas et honorificentia, qua me complexus est... In eo Viro atque Antistitum in Russia Principe ardentissimum dilatandae Divinae Glorie desiderium, Sanctaeque Unionis promovendae curam vigilantissimam plane perspexi, Romanae Sedis autoritatem atque honorem tutandi strenuissimum atque invictissimum animum. Veritatis denique stabilienda, sublatis erroribus per hacc tempora in universa septentrionali plaga constantiam incredibilem sum demiratus... Siquidem non minima angor cura de Russia talem tantumque sui Patrem ac Patronum ob plurima populorum peccata rapi sibi promereatur; virum, inquam, egregium, magni illius Andreeae sectatorem atque imitatorem, qui primus e divinis illis duodecim Christi discipulis et praeconibus Ruthenis lumen veritatis qua vocibus qua patratis prodigiis manifestavit ». Haec Barbaricus in summa ad Korsakium scribens de Velamino » (ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. 10, fol. 117-113).

1636, VII. - ROMA. H. VISCONTI, NUNTIUS AP., IN SUA RELATIONE.

« La prudenza del Metropolita Gioseffo Velamin Rutski et il suo zelo sono noti a V. Eza per altre prove, ma in questa si grande occasione si son resi degni dell'immortalità appresso ognuno. Egli ha fatigato col spirito di Elia non solo contro l'impeto degl'avversari, ma per non lasciar venir meno la fede ne suoi, non tutti forse egualmente animati contro la violenza, non bisogna minor persecuzione per provare una tanta virtù. Egli in quella età non tanto grave, quanto aggravata, non ha sfuggito di ritrovarsi ad ogni conflitto, soccorrendo alla causa di Dio ov'era maggiore il pericolo, e la sua franchezza ha mostrato sempre quanto sia grande la confidenza di un giusto. Io sono restato edificatissimo della costanza di lui, et ho con particolar consolatione congiunte seco le mie proprie fatighe » (ASV, *Miscell. Arm.* 2, vol. 115, fol. 347).

1637, 1. III. VARSAVIA. HIERARCHIA UNITA AD URBANUM PP. VIII.

« Josephus Metropolita Chioviensis, currus Russiae et auriga eius per turbinem mortalitatis sublatus a nobis, per nos filios suos tanto Patre orbatus ultimum vale dicturus provolvitur ad pedes V. S., pro cuius honore paratus semper fuerat millies mori, et moriretur, nisi Ille, qui ut scuto bonae voluntatis coronavit eum in magnis, et voluisse sat eidem decrevisset... (implorant

benedictionem) eam quam olim in optimum Pastorem et magnum in Ecclesia Dei Praelatum divite manu effundere V. S. dignata est... » (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 136, fol. 376).

1637, 1. III. - VARSAVIA. HIERARCHIA UNITA AD S. C. DE PROP. FIDE.

« Fecisset utinam Princeps Universi Deus, ut aeternum viveret, qui pro aeternitate tota vita laboravit, Josephus Metropolita Ruthenorum. Profecto totus liquido cognovisset orbis, nec ingenio defuisse voluntatem, nee efficaciam voluntati, ut unquam cadere nescius hostes S.R.E. et libere posset invadere, et feliciter profligare et honorificantissime triumphare. » (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 136, fol. 408).

1637, 1. III. VARSAVIA. HIERARCHIA UNITA AD FRANCISCUM INGOLI, SECR.

« ... Josephus Metropolita Russiae, bonus pastor, pro omnibus excubabat, tamquam si soli ipsi diceret Apostolus : Tu vero vigila, in omnibus labora... » (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 136, f. 409); « ... Memoria eius in benedictione; foelix ille cui tam dives fortuna peracta » (*de data 7, III. 1637, ad eundem Secret. S. C. de Prop. Fide*; APF, *ibidem*, vol. 136, fol. 429).

1637, 8. III. - VARSAVIA. RAPHAËL KORSAK, METROP. KIOVIEN.

Refert de signis mortem Metrop. Rutskyj antecedentibus et consequentiibus: « primo quidem longe ante dicere semper solitus fuerat: ego domi mea non moriar, sed in curru, in itinere spiritum meum Domino reddam... Deinde in ultima Congregatione nostra religiosa... in ultima exhortatione dixit haec verba: Patres et Fratres et Filii, ego iam delibor et finis resolutionis meae instat; iam me amplius non videbitis, neque ego amplius vos video... aliquot diebus ante mortem et aliquot post mortem terrae motus in his partibus insolitus in diversis locis fuit notatus in ipso etiam monasterio Dermanensi... (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 136, fol. 404; et in *editione Epistolarum R. Korsak*).

1637, 8. III. 1637. VARSAVIA. RAPHAËL KORSAK METROP., AD FR. INGOLI.

« Post mortem aliquot diebus corpus Pinscum ad me delatum est, 40 fere leucarum intervallo, et ibi honorificantissime usque ad adventum meum in Cathedrali depositum 20 Februarii. Et licet civitas mea tota fere schismatica sit, tamen totus Magistratus schismaticus processionaliter ipsi perversitavit per unum milliare italicum deducendo pium corpus, omnes Ordines artificum faces praeferebant, Patres nostri corpus deferebant. Nobilium insignis concursus, Religiosorum utriusque Ritus unanimis caetus, concio a Patribus Societatis in Cathedrali habita, exequiae per Clerum meum solemnisime celebratae. Et licet hae non sunt ultimae, quia Vilnae sepelietur, septuaginta Pinseo distantis leucis, tamen ut ex unique leonem, Domin. Vestra Ill.ma cognoscere poterit ex his initiosis quale funus Patris nostri futurum est; fortasse enim vel non erit funus, vel si funus, funus profecto triumphantis. Sic moritur Justus » (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 136, fol. 404; et *editio Epistolarum R. Korsak*).

1637, 8. III. - VARSAVIA. R. KORSAK AD FR. INCOLI, SECR. DE PROP. F.

Successor Josephi, Raphaël, de eius ultimis diebus vitae scribens vocat eum : « Sanctus meus Metropolita », « Sanctae memoriae Coadiutus », « Piissimus Pastor », « dulcis Pater », « sancta anima illius et salutis humanae per quam avara » etc. De eius vero morbo et obitu sic habet passim : « ... decubuit Dermani febri maligna correptus, sciatica ultra modum praedominante, fluxu ultimum virium naturalium cuerante stomacho per continuos vomitus debilitato, integro fere mense summis doloribus cruciatus est, summo tamen sensuum internorum vigore, ut patet ex testamento illius spirituali, quod octiduo ante mortem subscriptum mihi miserat, et pro aeterna tanti Praesulis memoria authenticum mitto ad D.V. Ill.mam. Cognito iam dulcis Pater vitae suae termino... in praesentia Patrum Societatis quotidie fere confitebatur, et communicabat, iam exhortationes pro Religiosis et familia instituebat, iam religiosissimos et spiritualissimos sibi libros legi faciebat, iam mentali orationi fere cum extasi vacabat, quotidie vero sacrum Missae sacrificium, insidens lectulo, audiebat. In ipso vero agone exclamavit terna voce caelum et terram contestatus, se mori in unione Sanctae Romanae Ecclesiae, sine qua nemo salvus esse potest. Atque ita in medio filiorum et familiae eiulatu quinta Februarii, octava hora pomeridiana, exspiravit » (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 136, fol. 403-406v; et *editio Epistolarum R. Korsak*).

1637. POLONIA. EX LITTERIS R. KORSAK.

« Miracolo occorso ad un Scismatico nel voler baciare le mani al morto Metropolita di Russia unito. Ad R.P.D. Corsium. Die 18 Jolii 1639. Congr. 258 ».

« Anno Domini 1637. Ad corpus Servi Dei Velamini Rutschi Metropolitani Russiae cum ingens undique fidelium conflueret multitudo summoque animi sensu et veneratione certatim quisque manum Servi Dei osculari et corpus rosario et aliis rebus particularibus attingere intenderet (attentaretur), accidit 29 Februarii ut inter caeteros veniret e civitate Novogroden. quidam Nicolaus Saleschi Sipailo, insignis Schismaticus, et zelo sectae suae omnibus notus; hie permotus religioso illo tumultu osculantium manum Servi Dei accedere et ipse ad osculum eiusdem manus decrevit, quod cum post omnes praestare vellet, atque ad s. corpus accessisset, subito facies Servi Dei, quae cum omnium stupore plena maiestatis et talis omnino qualis in vita fuit cernebatur, tanto-pere immutata est, ut omnino nigresceret. Porro Schismaticus ille ita diriguit, ut quamvis ipse ad osculum manus se inclinare conaretur, et adstantes Sacerdotes manum Servi Dei elevarent, effici tamen non potuit, abiit a corpore Servi Dei, et obortis lacrymis palam dixit : Deus meus, quid hoc est, quod cum me spectante omnes a maximo ad minimum manum hanc osculati fuerint, ego solus osculari non potui, nescio qua vi invisibili me conantem ab hoc osculo repellente; atque his dictis lacrymans excessit e templo » (APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 81, fol. 442).

1637. POLONIA-ROMA. « EX LITTERIS ILL.MI ET REV.MI METROPOLITAE RUSSIAE DE IIS QUAE AD CORPUS F. R. JOSEPHI METROPOLITAE RUSSIAE CONTIGERUNT ».

« Ad corpus fe. record. Josephi Velamin Rutschi Metropolitae prius Russiae factum fuerat superioribus diebus, quod quidam Schismaticus insignis dum ad oseculandum sacram manum accedere vellet, vi quadam divina detentum se publice in catholica ecclesia Pinscen. professus. Et hoc latius scriptum dederamus. Nunc adiungitur in litteris Ill.mi Metrop. Russiae, quod hucusque corpus praedicti fe. me. Metropolitae integerrimum, nihil redolebat nisi hominem vivum. Res circumstantiis infrascriptis patebit.

1. Per centum et amplius leucas curru vectum.
2. Quia continuis 15 diebus Pinsco Vilnam deducebatur, meridiano solis aestui expositum. Oportuit enim nos interdum 7 leucas in diem perficere.
3. Quia ubique in oppidis oportuit corpus publice exponere, ut pro catholica pietate homines manum illius oscularentur, coronis, imaginibus, crucibus corpus venerandum contrectantes. Vilnae autem fere octiduo debuit exponi propter continuum hominum confluxum ad videndum tantum miraculum properantium.
4. Superauget rem flexibilitas totius corporis, ita ut libere manus et componi et dilatari possint. Quin imo benedictio populo impartiebatur vel tantum dextra more nostro, vel utraque more Graecorum.
5. Denique caput omnium est, quod corpus tam gracile factum est, ut plene in aliud a priori quantitate degeneraverit ad subtilitatem intestinis penitus contractis » (APF, *Scrit. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 81, fol. 440).

1637. POLOCIA. JOANNES OLENSKI. IN PROCESSU BEATIFICATIONIS S. JOSAPHAT.

« Ego Ill.mum et Rev.mum D. Josephum Metropolitam optime novi, quia illum saepissime Vilnae, ubi ipse ordinarie manserat, vel Polociae, quo interdum veniebat, videram, et cum illo colloquebar. Novi autem illum ab annis fere 10. Sexaginta et amplius habuit annos, totus erat canitie obsitus, statu rae procerae, modo iam mortuus est; morti eius non adfui, sed exequiis illius interfueram Vilnae. Illic hisce oculis meis egomet vidi cum summa admiratione corpus illius in praesentia plurium centenorum hominum. Nam medio anno post obitum advectum erat corpus tempore caldissimo Vilnam leucis 60 absque ulla corruptione, et mutatione illius. Obiit hoc anno, scil. 1637, hyeme praeterita, in Volhinia et sepultus est Vilnae in monasterio SS.mae Trinitatis 9 Junii » (ASV, *Arch. S. C. Rituum*, vol. 2291, fol. 132; *et in S. Josaphat Hieromartyr*, vol. II, Romae 1955).

1637. POLOCIA. JOANNES OLENSKI. IN PROCESSU BEATIF. S. JOSAPHAT.

« Interrogatus an dictus Ill.mus et Rev.mus Dominus Archiepiscopus Chioviensis mortuus est, dum in humanis agebat esset Vir probus et fide dignus, et bonae conditionis ac famae, quomodo id ipse testis sciat, et an id etiam ab aliis, qui dictum Ill.mum Josephum Archiepiscopum cognoverant, dici audiverit ».

« Respondit : Ego semper Ill.um Josephum Metropolitam colui, ut S. V. r. um, et omni fide dignissimum, summi in tota Republica nominis. Et hoc scio valde bene, quia illum noveram, de illo optima quoque audiveram, quin imo, omnes illum ut Sanctum colunt. Ipsi denique Haeretici et Schismatici bene de illo loquuntur, et prorsus nec minima nota dari potest, quae gloriosae illius famae inuri posset » (ASV, *Arch. S. C. Rituum*, vol. 2291, fol. 133v-134; et in *S. Josaphat Hieromartyr*, vol. II, Romae 1955).

1638, 3. X. RUTA. R. KORSAK, METROPOLITA.

« Procedendo more piae memoriae antecessoris mei Divi Josephi Velamin Rutski, legislatoris Unitae Nostrae Russiae... » (BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 62v).

1640, 18. VIII. ROMA. R. KORSAK, IN TESTAMENTO SUO.

Vocat eum « amantissimum Patrem », « sanetae memoriae », et commen-dando monachis varias virtutes colendas, ut « innocentiam, humilitatem, regularum observantiam, traditiones maiorum », dicit : « habetis enim quos imitemini : antiquos nempe SS. PP. Basilium, Athanasium et caeteros. Ex recentioribus autem gloriosum nostrum martyrem Josaphat, religiosum nostrum Patrem Josephum Velamin Rutschi et alios Patres » (ARCHIVIO STORICO CAPITOLINO, *Testamenta et donationes*, 12, Not. A. Canninius, vol. XXVIII; et in *Epistolae R. Korsak*, ed. Romae 1956).

1640. POLONIA. P. IGNATIUS A S. JOANNE, OCD, IN CHRONICA PROV. POLONAE.

« Porro ob ipsius (P. Andree) praelara tum naturae tum gratiae talenta, omnes eum audire, omnes habere optabant. Unde vir sanctus Josephus Velamin Rutski, Metropolitanus Kioviensis, tanti illum fecit, ut ad reformatos in spiritu suos Religiosos Ord. S. Basilii apud Pontificem Urbanum VIII... Patrem nostrum Andream summis votis expetivit » (ARCH. GEN. ORD. CARM. DISC.: *Fasciculus annorum Prov. Spiritus S., sub anno 1640, n. n.*).

1664. ROMA. JACOBUS SUSZA, EP. CHELMEN., « DE LABORIBUS UNITORUM ».

Plurima habet de eius vocatione, vita, activitate, et virtutibus. Inter alia dicit : « certe non solum tres milliones, ut a quodam probatum est, sed etiam plures ad S. Ecclesiae gremium reduxit » (p. 310). Laudat eius « zelum » in promotione Sanctae Unionis, nominat eum « optimum pastorem » (312-313), et demum de eius obitu habet : « Obiit Rutceius sanctissime anno 1635, februario 20, in monasterio Dermanensi, non sine aliqua veneni a Schismaticis propinata suspitione. Corpus eius e dicto monasterio in fine Aprilis anni eiusdem eductum ut Vilnae sepeliretur, in via Pinsei duabus septimais ad videndum hominibus expositum, sine mutatione, sine fetore, populi concurrentis ipsorumque Schismaticorum veneratione cultum exosculatum. Vilnam tandem deductum cum totius Cleri Vilnensis latini et rutheni nec non Religiosorum omnium, Magnatum, Nobilium, Civium, populique uniuscuiusque sexus solennissima processione ab ecclesia S. Petri in Antokole suburbii Vilnensis ad aedem

SS. Trinitatis Unitorum allatum et sepultum usque ad Moschi invasionem, anno 1655 factam, integerrimum, albissimum, tractabile ac molle permanit. A Moschis (quia etiam Rutscius ex atavo suo Vellamino de ducibus Moscoviae descenderat) acceptum est Vilna una cum corpore itidem integro patriarchae Moschoviensis Ignatii et in Moschoviam delatum est » (M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae, Leopoli 1862, pag. 313*).

1664. ROMA. JAC. SUSZA IN « DE LABORIBUS UNITORUM ».

« Post sepulturam Rutscii vir quidam probus ex RR.PP. Carmelitis di-scalceatis vidit inter B. Martyrem Josaphat et virum plane divinum Smotrycium, gloria magna fulgentes, maiore tamen illis praeceilentem in medio Rutscium, quod postea sat probatae etiam virtutis viro Patri Simeoni Jackiewicz, Superiori Bythenensi nostri Ordinis, de quo supra diximus, revelavit, per-vulgatumque hoc est in nostra Religione. Et quidem multa talia per incuriam Nostrorum incognita abeunt » (M. HARASIEWICZ, *op. cit., p. 313-314*).

1665, 23. VIII. VILNA. GABRIEL KOLENDÅ, METROP. KIOVIENSIS.

In sua cautione Ordini Basiliano data vocat eum « Legislatorem ». (BIBL. VAT., *Vat. lat., vol. 8684, fol. 63-64*).

1666. ROMA. JAC. SUSZA, EPISCOPUS, IN LIBRO: « SAULUS ET PAULUS... ».

« Sunt prae manibus litterae de vita Meletii et istis portentis ad totam Basiliandom Ruthenorum in S. Unione Religionem aliosque perscriptae, Josephi Velamini, Archiepiscopi Russiae, viri integerrimi, quem Urbanus VIII « os Christi et Petri, atlantem Unionis, columnam Ecclesiae, Athanasium Russiae appellavit » (J. SUSZA, *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis... Meletius Smotriscius..., ed. 2, Bruxellis p. 10*).

« At Josephus Rutscius, vir auctoritatis, prudentiae, sanctitatis eximiae, corde nonnihil exorato Deo, et in spiritu Meletio salutato, aliquot verba, quae tum ipsi divinitus influxerant, profatus, ad corpus venerandum accessit (Meletii Smotryckyj) » (*Ibidem, pag. 159*).

1684, 15. VII. CHOLM. JAC. SUSZA, EPISCOPUS CHELMENSIS UNITUS.

« Porro vir sanctissimus et omni memoria dignissimus Rutscius... mirabilis providentia Dei sexaginta iuvenes in Religionem cum bonis et magnis dotibus suscepit » (APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni, vol. 2, fol. 185*).

SAEC. XVII, SUB FINEM. HISTORIA COLLEGII GRAECORUM DE URBE.

Plurima habet de vita et vitae sanctitate Rutscii; textum per extensum cfr. infra, in *Documenta biographica romana* (pag. 8).

SAEC. XVII. ANONYMUS AUCTOR COLLEGII GRAECI, IN CRONICA DI TUTTI I SCOLARI, VOL. I. (Cfr. infra in *Documenta biographica romana*, pag. 5).

Hic inter alia dicit expresse « Josephus Velamin Rutski Metropol. totius Russiae, vir magnae et indubitatae apud omnes sanctitatis atque zeli in catholica fide propaganda ardentissimi » (fol. 202).

SAEC. XVIII, INITIO. EX « EPITOME » QUALIS STATUS RELIGIONIS BASILIANAE.

« Post collapsam penitus Religionem in instituto et moribus, submissus a Domino Deo instaurator eius Josephus Velamin Rutski, postea Metropolita totius Russiae. Hic toto nisu et viribus suis, Deo adiuvante, intendens restorationem, ex Sanctissimo Patriarcha nostro Basilio Magno collegit Regulas, quibus institutum Religiosis bene vivendi formavit, ipseque exemplari vitae suo testimonio facem praeferebat omnibus et custodivit, et a Religiosis admirandi pleri curavit illas » (*Archograficeskij Sbornyk*, vol. XII, pag. 183).

1715. IN RUSSIA. LEO KIŠKA, METROP. KIOVIENSIS IN « VITAE BASILIANORUM ».

Inter plurima alia bene dicta de Josepho Rutskyj, haec habet: « Josephus Velaminus Rutski Metrop. Kiovien. etc. Vir ad omnia optima notus, originem traxit magnis a Parentibus nobilis familiae in Lithuania, Palatinatus Novogrodenensis, litterarum artibus bene instructus, nationum variarum positiones perlustravit... (dein narratur eius mira vocatio ad Ordinem Basilianorum). Et tunc prosequitur: « Tum Rutsius, ut columna ignea, quae viam monstraret, ut umbrosa nubes, quae in aestu adverso protegeret, parvulo Religiosorum unitorum aderat praecoruscans gregi; hoc cum Josepho Josaphato viro in sanctimoniam in dies proficiente, magna intercessit familiaritas, et amor, non frequenter dulcia de Deo, de fide, Religione, deque omni pietate miscuit colloquia, quem uti magnum virum atque aetate se proiectorem, cum dudum etiam non auderet palam, remotioribus cum omni humilitate et dexteritate modis, quandoque etiam per alias ad eundem Religionis statum traxerat personas » (*Ibid. Cfr. Analecta OSBM, Ser. I, vol. III, pag. 516*). - « Josephus enim in eruditione magnus, et nobilitate potens, et patrocinio Magnatum munitus erat, ut vero maiori polleret auctoritate, Vicarius generalis totius Russiae a Metropolita creatus... » (*ibid. p. 517*). Narrando de extinctione incendii civitatis Zamoscensis an. 1627, subiungit: « ... quod Martyris gratiae et Josephi pietati adscriptum fuerat » (*ibid., pag. 518*). « Exuviae eius (patr. Ignatii) uti et Rutesii incorruptae asservabantur, magno gaudio fidelium ad annum ferme 60 post sexcentesimum et millesimum, quo Moschoviticum invaluit bellum contra Polonus; ubi igitur Vilnam in deditonem acceperunt Moschi, perlustrantes sacrarum aedium penetralia, reconditum requirentes aerarium, catacumbas subterraneas etiam adierunt, ubi reposita Iustorum corpora capsulis in patulis quiescentia adverterint, Sanctimoniales Ordinis nostri intra claustrum adita praeventas omni expiscantur nisu, cognita rerum sorte, omnium sensu Vilnae successive demorantium non obiter compertum est, nisi in Sedem Moschoviae uti Sanctorum abducta esse horum Patrum corpora ibique magno cultu in criptis caeterorum Patriarcharum recondita esse, magno Unionis Sacrae cordolio » (*ibid., pag. 513*).

1732. ROMA. IGNATIUS KULCZYN SKYJ, PROCURATOR IN URBE ET SCRIPTOR.

« Poco dopo nel medesimo monastero si fece nostro Religioso Giuseppe Velamino Rutski, Gran Letteraro, e zelantissimo Promotore della Santa Unione con la Chiesa Romana. Queste adunque furono due colonne che la Chiesa Rutena, da' Scismatici fieramente combattuta, e già quasi cadente, sostennero e fortificarono » (*Il Diaspro prodigioso di tre colori, ovvero narrazione istorica delle tre imagini miracolose della B. V. Maria, Roma 1732, cap. VI, pag. 73-74*).

1733. ROMA. IGN. KULCZYN SKYJ, « SPECIMEN ECCLESIAE RUTHENICAE ».

« Sustinuit forti animo omnes Schismaticorum impetus Rutscius; ideo ab Urbano VIII paeclaris ornatus titulis, et passim in litteris ad Regem vocatus Atlas Unionis, Columna Ecclesiae, Athanasius Russiae. Domitis tandem rebellibus, et plusquam biscentenis millibus qua Schismaticorum qua Haereticorum ad fidem catholicam reductis, clarus rerum gestarum magnitudine et senectute venerandus, obiit an. 1635. Inter celebriora huius Metropolitae facinora hoc fuit non postremum, quod ipse collapsum in Russia monachismum erexerit, scriptisque libris sanctissimis, monachos S. Basillii Ruthenos in Congregationem sub uno Protoarchimandrita seu Generali redegit... Corpora Rutscii et Ignatii integra, candida ac tractabilia quiescebant Vilnae, quam cum anno 1655 invasissent Mosci, utrumque corpus acceperunt, et in Moscoviam secum deduxerunt » (*ed. 2, Parisiis 1859, pag. 130-131*).

1763. ROMA. P. PIETRO RODOTÀ, IN LIBRO: « DEL RITO GRAECO... », VOL. III.

« Giuseppe Velamino Rutski, Lituano, discendente dalla serenissima famiglia Velamina de' Duchi di Moscova. Ammesso al Collegio li 3 Novembre del 1599, in età d'anni 23, d'ordine di Clemente VIII. Ben presto si vide dalle prime inclinazioni, che il Signore lo aveva pervenuto colle sue più dolci benedizioni. I primi anni della dimora furono presagio di ciò, che sarebbe stato fuori del convitto. Nello spazio di otto anni applicassi con sommo impegno allo studio delle scienze, e divenne intelligente teologo. Apprese perfettamente cogli esercizj della pietà, le virtù; e cogli studi delle scienze, la dottrina; e d'ammedue questi nobili strumenti si valse nelle numerose conversioni di anime, che di poi ridusse all'unità della Chiesa » (*vol. III, pag. 192*). « uscito dal Collegio, ed aperta scuola in Vilna nel monastero della S.ma Trinità, consacrarsi all'istruzione della gioventù. Non potendo trattenersi dal far comparire fra le stesse lezioni di grammatica, alcuni raggi di quella luce, ond'era ripiena la mente, e alcune scintille di quel fuoco, ond'avvampava il cuore, molti incominciarono indirizzarsi a lui. Stupivano i senatori, e i principali personaggi del Regno, quando s'avvidero che un giovane chiaro per natali, e per la cognizione delle scienze, esercitava per giovamento comune, e senza temporale guiderdone, la carica di pubblico pedante, nella commune estimazione degli uomini umili e vili. Quest'esercizio gli presentò l'occasione di segnalare il suo zelo; avvegna che presago del vantaggio, che sarebbe ricondotto alla religione cattolica dall'acquisto di alcuni giovani, che conosceva avere inclinazioni rivolte al bene se avessero applicato lo spirito allo studio delle lettere, risolvette di mantenerli a proprie spese. Per la qual cosa adunò

in una casa da se comprata molti studenti, che alimentava colle rendite patrimoniali e a suo talento gli ammaestrava. Non fallì nè suoi disegni: poichè la felicità, ch'ebbero questi suoi discepoli (i quali rinunziando al secolo, vestirono l'abito monastico) di trarre alla religione cattolica molti scismatici, giustificò la savvia e provvida determinazione » (*Ibid.*, pag. 192-193).

« Benchè il Velamino risplendesse nella scuola, e la riputazione della dottrina, e dello zelo gli conciliasse la comune stima e venerazione, non restò punto abbagliato da vani splendori, che le sue rare qualità gli promettevano. Disgustato del mondo senza averlo mai conosciuto, domandò d'entrare nell'Ordine di S. Basilio, in cui tosto fu ammesso nel monastero della SS.ma Trinità. Animato dallo spirito del S. Padre, fece rivivere l'osservanza delle regole col suo edificante esempio. I monaci restarono talmente rapiti dal suo fervore, che dovendo eleggere l'archimandrita, tutt'i voti furono a lui rivolti. Egli in vano reclamò, e fu necessario d'ubbidire. Mai superiore alcuno meritò più di esserlo, e mai uomo se ne credette più indegno. La saviezza, e lo zelo per la disciplina religiosa, l'attenzione di conservare in tutto il suo rigore lo spirito dell'istituto basiliano, e la santità della vita giustificarono la sua elezione. Non si servì della dignità di superiore che per avere la libertà d'abbandonarsi all'eccessive austeriorità con indipendenza. Il raro merito di quest'uomo rese più famosa nella Polonia la regola di S. Basilio. Le prime sue cure furono di svellere gli abusi, ch'erano introdotti nel monastero. Lo riformò con nuove leggi, lo ristabilì nella più perfetta osservanza, e ridusse in compendio le regole del S. Patriarca. Promosse con estrema diligenza, e con grandi fatiche la fondazione di nuovi monasteri; e altri ritolsé dalle mani degli scismatici, che l'avevano usurpati. Istituì il noviziato, cui furon dati i primi lineamenti della perfezione monastica dai PP. della Compagnia di Gesù, che vi furono spediti a sue replicate suppliche dal loro Generale. Volle che alle prime istituzioni si soggettassero coi novizi, i monaci eziandio di matura età, ed ancorchè costituiti nella dignità d'abbati. Indi rivolse le industrie della mente ad animare i monaci alla propagazione della fede cattolica. Unì al suo monastero molt'altri, che vivevano fra loro senza dipendenza, e stabili una nuova congregazione col titolo della SS.ma Trinità sotto la direzione di un Generale, approvata da Urbano VIII, l'anno 1624 » (*Ibid.*, pag. 193-194).

« Sigismondo III, Re di Polonia, non ebbe minore stima di Velamino di quello n'avessero i suoi Religiosi. Lo nominò Vescovo Haliciense, ed indi fu poi innalzato alla dignità di Metropolita di tutta la Russia; la quale non servì, che a mettere in maggior prospetto l'umiltà e lo zelo di cui ardeva per la cattolica religione. E cosa difficile il ritrovare altro uomo, il quale abbia uniti più belli sentimenti di se stesso e merito maggiore; e che siasi più affaticato in quelle regioni per la salute de' popoli. Non potendo senza gemere, vedere i progressi dello scisma nella città di Kiovia e sue dipendenze, dove disertava spietatamente la vigna del Signore per mezzo di un certo Jobo Bo-reiko creato dagli scismatici antimetropolita, e di altri Vescovi suoi fautori e pretesi suffraganei, s'applicò a predicare, e ad istruire in ogni luogo; facendo servire il credito, che la riputazione e l'eminente dignità gli conciliavano appresso i principi, e prelati alla riforma dei costumi, e all'accrescimento della pietà cristiana » (*Ibid.*, pag. 194).

« Furono insigni le sue apostoliche fatiche. Col tenore della vita santa, ed uniforme, coll'eloquenza cui davano forza e vigore gli esempi dell'eroiche virtù, e colli mirabili attrattive della carità, ond'erano animati i suoi ragionamenti, gli riuscì di rieondurre al seno della Chiesa Romana molti disertori della verità » (*Ibid.*, pag. 194-195).

« La fuga de' predetti scismatici forse i più rinomati e pertinaci, non salvò il Velamino dagli artigli d'altri furibondi leoni, che vi rimasero. Le illustri e insigni conquiste, che tutti giorni faceva d'alcuni di essi, gli conciliò l'odio e lo sdegno degli altri, che tentarono più volte di privarlo di vita. Ma le loro imprese non servirono, che ad aumentare il desiderio, che nutriva di soffrire il martirio per lo meno di carità. Gli Scismatici di Leopoli misero in opera gli artifici più maligni, e tuttociò che il motteggio ha di più pungente per iscederarlo. Non lasciarono di rappresentare la ruina della loro setta, se il Velamino continuava le sue istruzioni, e gl'imputavano a debito li meravigliosi progressi che faceva la religione cattolica. Con queste maligne e velenose rappresentanze riuscì finalmente loro di far sollevare, ed ammutinare tutta la città contro l'uomo di Dio, al quale avevano preparato districare una bombarda per toglierlo la vita; Ma il miracolo che Iddio operò nel ridurre a pezzi quel bellico strumento a vista del segno della croce che v'impresse il Velamino, contribuì alla sua maggiore riputazione. - Sostenne simili persecuzioni con uguale coraggio nella città di Stepanio nella Volchonia, dove fu accolto dal populo tumultuante con ingiurie e improperii, e inseguito colle pietre e sozzure. I nemici non potendo soffrire la veemenza delle sue prediche, assalirono in Vilna la chiesa, di cui era archimandrita, e ne tentarono la funesta demolizione. In altri luoghi fu assalito parimente con pietre, trattato con indegnità estrema, e pubblicamente caricato di vituperosi improperii e villanie; ma nulla potè scuotere la di lui costanza. Le fiamme di tante e sì atroci persecuzioni non servirono, che a rendere più luminosa l'intrepidezza del nostro eroe, e più gloriosa la Chiesa Romana. Il cielo venne in suo soccorso, avendolo preservato da tanti colpi ora cogli aiuti e favori straordinari, ed ora col mezzo della suprema autorità de' magistrati. - In tutte queste occasioni diede maggiori esempi d'eroica fortezza, e si accumulò nuovi tesori di merito; sicuro di ottenere nel cielo tante mercedi, quanti erano i giorni, che numerava di pene » (*Ibid.*, pag. 196).

« Era già gran tempo, che la sanità del Velamino s'indeboliva senza che il fervore restasse alterato. Consumato alla fine da tante fatiche, e dalle austerrità eccessive, ricco di virtù, e colmo di meriti, dopo aver avuta chiara notizia del giorno della prossima morte, ch'egli stesso manifestò, rese dolcemente lo spirito al Creatore il dì 20 febbrajo del 1635, fra i gemiti de' Religiosi del monastero Dermanense nell'età di anni 59, e andò a godere nel cielo la mercede dei trofei, che in terra avea riportati dello scisma. - I suoi funerali erano una specie di trionfo. Vi concorse un prodigioso numero di spettatori per ammirare il restauratore della vita monastica, il modello della più eminenti virtù, e l'oracolo della Polonia, e l'flagello degli scismatici. - Il suo corpo fu trasferito e sepolto in Vilna con molta solennità. Dopo vent'anni aperta la cassa, dov'era stato racchiuso, fu ritrovato intero, fresco, vermiglio, e palpabile, come se fosse in vita » (*Ibid.*, pag. 197).

« Le altre conversioni operate da Dio per mezzo del nostro Metropolita, furono d'una gran copia di scismatici. E' fama che in tutto il corso del suo apostolico ministero, cui applicassi per anni 27 o 28, abbia ridotti al grembo della Chiesa cattolica due milioni di esse » (*Ibid.*, pag. 197).

« La fama e il credito di Velamino non si contennero dentro i vasti limiti delle tre Russie, ma volarono all'altre mentovate regioni dove spedi missi-nari ad annunziare la verità del Vangelo, a riaccendere col fervore dello zelo le scintille della fede, ed a stabilire co' sudori l'autorità del Pontefice Romano, soffocata sotto gli sterpi e le spine della dominante scismatica empie-tà » (*Ibid.*, pag. 198).

« La fama delle virtù e la riputazione di quest'grand'apostolo giunta in Roma, Urbano VIII in un suo Breve lo ricolmò di pomposi elogi, e lo freggiò di decorosi titoli, dinominandolo: Athanasius Russiae, Athlas Unionis, Columna Ecclesiae. Celebrarono altamente molti scrittori l'eroiche virtù di que-sto monaco. Il dottissimo Papadoli riflette, che fra Collegi fondati da Grego-rio XIII, il solo Greco può pregiarsi d'un uomo, che abbia ridotti al seno della Chiesa tanti Scismatici, quanti il Velamino » (P. RODOTÀ, *Il rito greco...*, vol. III, pag. 198).

1866. WARSZAWA. JULIANUS BARTOSZEWCZ, IN « ENCYKLOPEDYIA POWSZECHNA », VOL. 22: RUTSKI.

« Quando illius Pater obiit anno 1599, Rutski profectus est Pragam ad studia persolvenda, renatus in anima. Conversus ad Ecclesiam ex Saulo fit Paulus et zelans fortisque fidei confessor, filius Ecclesiae inspiratus... Adsunt homines, qui soli faciunt historiam eiusque periodos statuunt. In se ipsis comprehendunt omnes conatus alicuius motus communis, et fiunt eximii re-praesentantes temporis sui, communitates hominum, imo mundum totum secum trahunt, qui ipsis est affinis mente, corde et spiritu, et dominantur illo. Talis homo erat Rutski, vir extraordinariae mentis, infatigabilis activitatis, et zeli, qui omnia secum trahit. In Ritu suo erat vir magnus, omnia in compara-tione cum ipso deveniunt parva. Rahoza Unionem renovavit, Potij eam con-servavit, sed eam stabilivit, dilatavit et evolvit, nec non ex ea veram effecit Ecclesiam solummodo J. Rutski. Impossibile est etiam subtilissima quadam narratione eius enarrare multiformes labores et zelum. Nulla dabatur res quam ipse non moveret, non ordinaret, non repararet, non crearet ». (pag. 561-562).

1867. ROMA. D. NICOLA CONTIERI, IN BIOGRAPHIA S. JOSAPHAT.

« Ed il Signore in questo pure volle consolare il suo Servo (Josaphat), e gl'invìò tal soggetto che fosse una vera benedizione del Cielo non solo per que' giovani, ma per tutto l'Istituto Basiliano Ruteno; anzi per tutta quanta quella Chiesa, allora piuchè mai bisognosa di forte e potente sostegno. Fu questi il celebre ed illustre Giuseppe Welamin Rutski » (*Vita di S. Giosafat, Roma 1867*, pag. 37).

1885. LEOPOLI. X. KALINKA - A. GUEPIN. IN BIOGRAPHIA S. JOSAPHAT.

« Revera Ecclesia Ruthena nunquam habuit Pastorem, qui altius ponи posset, quam Rutskyj; etiamsi hic non habuit dona mentis et voluntatis quae habuit Potij, tamen virtutes eius mensuram longe superabant quotidianam. Ecclesiae Ruthenae accessit tantummodo ex officio, postquam vicit tum sua desideria tum suam aversionem; sed semel accepta illa Ecclesia humiliata et derelicta, fit eiusdem fidelissimus amator et verus pater. Insuccessus, labores et sudores erant ei panis quasi quotidianus, quem comedebat sine murmuratione vitamque suam et opes ad ultimum usque spiritus halitus pro sacrificio obtulit ». (*Zywot sw. Jozafata Kuncewicza, Lwow 1885, pag. 381*).

1936, XII. NICOLAUS CZUBATYJ, IN CONGRESSU UNIONISTICO, LEOPOLI.

« Ex sua humilitate et obliuione propriae personae proposuit, ut Patriarcha Kiovensis nominandus fieret Petrus Mohyla, ipse vero, renuntiata dignitate metropolina, desiderabat abire ad officia simplicis episcopi. Talis nota est propria non solum hominibus profunde devotis, sed vere magnis ». (*In libro: « Unijnyj Zjizd u Lvovi », pag. 104*).

1936, 23. XII. LEOPOLI. INSTITUTUM STAUREOPEGIANUM LEOPOLIENSE.

Commemorat « verbis calidis memoriam magni filii Magnae Russiae, qui omnes vires suas et meliores annos vitae suae dedicavit reunioni Russiae cum Sede Apostolica et laboribus suis bene promeruit, ut nominaretur « Athlas Unionis » et « Columna Ecclesiae ». Commemorando hunc magnum virum silentio praeteriri non potest factum quod perficiendo magno programmati ut fiat unus pastor et unum ovile Metropolita Velamin Rutskyj adnitabatur non igne, non ense, nec odio, sed dulci verbo, caritate et instructione... » (*In libro: « Unijnyj Zjizd u Lvovi », pag. 35-6*).

1936. LEOPOLI. CONGRESSUS UNIONISTICUS LEOPOLIENSIS.

Fere omnes, qui in hoc Congressu partem habuerunt sive personalem sive per missas salutationes scriptas, Josephum Velamin Rutskyj vocant unanimiter et repetite: « Magnus Vir », « Confessor Unionis », « Propagator Unionis », « Gloriosus Metropolita », « Magnus Metropolita », « non obliviscendus Pontifex », « benemeritus Propugnator Unionis », « benemeritus Defensor populi » etc., cuius « memoria immortalis ». Omnia haec dicta fuerunt in occasione Iubilaei ter saecularis eius obitus, solemniter celebrata.

1936, 23. XII. LEOPOLI. ANDREAS SZEPTYCKYJ, METROPOLITA HALICIENSIS.

« Eius personae magnitudo meretur, ut undequaque cognoscatur et ut ab ea omnes discant, sacrificiis non obstantibus, pro exequendo hoc extraordinario et magno opere, cui etiam nos adlaboramus, pro Unione scilicet Sancta, adlaborare. - Biographus S. Josaphat, D. Guepin, iniuriam fecit, probabiliter,

Metropolitae Rutskyj, cum illum in umbra posuit, ut magis sanctum hieromartyrem Josaphat extolleret. Praeterea, eum nimis severe iudicavit, aliquando etiam iniuste, adscribendo pusillanimati ea, quae solummodo debili naturae humanae abhorrebat in conspectu actus hoeroici, quem ab ipso Providentia exigebat Divina. Inde necesse est, ut de his omnibus fusius scribatur nosque ipsi in proposito habemus biographiam scribere Metropolitae Rutskyj, et, Deo adiuvante, contendemus totam eius illustrare vitam, quacum historia S. Unionis intime iungitur » (*In libro: Unijnyj Zjizz u Lvovi, pag. XI-XII*).

1937. STANYSLAVIV. P. THEODOSIUS HALUŠČYNSKYJ OSBM.

« Primo in loco sublineanda est eius vere tenera puritas cordis magna que dilectio eiusdem angelicae virtutis... In Collegio S. Athanasii, Romae, Rutskyj fuit alumnus exemplaris. Usque in rebus minutissimis diligens erat in conservanda disciplina regulisque Collegii... Teste Raphaële Korsak, Rutskyj zelo vitae monasticae et poenitentiae spiritu S. Josaphat adaequabat... Extraordinaria vocatio Rutscii, eius virtutes vere hoeroicae, quas sibi aequisivit totali abnegatione in vita monastica, in manibus eius devenerunt donum, quod zelo apostolico sive ut Archimandrita, sive ut Episcopus suffraganeus Metropolitae Potij, sive ut Metropolita Kiovensis et Haliciensis totiusque Russiae decies multiplicavit... » (*In articulo: « Metropolita Josephus Joannes Velamin Rutskyj », in « Dobryj Pastyr », Stanyoslaviv, an. 1937, vol. VII, fasc. 4, pag. 262-263*).

1955. TORONTO. P. IRENAEUS NAZARKO OSBM.

« Sine ullo dubio J. Rutskyj considerari potest maximus omnium nostrorum Metropolitarum... Mens larga, quae omnes necessitates Ecclesiae et populi comprehendebat, ferrea voluntas, audacia intrepida, zelus inextinguibilis, activitas indefessa, indoles rerum componendarum et dirigendarum, dotes rhetoricae et litterariae, et in primis eiusdem vita profunde ascetica et virtutes supernaturales erant in causa eius ascensionis ad eam summitem, in qua ipse vivebat » (*In ephemeride: « Svitlo », vol. XVIII (1955), nr. 1, pag. 28*).

* * *

Praetereamus hic omnes has expressiones, quae inveniuntur in manubib[us] historiae ecclesiasticae Ucrainae et Bielarusjae, ut ex. gr. J. Pelesz, N. Czubatyj, E. Likowski, Gr. Lužnyckyj, qui verbis summis maximisque laudibus cumulant Josephum Velamin Rutskyj, Metropolitam Kiovensem. Fama eius laborum, virtutum et sanctitatis viget etiam apud Clerum et populum tum Ucrainae tum Bielarusjae ad hodierna usque tempora.

His dictis nihil remanet ad personam eius delineandam. Lectori vero *Epistolarum* eius cor apertum manet, ut profundius examinetur eius amor Dei, proximi dilectio et Unionis Sanctae Ecclesiae Christi maximum desiderium.

3. Notae ad bibliographiam J. Velamin Rutskyj


Valorem biographicum et proinde bibliographicum habent praesertim eius *Epistolae*, nec non omnia ea documenta contemporanea, quae de ipso tractant, quaeque in nostra collectione *Documentorum Romanorum* in lucem prodeunt. Praeterea, in principio omnis bibliographiae, quae de persona tractat Josephi Velamin Rutskyj, poni debet illa famosa Raphaëlis Korsak, Metropolitani Kiovensis, « *Vita Rutschii* », quam ipse, ut eius in laboribus socius et in dignitate metropolitana successor, durante sua commoratione romana anno 1639-1640 conscripsit. Proh dolor! hanc piae manibus habere non potuimus, propter circumstantias locorum et temporis nequitiam. In secundo loco ponenda est illa *Vita Rutskyj*, quam scripsit alias Metropolita Kiovensis, Leo Kiška (1714-1729), in manuscripto cui titulus: *Vitae Basilianorum* (cfr. *Analecta OSBM*, Ser. I, vol. III, pag. 516-519). Ignatius Kulczynskyj in suo *Specimine Ecclesiae Ruthenicae* de anno 1733, Romae, de illo breviter tantummodo agit. Quae scripsit P. Rodotà in suo libro: « *Dell'origine, progresso e stato presente del Rito Greco in Italia, libri tre* », Roma 1758, 1760, 1763, in libro tertio, ubi agitur de Collegio Graeco, iam supra adduximus. Quaedam bene dicta habet etiam Ign. Stebel'skyj in libro s. t. *Chronologia*, Vilnae 1782, et *Przydatek do chronologii*, Vilnae 1783. Ex saec. XIX notari potest illa iam famosa collectio documentorum auctore M. Harasiewicz, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, ubi plurima sunt documenta, quae periodum illustrant Metropolitae Josephi Rutskyj, ubique invenitur eius amplissima *Relatio de impedimentis Unionis*, quam nos etiam publici fecimus iuris (cfr. nr. 66). Hic etiam invenitur famosum scriptum Jacobi Susza *De labibus Unitorum*, in quo principaliter agitur de activitate Rutskyj. Anno 1885 apparuit Leopoli biographia s. t. *Zywot sw. Józafata Kuncewicza*, auctore Kalinka Valeriano, in quo etiam de Josepho Rutskyj amplissime agitur, modo tamen ei nimis iniurioso, ut extolleretur S. Josaphat. Deinde, hoc eodem decennio, prodiit in lucem prima magna historia Ecclesiae nostrae, auctore Juliano Pelesz, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, Wien 1880, vol. I-II, in qua optime de Josepho Rutskyj agitur. Anno demum 1897-1898, Parisiis apparuit biographia S. Josaphat: *Un Apôtre de l'Union des Eglises au XVII s. Saint Josaphat et l'Eglise greco-slave en Pologne et en Russie*, Paris-Poitiers, t. I, 1897, t. II, 1898, quae considerari potest vere duplex biographia: S. Josaphat et Josephi Rutskyj.

Nostro vero saeculo, praeter manualia historiae et quosdam articulos minores commemorare possumus: M. M. Marysiuk, OSBM *Mytropolit Josyf Velamyn Rutskyj*, Zovkva 1937; Theodosius T. Haluscynskyj, OSBM *Mytropolit Josyf Joan Velamyn Rutskyj*, in « *Dobryj Pastyr* », Stanslaviv 1937; I. Hazarko OSBM, *Mytropolit Rutskyj*, in « *Dobryj Pastyr* », Stanslaviv 1938; J. Skruten, OSBM, *Josyf Velamyn Rutskyj*, in « *Almanach Novoho Czasu* », Lviv 1938; J. Skruten, OSBM, *Spravznja prycyna Rutskivskych torzestv*, in « *Vistnyk Marijskych Tovarystv* », IV, 4, Lviv 1937; A. G. Welykyj OSBM, *Joannes Velamin Rutskyj in « exitu viarum » (1603-1608)*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, pag. 9-38; I. Nazarko OSBM, *Mytropolit Josyf Velamyn Rutskyj*, in « *Svitlo* », Toronto 1954-1955.

Silentio praeterire non possumus quod anno 1939 in lucem prodire cepit Leopoli biographia Josephi Rutskyj, in *Appendice ad ephemeridem «Lvivski Archieparchijalni vidomosti»*, quae tamen eventibus bellicis interrupta fuit quamque piae manibus habere non potuimus.

Speramus tamen, editis nunc Epistolis Josephi Rutskyj, mox in lucem etiam amplam prodire biographiam, quae novam periodum in vita Josephi Rutskyj investiganda introducet. Hac spe ducti, volumen hoc in lucem edere in forma praesenti nihil dubitamus.


P. ATHANASIU S G. WELYKYJ OSBM



Crux pectoralis Josephi Velamin Rutskyj

EPISTOLAE JOSEPHI VELAMIN RUTSKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS

1613 - 1637



JOSEPHUS VELAMIN RUTSKYJ
METROPOLITA KIOVIENSIS HALICIENSIS TOTIUSQUE RUSSIAE
1573-1613-1637

DOCUMENTA BIOGRAPHICA ROMANA

I

Roma, . . . 1609-1610

Prima longior adnotatio Annalium Collegii Graecorum de Urbe de suo olim Alumno, Josepho Velamin Rutskyj.

ARCH. COLL. GRAECORUM, *Cronica di tutti i Scolari..., vol. I, f. 202.*

Josephus Velamin RUTSKI.

Metropolita totius Russiae, vir magnae ac indubitatae apud omnes sanctitatis atque zeli in catholica fide propaganda ardentissimi. Inter alia plane heroica opera haec quidam, quod ad eius sollicitudinem in promovendo bono Ecclesiae attinet, praestitit.

I. Scholam saecularibus ad Monasterium SS.mae Trinitatis Vilnae¹ unitum sed desolatissimum instituit atque collectis pueris Ruthenis magistrum ab ipsis rudimentis solus egit, cum magno omnium, qui ipsum norunt senatorum ac Regni gravissimorum stupore, consanguineorum nobilissimorum abiurazione, sacerdotum utriusque Ritus aedificatione, conversis redditibus patrimonii sui iuvenes, quos docebat, alebat, et vestiebat atque demo ad hoc enim opus empta excipiebat, ex quibus postmodum aliqui Religionem ingressi sunt, maximo suo et aliorum emolumento. Hoc tam insigni praestito opere, adeo sibi apud Ruthenos magnum comparavit affectum, ut etiam ad fidem revertebantur.

II. Monachus S. Basilii professus² Monasterium SS.mae Trinitatis praeditum iam iam in manibus Schismaticorum tradendum simul cum B. Josaphat liberavit etc. etc. Digitos Metropolitae³ a quodam Schismatico in medio foro Vilnensi amputatos, convocatis per signum campanae Religiosis in ecclesiam et laetus « Te Deum laudamus » unitis omnibus vocibus accinuit. Rationem laetitiae cum Metropolita dicebat, quod scilicet eius essent omnes opinionis, illa sanguinis effusione omnes omnino Ruthenae Unionis tunc plane resurgentis, difficultates prae via auferendas.

III. Cum esset adhuc Archimandrita Vilnensis⁴ et ipse Ecclesiae negotiis distentus, non posset litteris Religiosos suos imbuere, alio in diversa loca imploratus querundam Catholicorum quasi inexpectatus est profectus, a duobus

¹ Vilna in Lithuania, capitalis urbs Ducatus Lithuaniae, et sedes de facto Metropolitarum Kiovienium catholicorum. Monasterium famosum, caput instauracionis monasteriorum tempore Metropolitae Rutskyj, quae instauratio nomen sumpsit Congregationis SS. Trinitatis Vilnensis. Cfr. M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, Romae 1949.

² Anno 1607, die prima Septembbris, ut fert traditio et Vita Rutscii.

³ Hypatii Potij, Metropolitae Kiovensis (1600-1613), anno 1609.

⁴ Anno 1609-1613.

Episcopis pro studiis mittebat. Qua in re PP. Soc. Jesu sanctum in ipso zelum admirati, unum e sua Religione Patrem destinarunt, qui stipem pro Religiosis illis colligebat, ipsi hospitium conducebant, vestes procurabant, victum subministrabant.

IV. In Episcopum Haliciensem⁵ ab Hypatio Metropolita consecratus atque in Coadiutorem Metropolitae cum futura successione assumptus, totus Archidioecesis amplissimae se dedit visitationi, Synodum quotannis Metropolitanam celebrando, sacerdotes confessando, fidei catholicae imbutos Sacramentis, et Schismaticos parochos expellendo, oppida et villas obuendo, ecclesias dedicando, Magnates ac Nobiles Ruthenos conveniendo, hos confortando, illos a schismate revocando, ita ut Schismatici publice excommunicationis praetensae fulmine ferirent suos, qui cum Iosepho Episcopo et Josaphat in communi Ecclesiae negotio Socio, conversarentur.

V. Sed praesertim Vilnensis incolis S. Ecclesiae apponendis maximum adiecit studium. Ergo iam palam disputando, iam variis officiorum generibus dimerendo (?), iam pabulo in Missa sustentando, iam causas in iudiciis promovendo magnam incolarum partem in Ecclesiam pertraxit...

VI. Meletium Smotriski⁶, Archiepiscopum intrusum Polocensem et Schismaticum, maximum Ecclesiae tum lingua tum scriptis persecutorem, in publicis disputationibus, iam privatis colloquiis in lucem pro fide catholica editis in Ecclesiae gremium transtulit effecitque adeo fervidum Catholicum, ut non modo lingua et scriptis pro Ecclesia egregie pugnavit (Mss. eius in Vaticana Bibl. dantur), sed etiam post mortem constantiam suam in obedientia erga Romanum Pontificem insigni miraculo contestatus sit. Cum enim Breve Apostolicum Urbani VIII, quod sibi in manum inseri adhuc vivus praecepiterat, vi inter pollicem et caeteros digitos protensos et iam rigidos atque concretos insertum esset, fortissime illud omnibus digitis strixit, atque post aliquas septimanas ad mandatum Josephi dimissum, iterum magna vi recepit. Tandem quasi suo functus officio, novo miraculo, miro manus positae suae rigidae vigore illud sibi acceptari ac auferri facile pro libitu cuiusque permittens, tenebat. Hoc miraculum omni diligentia et auctoritate pastorali firmatum per civitates Josephus ad Magistratus publicis litteris divulgavit, ardentiorem in Unitis suis pietatem erga Sedem Apostolicam excitando.

VII. Praeter alia sua pro fide tum privata tum publica colloquia illud quoque ante... conversione ad... insigne fuit Varsaviae coram toto Senatu in Comitiis Regni, ubi Pseudoepiscopi et Schismatici ad extremam redacti ignoraminiam clam prae confusione aufugerunt. Donec tamen Pseudometropolita (qui vivente Iosepho a Schismaticis electus)⁷ mortuus est, et Pseudoepiscopi vel in confinia Turcarum, vel in ditionem Moscovitarum secesserunt. Solus Meletius veritatem cognovit, ut diximus, agnovit. Habuit quoque in votis per Synodum Generalem cum Schismaticis agere⁸, pro qua re iam et libros Leopolim devehí miserat et ipse cum suis venerat, sed Schismatici non comparuerunt.

⁵ Anno 1611.

⁶ Meletius Smotryckyj, primum polemista anticatholicus, dein, conversus, strenuus propagator Unionis Ecclesiarum. Obiit anno 1633, Dermani, cum tit. Archiepiscopi Hierapolitani. Cfr. S. S. SABOL, *De Meletio Smotryckyj - polemista anticatholico*, Romae, 1952.

⁷ Hiob Boreckyj, anno 1620 consecratus a Patriarcha Hierosolymitano, Theophane.

⁸ Anno 1629 mense Octobri.

VIII. Civitatem Novogrodensem Anabaptistarum Secta infectatissimam penitus expurgendo, in suo ingressu primo in Metropolim, post decessum sui Praedecessoris, plures e civibus Vilnensibus ad Unionem accesserunt, et suae Religioni insignes iuvenes sese manciparunt, Josepho p^ra gaudio spiritu utcumque uberrime flente.

X (?). In quodam concessu nobilissimorum utriusque sexus, qui studio invitatus erat ab Episcopo Vilnensi⁹, ut suos consanguineos schismaticos converteret, post longum de S. Unione sermonem ad pedes Schismaticorum provolutus per Deum et amorem ipsius obtestatur, ut et ipsi suae consulerent saluti, et aliis suo exemplo et auctoritate persuaderent; effusis utraque in longum lachrymis efficitque tandem, ut (soror) praedicti Episcopi, Palatina Brestensis¹⁰, in agone plene schismati velediceret.

XI. Cathedram suam Kioviensem¹¹, Schismaticorum domicilium, ipse in sua persona adiit in medium, se vitae periculo coniiciendo et divino Numine invocato nil mali praeter fremitus Schismaticorum passus, publice in civitatem est ingressus, et in Cathedra aliquot septimanas celebravit. Quattuor tamen Religiosi, quos ibi ad divinum obeundum reliquit, incarceratedi, quamvis deinde ad mandatum Regis dimissi¹². Duo occulti Josephi discipuli, alter civitatis praetor¹³, alter sacerdos saecularis, decollati¹⁴. Archimandrita Vidubicensis, vir gravissimus¹⁵, a Josepho illi Archimandriae via... Kiovia distanti praefectus, a Cosacis dicentibus: Liberet te Papa et latina fides. Leopoli Josephus etiam de vita periclitatus est. Campanarum signo tumultus pulsato atque vulgo concurrente clamantibus: Caede, occide Apostamat, Haereticum, Papistam, Latinum, Pseudometropolitam. Aliqui etiam ex familiaribus fustibus gravissime occisi.

XIII. Religionem Divi Basilii M., ad regularem observantiam et disciplinam quasi nova instauratione reduxit¹⁶, ac promovendam S. Unioni applicavit. Regulas Divi Basilii in Compendium re legit¹⁷, et in Sapientia Conditoris... bonum monasticae vitae ordinem, commentis additis, operibus ex SS. Patribus collegit, Regulas vitaeque normam ipsi Metropolitae, Episcopis, Abbatibus destinandam praescripsit¹⁸.

XIII (?). Paralisi tactus, sciatem in pede dextera (et... cum adhuc esset Coadiutor Metropolitae) nunquam tamen passus est persuaderi, ut aut laboribus parceret, aut de vitae rigore relaxaret. Ad eos autem, qui de vita eius solliciti

⁹ Eustachius Wollowicz (1615-1630).

¹⁰ Filianna Wolowiczowa.

¹¹ In urbe Kyjiv, in Ucraina, quam Metropolitae Kiovienses propter circumstantias regionis inde ad anno circiter 1280 relinquerunt, et nonnihi hinc inde visitabant.

¹² Cfr. infra in *Epistolis Metropolitae*, sub nr. 29.

¹³ Nomen Praetoris erat Theodorus Chodyka. Cfr. D. DOROSENKO, *Narys istoriji Ukrayiny*, vol. I, pag. 214.

¹⁴ Verosimiliter agitur de Joanne Jozefovyč. Cfr. D. DOROSENKO, *ibidem*, pag. 214. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, Romae 1952, pag. 290.

¹⁵ Antonius Hrekovyč.

¹⁶ Anno 1617, in Capitulo Novogrodotvicensi. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Regimine Basiliorum Ruthenorum a Metropoita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, Romae 1949.

¹⁷ Cfr. infra, sub nr. 8.

¹⁸ Notae sunt tantummodo Regulae Episcoporum. Cfr. infra, sub fine huius collectionis. Regulas Metropolitarum, ut videtur, componere non iam potuit. De Abbatibus in Regulis monasticis tractavit.

curam sanitatis suadebant, dicebat: Ergone iam vos erga Patrem gratos monstratis, ut infelicem hanc in hoc mundo peregrinationem prolongare optetis? Vivem tantum, quantum me Deus pro bono Ecclesiae vivere ab aeterno constituit. De modo autem vivendi, eodem iuvatus, non mutabo. Domine Deus, Tu scis quia nolo vivere in hoc mundo, nolo, nolo.

XIV. Et vixit et obiit¹⁹ ad normam veterum Patrum atque sanctitatis suaे opinionem etiam apud ipsos Schismaticos et Haereticos reliquit. Testamentum quoddam, separatum ab eo in quo de temporalibus dispositus ante mortem²⁰, quam sibi ante decennium praedixerat, plenum pietate reliquit. In hoc praeter alia... se paratum fuisse etiam vitam pro S.R.E. profundere, maxime autem tunc, quando occasiones moriendi sese offerebant. Vitam autem clausit, ut ego quidem a quodam Abbatore accepi, istiusmodi verbis: Nemo extra Unionem cum S.R.E. salutem affirmavit. Alia plura adducenda, quae ad vitam ipsius pertinent, volens omitto, solum ea retuli, quae de ipsius zelo in propagatione Catholicae Religionis habere potui, imo aliqua alia etiam, quae brevitatis causa omisi. Hoc et in summa dicam iustum est, quod Unio tantum propagata fuerit, ut nunc est, vel soli ipsius sollicitudini acceptum referre debemus.

II

Roma, . . . 1609-1610

Alia adnotatio in Archivo eiusdem Collegii.

ARCH. COLL. GRAECORUM, *Cronica di tutti i scolari..., v. I, f. 38.9.*

GIOVANNI VELAMINO (*in margine additum postea: RUTSKI*).

Rutheno da Lithuania, fu d'indole ottima; studiò philosophia e theologia; poi con licenza de Superiori parti dal Collegio essendo andato alla Patria, dove con grandissimo zelo e vita esemplare cominciò ad insegnare e predicare la dottrina cattolica disputando continuamente con i Ruteni scismatici e difendendo l'autorità del Pontefice; poi... maggiormente per il frutto...

facendo, ricevette l'habito angelico di San Basilio, havendo tirato col suo esempio seco molti de altri nella Religione; al presente si trova in Vilna nel Monastero della SS.ma Trinità, essendo Abbatore di detto Monasterio²¹, vivendo con grande astinenza e bontà di vita e perchè sempre è stato zelantissimo dell'onore... e dell'esaltazione di Santa Chiesa, non cessa di mandare in diversi luoghi di Lithuania monaci del suo Monasterio per predicar e stirpar lo Scisma da i christiani cuori di quei popoli; si spera che in brevi tempo

¹⁹ Obiit die 5-II-1637, Dermani, in Volhinia. Cfr. infra, testamentum.

²⁰ Testamentum dispositionis de temporalibus plenum non habemus, nisi particulam de Tabulario Collegii Graecorum de Urbe extractam. Testamentum vero spirituale habetur in fine praesentis voluminis.

²¹ Concludere inde possumus, notam hanc factam fuisse adhuc anno 1611, quo anno iam nominatus fuit Episcopus Haliciensis,

con l'aiuto d'Iddio vi trarrà quelli genti desperati della salute al vero e sicuro
porto nella Santa Chiesa Romana, fuori della quale non si trova vera salute.

E' stato in Collegio otto anni²².

(*Nota tardior*): Fù Metropolita di quella nazione e si chiamò Giuseppe, nella
qual dignità morì santamente²³.

III

Roma, XVII saec.

*Brevis vita Josephi Velamin Rutskyj, Alumni Collegii Graecorum, descripta
in Cod. Ms. Nr. 10, pro defensione utilitatis Collegii Graecorum de Urbe.*

ARCH. COLLEGI GRAECORUM, vol. 10: *Historia Collegii Graecor. de Urbe*, P. I-a,
fol. 117-133.

DE JOSEPHO RUTSKIO MUSCHO²⁴ (*correctum*: RUTHENO).

Josephus Velaminius Rutskius, Graecorum in Urbe Collegii alumnus, eiusdemque propter magnitudinem et gloriam rerum gestarum eximium atque inelytum decus, in Moscovia nobilissimo loco natus est. Siquidem ex Velaminia gente, quae apud suos principatum olim obtinuit, Ducesque Moscoviae protulit²⁵, originem recta Velaminius noster ducebat. Huic a puero nomen Joannes impositum, quod deinde, dum Sacrae Militiae in Religiosis Castris adscriberetur, Josephi appellationem commutavit. Adolescens Herbipoli, in Urbe Germaniae nobili, Litterarum studiis sub Patrum Societatis Jesu disciplina operam dedit, quod vetus inscriptio in Graecorum Romae Collegii Tabulario asservata sic memorat: « Idibus Novembribus / anno a V. P. MDXCIX / receptus est in Congregationem Joannes Velamin sine ullo probationis genere, eo quod innotuerit sodalibus, ipsum antea / ut clare per literas, quas Patentes vocant declaratum fuit / unum ex Sodalibus Herbipolensis fuisse ». Annos natus tres et viginti²⁶, Romam contendit, ubi a Clemente Octavo, Pontifice Maximo, qui Ruthenos eorumque conterminos populos peculiari quadam charitate complectebatur, in Graecorum Collegium anno a V. P. nonagesimo nono supra millesimum et quingentesimum, Decembris tertia cooptatus est. Graecorum Collegii tunc temporis Societatis Jesu Patres curam habebant, quam a Gregorio quarto decimo primum suscepérunt. Illorum sub disciplina Velaminus octo ipsos annos est informatus. Philosophiae itaque institutis, Theologiaeque tractandis quaestionibus diligentem maxime atque assiduam navavit

²² Rediit in Patriam anno 1603. Cfr. epistolam sub nr. 1. Inde Romae commorabatur ab anno 1596, id e. a temporibus s. d. Unionis Berestensis, et proinde considerari potest primus Alumnus Ecclesiae Unitae.

²³ Anno 1637.

²⁴ De origine moscovitica plura narrabantur, ut videtur, ex Vita Rutscii. Sed ex ipsis verbis Rutskyj haec origo excludi debet. Cfr. A. G. WELTKYJ, *Joannes Rutskyj in "exitu viarum"*, in "Analecta OSBM", vol. I, fasc. 1, Romae 1949, pag. 9.

²⁵ Famosa familia Velaminorum, cum qua, ut videtur, Rutskyj nihil commune habuit, nisi nomen simile.

²⁶ Si consideretur eius adventus Romam anno 1596, tunc annus nativitatis eius videtur fuisse 1573-4, quod etiam confirmatur eius aetate 63 annorum, quos sibi adscribit in articulo mortis. Cfr. infra, testamentum an. 1637.

operam; primasque inter ea pietati, Religioni, probis moribus, christianaequaeque disciplinae universae virtutibus exercendis, constantia singulari, optimoque ceterorum exemplo semper attribuit. Unde brevi talis et tantus ille evasit Velaminus, quem non modo Septentrionalis plaga omnis, verum Universa quoque Christiana Republica ubique terrarum demirata pariter ac venerata est. Igitur in Patriam ad suos reversus, sanctissimarum virtutum exemplo omnibus praelucere, ferventissimoque de iisdem deque vera pietate ac religione verba faciendo ardore clarere coepit. Quod ut opportunius praestaret, Litterarum Ludum Vilnae, quae Poloniae Urbs est inter praecipuas nobilis, publicum aperuit²⁷, ad Religiosorum virorum Collegium, quod SS.mae Trinitatis appellatur. Hic teneris puerorum animis primoribus una cum litterarum elementis, solidae praecepta pietatis rectaeque religionis instituta omnemque christiano homini virtutem inbuendam altissime bonus Praeceptor infigeret. Tum vero ingenti sane admiratione singularem hanc Velaminii charitatem ac modestiam Senatorum quique ac Regni Principum nobilissimi sunt prosecuti. Neque hominis tam sublimi loco nati tantaque doctrina madidi ad minuta illa, atque humilia descensum, nullo neque gloriae, neque domesticae rei augendae emolumento sibi posse videbatur. At Velaminius exiguum id ratus si alienis tantum non ditesceret, sua continuo liberaliter est elargitus. Siquidem coempta domo, melioris, quos comperisset, indolis adolescentes multos in eam congregavit, ipseque de suo omnibus affatim alimenta prospiciens, in omnem utilius sincere religionis proborumque morum disciplinam informabat. Quare iis armis instructi, humanis plerique dimisis rebus, sacris sese religiosis familiis adiunxere; quique paternis imbuti hactenus divinam circa fidem erroribus fuerant, illis ex animo paulo post eiuratis sanae menti optimaeque frugi eius opera sunt restituti. Nec tamen intra domesticorum parietum angustias Velaminii ardentissima charitas contineri poterat. Publicis proinde concertationibus pravorum falsas de religione opiniones frequentissimis confutabat, robustissimisque ac gravissimis rationum momentis audacissimum quemque adversariorum, ut manus daret, cogebat; Romani ubique Pontificis supremam auctoritatem inculcando Graecorumque inania ac futile argumenta, mendaciis omnibus refertas, dissolvendo. Unde fiebat, ut incenso adeo dicendi genere permoti plerique superstitionem omnem falsam abiecerent, Christique ac Romani Pontificis, eiusdem in terris Vicarii, sequelam atque doctrinam publice profiterentur.

Porro qui ceteros adeo incendebat Orator, et ad egregia quaeque atque ardua suscipienda inflammaret seipsum ad preclarious sublimiusque vitae institutum capescendum non excitasset? Factum continuo: humanisque omnibus solemnni remisso nuntio ad Magni Basilii florentem adhuc iis in Regionibus Sacram Familiam quam citissime convolavit. Hic enim vero acerrimum illico, domestico tamquam hosti maximeque cavendo, corpori suo bellum indixit, diuque in eo afflictando, macerando ac diserutiando in horas ferme singulas totus fuit. Nec tamen idecirco externis cum hostibus, aut pacem aut inducias saltem aliquas vel momentum temporis fecit; quo imo eorum semper pravam doctrinam moresque perditos oppugnavit. His artibus brevi ad suorum quendam veluti Principatum evectus est. Namque illi sese regendos atque insti-tuendos tradere unanimes decrevere. Electus itaque Dux eorum, quem Graeca

²⁷ Anno 1604-1607.

illi lingua Archimandritam appellant²⁸. Quo illi munere ac magistratu sancte adeo atque prudenter est functus, ut non modo paeclarissimarum spectata quadam ac singulari exercitatione virtutum ceteris omnibus paeluceret, verum et ex sibi ad instituendum traditis subditis quamplurimos iis armis affatim instrueret, quibus exinde felicissimo successu Christianae Religionis infensis-simos hostes non impugnarunt modo acerrime, sed etiam fortissime magnam partem expugnaverunt. Per hos itaque Velaminius in illas quoque regiones, quas adire ipse, ac iuvare per se se minime poterat, ingentibus auxiliis adiuvit, maximamque ad Christi ovile reducum, quae diu aberaverunt, ovium copiam traduxit.

Mox Haliciensis Antistes est renuntiatus, atque haud ita multo post totius Russiae Sacrorum Antistitum Princeps, quem Metropolitam²⁹ appellant, crea-tus est. Quo tempore gravissimorum quaedam morborum congeries illum adeo vehementer assaltu est aggressa, ut de eius vita a multis fuerit desperatum. Dissolutione imprimis nervorum adeo laborare coepit, ut omnibus membris tremeret, ac neque ad incedendum, neque ad standum, neque tandem sese loco movendum vires satis suppeterent; femoris quoque dextri dolore vehe-menti correptus est, quem ischiadem Physici dicunt; demum oculorum quoque morbo est oppressus. Has ille inter corporis tam ingentes afflictiones erecto semper atque inperturbato animo versatus est; et quamquam ut decumberet ac quietis aliquid tam vexato corpuseulo tribueret, aut certe laborum ultra vires iam susceptorum quiddam minueret, vietusque asperitatem quadam tenus mitigaret, una amicorum omnium vox esset, ipse tamen ab instituta iam consuetaque vivendi laborandique ratione usquam dimoveri ne minimum quidem, tot licet monitoribus suadentibus, adductus est. Quin imo, cunctorum argumen-ta hoc egregio responso diluere solitus erat: In fide se tutela ac provi-dentia Supremi Numinis vivere; itaque illa omnia, quae sibi necessaria forent, impensius tanto curaturum, quanto ipse vel morbis vallatus, quae ad Divini Numinis gloriam conferrent, impensius curavisset: proinde nolle unquam quie-scere, ut diutius viveret, qui ad hoc tantum vivebat ut laboraret.

Ceterum ignis naturam imitatus, qui in proxima quaeque primum calefa-cienda maiores exerit vires, ad suorum quibuscum viveret institutionem reno-vandam ac perficiendam cogitationes cum primis intendit. Elanguerat magna ex parte, temporis diuturnitate, ut fit, in sacra illa Magni Basilii familia reli-giosae illae disciplinae vigor, quo antiquitus apud sanctissimos maiores suos olim floruerat. Quod ut errorum tenebrae, et a Romana Sede separatio, et bellorum vicissitudines, et denique humanarum rerum omnium conditio ac natura simul praestiterant, itaque Velaminus Magni Basilii Primi Parentis Regulas compendio collectas, additisque peculiaribus nonnullis Legibus, quae in universae eius familiae rem maxime essent, quaeque regionibus ac tempo-ribus illis maxime convenienter, sociis omnibus servandas proposuit. Quoniam vero ex Collegis multi ad civitatum ac populorum in illis quae ad Deum, religionem, pietatem, et mores pertinent, regimen, frequenter assumebantur, certas Velaminius ipsis quoque e sacra Magni Basilii familia creatis Antistitibus servandas leges descripsit, quibus seque ac sibi creditam provinciam utilissime

²⁸ Anno 1609, ut videtur. Cfr. IGN. STEBELSKI, *Ostatnie prace*, in *Scriptores rerum polonicarum*, vol. IV.

²⁹ Anno 1613, post obitum Hypatii Potij.

regerent. Quin et singulis Dignitatibus sacrisque Magistratibus tum intra tum extra Religiosa septa constitutis peculiares tradidit, quibus magno cuiusque bono uterentur, institutiones. Multa suorum Collegia, ut a fundamentis de novo excitarentur omnimodis institit et curavit; multa quoque ex eorum, quae a Romana Sede desciverant manibus eruta, ad suorum qui eidem Sedi coniuncti erant manus traduxit. Tyrocinii pariter suis domum fundavit³⁰; ad cuius institutionem certos Societatis Jesu homines ab Generali eiusdem Praeposito impertravit, qui Magistrorum munere fungentes, tyrunculos illos in omnem pietatem religiosorumque morum disciplinam informarent. Porro in eam domum Vellaminius non tyrones modo, qui nuper saeculo renuntiassent, verum alias quoque tum aetate tum religiosa vita proiectos, qui etiam ex ipsis Moderatoribus ac Rectoribus multos, ut a Societatis Patribus peculiari ea ratione instituerentur, dimisit. Quo quidem facto gloriosius nullum praestitisse, procul dubio videtur. Cum humana omni ratione et cogitatione posthabita, seque ac suos alienae institutioni subiicere, quidquid tandem adversarii omnes indicassent ac mordissent, universae Familiae suae solida unice utilitate sibi proposita minime dubitavit. Quibus omnibus executioni mandandis, quas ille contradictiones, quae impedimenta, quot adversarios superaverit, aequus quisque ac prudens rerum aestimator facile apud se statuet.

Jam vero his domi ita compositis ed ea, quae foris reparanda restarent, nervos omnes ac spiritus intendit. Unionem itaque ac coniunctionem Ruthe norum cum Romana Petri Sede promovit quamque maxime. Suos igitur pri mum omnes qua voce qua scriptis Litteris ea in Unione plurimum stabilire, illisque armis instruere, quibus non modo ab aggressoribus sese tutarentur, verum et adversarios quosque aggredientes facile negotio debellarent. In eam mentem curare summopere, ut e suis aliqui Romae semper in Graecorum Collegio alerentur. Ibi enim, aiebat, eos facillime tanquam ab illimi fonte Divinarum de Religione Institutionum viventes aquas hausturos, quibus imbuti ac maditi ad suos iisdem vicissim imbuendos aptissimi remearent. In eo Collegio, (quod sibi primum evenisse confirmabat), ea omnia praeiudicia, quae contra Romanum Pontificem ac Latinam Gentem diu soverant, neque hactenus omnino animis abiecerant oculator rerum longe aliter ac putaverunt sese habentium testimonio convictos illico deposituros. Sub Societatis Jesu vero disciplina (quod hominis praeclarum erat de nostra hac familia pro sua humanitate iudicium), virtutum omnium tum quae religiosum animum decent, tum quae Divini Verbi seminatorem ad per difficile munus suum rite reeteque exercendum sunt necessaria, uberrimam eos brevi segetem collecturos.

Iam vero in traditi sibi gregis cura custodiaque vigilantissimum sese praebbat. Siquidem quotannis singula vastissimae ditionis suae loca vel minima, vel longissime posita ipse coram invisebat, ubique vero cuncta, quae opus forent, laboris omnis difficultate postposita alacer obibat. Nunc solejni Pontificioque ritu ad aram facere, nunc sacerdotio aliisque ad eam dignitatem gradum facientibus ordinibus idoneos multumque probatos candidatos initiare, sanctissima mysteria distribuere, sacras aedes consecrare, nobilissimosque quosque ac primarios totius Russiae viros adire, illosque ad Romanae Fidei ac Sedi firmiter stabiliterque inhaerendum lenissimis aptissimisque colloquiis con-

³⁰ Meletium Smotricium. Cfr. supra, nota 6.

firmare, quorum multos ab errore in viam salutis reduxit, Unionemque apud omnes his artibus cum Romana Sede mirum in modum promovit.

Porro haec concordia laborum suorum, itinerum, studiorum denique omnium praecipua illi proposita meta fuit. Eorum proinde, qui falsas de religione opiniones mordicus tenebant, seque ab Romano Pontifice segregatos profitebantur, animos industria omni adhibita, ratione omni tentata in omne obsequium omnemque comitatatem conformatus benevolos primum sibi reddere satagebat, mox ut reddidisset, atque ad argumentorum momenta pensanda attentos ac praeparatos nactus esset, argumentorum vim omnem validissimis quibusque propositis disputando exercebat; rursus ad liberalissimae charitatis exempla conversus pauperum, ipsorum etiam sectariorum causas gratuitus ipse patronus suscipiebat et tutabatur. Denique in aerumnosos omnes large effuseque donando misericordiam praestantissimam impendebat. Si vero his omnibus saepius tentatis nihilum profecisset, quod obseratis auribus obduratoque corde illis semper resisteretur, haud tamen animis cadebat, verum cum neque publicis privatisque colloquiis neque propositis Divini Verbi ac Sanctorum Patrum testimoniosis ac litteris a se consignatis, auditoribus suis, ut veritatem agnoscerent, persuasisset, ad precum validissimum omnium potentissimumque instrumentum convertebatur, et caelesti huic industriae copiosus persaepe fructus respondit. Quod illi inter caetera quandam contigit cum apud Vilnensem Antistitem in nobilium virorum corona, qui ipsius Antistitis consanguinei erant, ad verba facienda diu consedisset. Cum enim ab eo Antistite, ut de vera religione, rectaque ad aeternam consequendam salutem viam, ut eoram audiencibus disputaret, rogatus esset, validissimasque ad persuadendum aptissimas rationes Velaminius ingenti animi ardore vocisque contentione proposuisset, nec tamen eorum aliqui humana scilicet non tantum perfidia ac duritie, quam praepostera quadam verecundia impediti, propositae veritati manus darent, ad singulorum genua vir ac Praeses tantus accidere et unumquemque uberibus perfusis lachrymis obsecrare ac per Deum obtestari, ut sibi tandem in tempore consulerent, rectamque, dum licet, viam salutis capescerent; alios eiusdem dignitatis ac nominis nobilissimos viros, qui exemplo praeiverant, inspicerent ac sequerentur ad imitandum exemplum facturi: vocis pondera lachrymae sunt assequutae, precumque praestantissimus fructus, auditorum ex iis multorum mentis mutatio atque ad veram religionem Romanaque cum Sede concordiam transitus fuit.

Cum saepe virum primarium et in errore obfirmatum obstinatissime frustra disputationibus fuisse aggressus, interrogatus demum ab illo fuit, num ea quae tam constanter de Romanae credulitatis sinceritate ac veritate praedicabat, iuramento adhibito ita se habere palam confirmare ausus foret, Velaminius nulla interposita mora, Divini Verbi allato Codici apertoque in genua procumbens, manibus super impositis, neminem a Romana Petri ac Successorum eius fide concordia alienum, aeternam consequi vitam posse; nullumque qui utrique ad ultimum usque spiritum, moribus christiano homine dignis adhaesisset eadem aeterna beatitate privari posse, coram omnibus sacramento confirmavit. Qua hominis promptitudine et constantia adeo adversarius permotus est, ut erroribus continuo vale dixerit, constantissimusque in ea mente ad extrellum usque spiritum perseveraverit; qui etiam templa nonnulla concordibus cum Romana Sede Christianis de suo ipse liberaliter extrui curaverit.

At illud illustre cum primis ac singulare praestitit Velaminius, quod Meletium Smolenschium³¹, Polocensem antistitem, mox Hieropolitanorum Antistitum Principem ad Romanae Sedis partes traduxit. Hic namque non modo ab ea Sede pertinaciter segregatus, verum et cum ea coniunctorum quorumcumque insectator erat accrimus. In hos qua voce qua datis epistolis librisque conscriptis publice privatimque invehendi vehementissime finem nullum faciebat. Illum itaque Velaminius iisdem armis adortus, nunc privatos secum sermones adhibere, nunc publica miscere colloquia, doctissimas modo disputationes in illustrium virorum corona coram illo ac contra illum instituere, modo libellis conscriptis adversarii argumenta singula confutare; denique nullum lapidem non movere, quo de illo victor evaderet. Unde voti demum compos gloriosam victori sibi victoque apprime utilem ac necessariam de eodem victoriam retulit. Neque tantum eidem cum Romana Sede sentire persuasit, verum et Sedis ipsius defensorem invictissimum acerrimumque propugnatorem effecit. Nunquam enim post illa Meletius aut voce disputando, monendo, cohortando, aut calamo libros conscribendo a semel sibi per Velaminium traditae veritatis defensione cessavit. Cuius scripta id quoque honoris ac testimonii consecuta sunt, ut Vaticanam ad Bibliothecam Romae afferuntur, ibidemque publicum ac perenne tum Meletii tum Velaminii virtuti trophyum ac perpetuum posteris omnibus monumentum asservarentur. Ceterum diem Meletius multos ac magnos in tuenda ac propaganda religione post exhaustos labores obiit sanctissime, eiusque ex animo in Romanum Pontificem obedientia atque observantia, ingenti prodigio in eius obitu divinitus est confirmata.

Siquidem cum iam moriturus suis paecepisset, ut cadaver de more Pontificalibus indutum vestibus iuxta religiosum gentis ritum efferrent, dexteraque cadaveris Literas Urbani Octavi, Romani Pontificis, quibus Hieropolitanus Antistes Meletius creatus fuerat³², in suae erga Romanum Pontificem obedientiae testimonium tenendas insererent. Illi vestibus quidem Pontificis defuncti corpus ornarunt. Verum Urbani Literas dextera statim inserere sunt obliti. Quinque tamen elapsis ab eius excessu horis, tum demum Antistitis sui de iis Literis sibi apponendis voluntas, quibus curae erat, in mentem venit. Attulerunt itaque ut apponenter. Obriguerat iam omnino cadaver, quod regione admodum septentrionali, atque adeo Decembri mense eas horas spiritu destitutum perduraverat. Prodigio tamen ingenti, appositas Litteras inanimis ea dextera pollicem intra atque indicem non continuit modo flexilis atque palpabilis, verum detenuit arte adeo atque constrinxit, ut chartam vi compressionis plicaret. Dumque eas Litteras, qui circa erant, accomodare extensius procurant, eas e mortuis digitis evellere irrito semper conatu tentaverunt. Attoniti proinde rei miraculo domesticos ad intuendum periculumque faciendum num vana luderentur imagine continuo convocant. Verum eas Litteras e demortui dextera evellere et a domesticis omnibus frustra conatum. Divulgata mox insequenti luce rei per urbem fama ingentes tum eorum, qui Romanae Sedis communionem suscepserant, tum vero illorum, qui in discordia adhuc perstabant, concursus fieri coepit. Hic spectantibus singulis omniaque diligissime saepius circumspicientibus, num fraus aliqua forte lateret, num alliatae illae Litterae occulto aliquo vinculo detinerentur; prodere sese omnibus

³¹ Meletium Smotricium. Cfr. supra, nota 6.

³² Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 482, nr. 412, sub data 5.VI.1631.

prodigium evidentissime, nullis enim prorsus coniunctae vinculis, nullaque humanitus arte, verum superna quadam ac divina virtute a demortua illa dextera tam arte constringi ac detineri toties per tot homines periculo facto apertissimae deprehensae sunt. Si enim quis violentius eas Litteras evulsurus protraxisset, tum vero manus, brachium corpusque totum trahentis impetum sequi potius, quam dimitti Litterae cernebantur. Inter haec aberat Velaminius noster, qui paucis post diebus ad locum cum accessisset, deque tam illustri tamque valido ad Romanae Sedis cumque ea promovendae concordiae causam prodigio certior factus, ostendi sibi Meletii cadaver iubet, tum Litteras, quas dextera adhuc constrictas tenebat, tradi sibi ex obedientia eidem imperat. Stupentibusque cunetis, ecce tibi rigida tamdiu dextera aperiri continuo litterasque Velaminio tamquam Antistitum principi, cui vivens Meletius paruerat, lenissime dimittere. Rursus Velaminius ut eas Litteras recipere, imperaret; illaque denuo statim arripere constrictasque ut antea detinere, perinde ac si reliquis omnibus humanae vitae actibus mortuum Meletium uni obedientiae et in Romanum Pontificem obsequio vivere adhuc facile dices. Iam vero aliquot rursum lapsis diebus et manus omnibus promiseue tentantibus dimittere ac recipere passim easdem Litteras flexilis iam ac palpabilis constanter est visa. Tanta Deus Optimus Maximus miraculorum gloria servum suum, qui ex hoste divinae rectaeque fidei propugnator acerrimus Velaminii opera atque industria evaserat, ornare ad maius in dies fidei eiusdem praesidum atque incrementum benignissime dignatus est.

Porro et alios Velaminius triumphos de perfidia pro veritate reportavit. Multos namque Sacrorum Antistites in discordia atque erroribus animo obfirmatissimo gravissimis rationum et argumentorum momentis ad incitas omnino redigit. Qui si veritatem perspectam re ipsa amplexi non sunt, saltem armis abiecti ac spe omni non modo referendae victoriae, verum et sustinendae concertationis funditus sublata, turpissime (sese victos vel sic palam professi) fugae tradiderunt. Cum enim Velaminius in publicis Regni totius atque adeo Regis ipsius Poloniae conventibus celebratis illorum penitus audaciam disputando fregisset, nobilissimusque ille Senatus ei causam adiudicasset, consulere sibi adversarii, seque in tuto collocavere, Turcarum alii finibus, alii Moschorum ditionibus recepti. Cumque illos Velaminius ad Generale Polonorum Antistitum, qui Graeco Ritu viverent, adeundum Concilium invitasset, ulterioris ignominiae reportandae metu, a rationibus experimento sic destituti, certaminis aleam iterum subire detrectaverunt.

Haec tamen hostium fuga Velaminii periculo minime caruit. Siquidem quod apertis proeliis tentare iam non audebant, ut Velaminii validissimas orationes retunderent, aut saltem elevarent, id compendio se confidere posse rati, si Velaminium ipsum adversarium ceteroquin invictissimum per fraudes, occultasque machinationes de medio tollerant; hoc artibus omnibus atque dolis saepissime experti sunt. Itaque eius vitae insidias passim instruere, et cum Leopoli in urbe Poloniae frequentissima ad hostilis sectae templum Velaminius forte accederet, illud rati velle eum occupare, confessim signo per turrium tintinnabula dato cogi continuo incredibilem populi multitudinem plebique permixtos nobiles, facta seditione, concitatoque tumultu, inconditissimis clamoribus in eum omnes facto agmine irruere exclamantes simul: tene, occide, patriorum rituum desertorem, occide erronem, macta Pontificium Romanum

Latinumque de medio tolle; interface falsum totius Russiae Antistitutum Principem. Mox tormentum quoque bellicum in illum suosque a furentibus explosum, quod tamen a Velaminio vivifieae Reparatoris Crucis signo contra exhibito, disruptum quidem est in explodendo, at nulli vel minimum detrimentum creavit. Aegre tandem per Magistratus sedato tumultu, impios in aggressores seditionisque excitatores diligentissime inquisitum est. Iamque iuxta Leges cum in illos severissime esset animadvertisendum, intercessit Velaminius iustumque ac meritissimum ceteroquin supplicium est deprecatus, praeclariori de suis hostibus ac rariori, tantae in eos charitatis exemplo exhibito; relata victoria.

Volhiniam Provinciam obibat, cum Stepanium urbem ingressus a tumultu sectariorum plebe iniuriis ac probris exceptus est³³, quin et fimo lapidibusque in illum iactatis e comitum numero percussi nonnulli, popularisque furoris victima ipse quoque quamvis clauso veheretur curru procul dubio eccidisset, ni militiae dux in tempore accurrens ab imminenti iam iam exitio virum innocentissimum liberasset. Maioribus quoque vitae discriminibus presentissimisque periculis saepius obiectus est, cum per totam Russiam atrox adversus Romanam concordiam persecutionis procolla a nefariis hostibus est excitata. Verum incredibili ipse virtute et constantia, intrepido semper vultu erectoque animo omnia perditissimorum hominum machinamenta delusit, a seque et a suis aedibus quoque sacris ac bonis omnibus hostiles semper iniurias atque impetus propulsavit.

Vilnae dum sui Ordinis Collegio praeesset, repetitos hostium assaltus Sacram Aedem ac sacros incolas invadere magno impetu conantium fortiter repulsa³⁴. Nec Superum semper manifestum auxilium veritatis propugnatoribus defuit. Siquidem quadraginta illorum heroum animae, qui olim apud Sebastianum Armeniae urbem pro Christo illustre testimonium moriendo tulerant per aëra armatorum militum specie discurrere visae³⁵, quae impios Velaminii aggressores ab eo scelere, intentatis minis, trepidissimoque pavore percusso ex improviso mirabiliter absterruerunt. Cuius superni prodigii ipsos praeter adversarios ita fugatos etiam Deo Sacra integerrimaeque ac sanctissimae vitae Virgo, cui species eadem obiecta oculis, locupletissima publice testis fuit. Vilnensis pariter Magistratus et Palatini auctoritate atque armis saepius ab improvisis aggressoribus est liberatus. Ut vero sua in Sede Chioviae sacer Antistes sederet, adversariorum suorum, qui nidem ibi suum collocaverunt, vultus ac minas fuoremque adeo non extimuit, quin etiam solemni pompa eam urbem ingressus, solemniter quoque omniisque apparatu Sacris est operatus, publiceque propria in Sede consedit. Nec Divino mirum in modum Numine eum protegente mali quidquam aut detimenti, inanes praeter ac sibi gloriosissimos impiorum fremitus, passus est. Quattuor autem e suis, quos ibi ad ea sacra curanda reliquerat, post eius discessum custodiae et vinculis per adversarios traditi, Regia paulo post auctoritate intercedente dimissi sunt.

Invicta eadem constantia urbem Novogrodum Arianis maiori ex parte confertam sua suorumque indefessa opera et cura ab ea peste purgandam suscepit. Quod illi ex voto adeo successit, ut eiurato passim a popularibus

³³ Cfr. sub anno 1629, sub nr. 109.

³⁴ Anno 1609, die 9-III, festo Quadraginta Martyrum Sebastenorum. Eventus hic in Ordine Basiliano usque ad nostra tempora commemoratur.

³⁵ Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat*, vol. I, pag. 284-285.

errore ad paucissimos Ariana secta redacta fuerit, exiguum quoque ille... obstinatiorum in perfidia numerum, ut ea ex urbe in longinquum expellerentur exilium publico Civitatis decreto impetravit.

Verum in tot tantorumque laborum medio veluti cursu, quippe annum agens nonum tantum et quinquagesimum, praesaga sui exitus mente praedictaque, ut per nonnullos vulgatum est, obitus sui die, vitam sanctissime inter divinae propagandae gloriae tam praeclara opera sempre ductam, sanctissimo pariter colophone imposito, optimaque clausula, magnis in universam Christianam Rempublicam Septentrionales praesertim Graeci Ritus regiones meritis clarissimus, omniisque virtutum genere ornatissimus obiit, februarii vigesima, a Virginis Partu trigesimo quinto supra millesimum et sexcentesimum³⁶, in Dermanensi suo Ordinis Collegio. Eius corpus post duos menses Vilnae translatum lugubri pompa solemniter populo ad spectandum propositum nullo neque terti odoris neque corruptionis vestigio foedum, civitas universa demirata pariter ac venerata est, quin etiam solidos post viginti annos, cum Moschi Vilnam aggressi sunt, Velaminii corpus integerrimum, candidum, flexibile ac molle perinde ac si viveret, repertum est³⁷.

Ab exitu solemniter funeratus summisque laudibus linguis omnium celebratus, illique pluribus locis singulari pompa parentatum est³⁸.

Ceterum constantissima sapientissimorumque hominum testimonis confirmata obtinuit fama, ab Velaminio toto vitae sua tempore, quo suorum cum Romana Sede concordiam artibus atque industriis omnibus et laboribus promovit (quod septem vel octo et viginti annorum spatium non excessit) vices centena hominum millia ab erroribus circa religionem et Romanis Pontificibus obstinata separatione ad rectam fidem Romanaeque Sedis obedientiam traducta. Nec defuere qui tricies quoque centena hominum millia ab eo in viam salutis reductae fuisse memoriae proderent. Certe Joannes Baptista Adrianus, Societatis Jesu Theologus, qui in Graecorum Collegio diem obiit suum, in oratione, quam de Gregorii tertidecimi laudibus in Aula Collegii Romani maxima de more habuit, id coram frequentissima ac sapientissima Auditorum corona asseverare non dubitavit his verbis: « Si Josephum Rusticum totius Russiae Metropolitanum Antistitem auditum, operam praedicati Gregorii manuum, cuius enim opera tricies centena Schismaticorum millia censemur catholicae redditam communioni ». Quod si incredibile cui foret videretur, is apud se reputet, quam vastas quamque populosas regiones excollendas Velaminius suscepit. Certe Rutheni amplissimam Lithuaniae dititionem occupant universam, in tres utique Russias, quas Albam, Rubram et Nigram nominant passim dispersi. Porro Velaminii aetate Russiae pars, quam Nigram appellant, Regibus Poloniae maiori ex parte parebat, quae Moscho nunc imperatori subiacet. Sparsi quoque sunt Rutheni in alias Maioris Minorisque Poloniae partes, in Provinceis Podlachiae, Podoliae, atque Volhiniae, per Livoniam pariter atque Pannionam³⁹. His in regionibus, quarum vastissimam amplitudinem geographicis tabulis expendere quivis facile poterit, qui Graeco in Sacris Ritu utuntur Rutheni, populosas habent urbes, magno

³⁶ Reversa obiit die 5 Februarii an. 1637.

³⁷ Anno 1655.

³⁸ Reversa corpus translatum fuit Dermani Vilnam, per totam fere Russiam Albam.

³⁹ In Ucraina Carpatica, s. d. Eparchia Mukačoviensis. Cfr. ex. gr. B. PEKAR, *De erectione canonica Eparchiae Mukačoviensis*, Romae 1956.

numero ditiones, Palatinatus, in quibus vel soli vel Latinis admixit degunt. Itaque ad huiusmodi regiones omnes incensissimus Velaminii in veritate ac sincera religione propaganda ardor se extendit, quoque coram ipse penetrare non poterat, suos aut Collegas aut certe libros immisit. Porro sui Ordinis asseclis quam plurimos tam privatos sacerdotes tam sacros Antistites ad Divinum opus urgendum et ulterius in dies singulos promovenum exemplo accedit, cohortationibus animavit, doctrinis instruxit, imperio confirmavit. Ut haec omnia propriis rationum momentis rite expendenti, tam ingentem hominum multitudinem ab eo per se suosque ad Romani Pontificis unionem traductam fuisse, incredibile minime videtur.

Et Velaminii quidem res pro Christiana Republica fortiter adeo atque praeclare gestae, a suis, qui oculati magnam illarum partem testes fuerunt, ruthenica lingua fuse descriptae sunt⁴⁰. Ceterum Romae earundem Commentarium minime extat, quae autem de tanto viro brevi hac narratione cursim attigimus, ea ex manuscriptis codicibus, qui Graeci Collegii Tabulario assertantur, fideliter a nobis deprompta sunt⁴¹. Quaedam per Velaminium ab eius obitu patrata prodigia circumferuntur, quae quoniam haud satis mihi sunt explorata, huic narrationi adscribere necesse non habui. Verum hunc eximium et celeberrimum egregiis laudationibus multi sunt prosecuti. Horum unius alteriusve testimonium quin subdam facere nullo modo possum. Itaque Sfortia Pallavicinus, Societatis Jesu, mox Cardinalis, in Narrationibus Virorum Illustrium, qui e Romani Collegi disciplina prodierunt, anno Societatis Jesu saeculari editis, hoc de Velaminio protulit testimonium: «Giovanni Velamino Ruteno, reprendendo poi con l'habito di S. Basilio il nome di Giuseppe, fu gran Rocca della Fede Cattolica in Lithuania, et indi eletto Metropolita lasciò esempi segnalati di penitenza religiosa, di dottrina profonda, e di zelo apostolico». Alterum de Velaminio testimonium ex oculato teste proferendum. Hieremias Barbaricus, hic est Paronae Antistitum Princeps⁴², qui cum sese ob Religionis propaganagae negotium promovendum in Poloniā transtulisset, a Velaminio honorificentissime atque amantissime hospitio exceptus est, hominisque virtutem coram est admiratus. Quare in epistola quam ad Raphaelem Korsakum, tune Pinski Antistitem, totiusque Russiae sacri Princepatus adiutorem dedit, haec inter cetera addidit de Velaminio: «Visum sum mihi videre divum Joannem Chrysostomum, tanta hominis fuit clementia, comitas, lenitas, mansuetudo, charitas et honorificentia, qua me complexus est: certe tanto gaudio me exceptit, tantoque affecit honore, perinde quasi digniorem nunquam hospitem suscepisset. In eo viro atque Antistitum in Russia Principe ardentissimum dilatandae Divinae Glorie desiderium, Sanctaeque Unionis promovendae curam vigilantissimam plane perspexi, Romanae Sedis auctoritatem atque honorem tutandi strenuissimum atque invictissimum animum, veritatis denique stabiliendae, sublatis erroribus per haec tempora in universa septen-

⁴⁰ Nescimus de quanam agitur descriptione. Nam *Vita* eius in lingua tunc temporis ruthena non invenitur, nisi illa scripta in lingua latina, s. d. *Vita Rutscii*, quae auctorem, ut videtur, habuit eius in Cathedra Successorem, Raphaelem Korsak (1637-1640). Cf. nostram *Biographiam*.

⁴¹ Hodie non iam plura remanserunt in hoc Tabulario, vel saltem non facile reperiri possunt.

⁴² De hoc Episcopo occiso in Polonia an. 1634 cfr. etiam in epistolis Metropolitae Rutskyj, anno 1634-1635.

trionali plaga constantiam incredibilem sum demiratus. Profecto me debere ob hoc illi multum profiteor, Deumque Optimum Maximum oro atque obsecro, ut incolumem diu tantum virum Universae Christianae Reipublicae bono servet. Siquidem non minima angor cura de Russia talem tantumque sui Patrem ac Patronum ob plurima populorum peccata rapi sibi promereatur; virum inquam egregium Magni illius Andreeae sectatorem, atque imitatorem, qui primus e divinis illis duodecim Christi discipulis et Praeconibus Ruthenis lumen veritatis qua vocibus qua patratis prodigiis manifestavit ». Haec Barbaricus in summa ad Korsakium scribens de Velaminio. Et sane eius testimonium gravissimae esse auctoritatis, quis dubitet, cum effuso sanguine datusque fortissime pro vera Christi religione cervicibus quaecumque egerit ac scripserit Barbaricum hunc confirmasse, ut in loco narrabimus, satis constet. Huic de Velaminii rebus gestis brevissimae narrationi coronidem merito imponant Urbani Octavi, Pontificis Summi, inter alias honorificentissimae tres Velaminii appellationes. Siquidem optimus ille Pontifex, datus ad Velaminium Pontificiis saepius publice litteris, illum *Atlantem Unionis, Athanasium Russiae, Columnam Ecclesiae* appellare non dubitavit⁴³.

Ceterum Velaminio suo tam insigniter de sua gloria benemerenti Graecorum Collegium immaginem adhuc vivo in perpetuum grati animi monumentum decrevit, vestibulumque ante ipsum, ut introeuntibus omnibus continuo in oculis esset, posterisque Alumnis perpetuo ad virtutem omnem foret incitamento apposuit, cum inscriptione quae sic habet: « JOSEPH VELAMINUS RUTSKI RUTHENUS. COLLEGII GRAECORUM ALUMNUS⁴⁴ ».

Hunc Magnorum Moschoviae Ducum sanguine Velamino clarum Collegium hoc primo, deinde ab absolutis hic studiis doctrina ac virtute praestantem Ordo Basiliensiscepit. In quo supra vicies centena Schismaticorum millia Ecclesiae Catholicae aggregavit. Dictus proinde ab Urbano VIII Athanasius Russiae, Atlas Unionis, Columna Ecclesiae. Praenuntiato suae mortis die, meritorum plenus excessit. Eiusque eadaver magno integratatis suffragio viginti post annis undique incorruptum apparuit ».

In Aula quoque Collegii sub imagine Velaminii⁴⁵, inter praecipuas Viros illustrium collocata, sic legitur:

JOSEPH VELAMINUS RUTSKI RUTHENUS.
ARCHIEPISCOPUS TOTIUS RUSSIAE.

Illud autem tot inter decora Velamino cum primis gloriosissimum, quod suos inter asseclas atque discipulos a se imbutos virum sanctissimum, Josaphatum Polocensem Antistitem annumeraverit⁴⁶, qui effuso sanguine datusque fortiter pro Christi fide ac Romanae sedis defensione cervicibus inter Beatos illos Caelites, quibus sacri cultus honores decernuntur ab Urbano VIII P.M. insigni prodigio cooptatus fuit⁴⁷.

⁴³ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, Romae 1953.

⁴⁴ Imago haec, proh dolor, hodie non iam invenitur in Collegio Graecorum de Urbe.

⁴⁵ Agitur de quadam alia imagine, quae etiam hodie non iam invenitur.

⁴⁶ Martyrium obiit die 12.XI.1623, Beatorum catalogo adscriptus an. 1643, Sanctus vero declaratus an. 1867. Cfr. A. G. WELYKYJ, S. *Josaphat-Hieromartyr. Documenta beatificationis et canonizationis*, vol. I, Romae 1952, et vol. II, Romae 1955.

⁴⁷ Anno 1643. Cfr. Breve sub data 16.V.1643.

Hinc sapiens quisque rei aestimator facile apud se reputabit, quam im-
merito Graecorum Romae Collegium tamquam inutile Christianae Reipublicae
ab imperitis nonnullis suggilletur, quod vel in uno suo Alumno Josepho Velam-
inio plus certe utilitatis eidem Christianorum Gregi contulerit, quam ferme
omnes (ausim dicere non immerito) quorundam Collegiorum, qui ex eis in
hanc diem prodiere Alumni conferre potuerunt. Unde et si praeter Velami-
nium alium neminem Graecorum Collegium utilem Alumnū christianis po-
pulis protulisset, vel in posterum esset prolaturum, utilissimum nihilominus
eo uno partu extitisse, Gregoriique tertii decimi Conditoris sui liberalissimi,
cui vel unum unicum Graecum hominem servare tanta impensa satis fuerat,
menti atque institutioni uberrime respondisse dicendum foret. Verum et alias
a Velaminio non paucos illustres viros ex eodem Collegio prodidisse incredulis
atque imperitis iam ostendamus⁴⁸.

⁴⁸ Revera fere omnes e. gr. Metropolitae Kiovenses erant Alumni huius Collegii, et
alii quam plurimi Episcopi et monachi.

**EPISTOLAE JOSEPHI VELAMIN RUTSKYJ
MONACHI BASILIANI, ARCHIMANDRITAE VILNENSIS
EPISCOPI HALICIENSIS**
METROPOLITAE KIOVIENSIS

(1603 - 1637)

I.

Roma, 15 . II . 1603

Litterae Joannis Rutskyj ad Nicolaum Radziwill, de diversis negotiis et notitiis spectantibus potius res orientales (translatio ex originali scripto lingua polonica).

IMPER. PUBL. BIBL., *Collectio autographorum et bullarum*, n. 233, n. 108.
GOLUBEV S., *Kievs'kij Mitropolit Piotr Mogila i jeho spodvižniki*, vol. I: *Pryloženija*.
pp. 179-171, Kiev 1883.

Illustrissime Princeps, ac Domine clementissime¹.

Servitia mea quam promptissime commendo benevolentiae Domini mei clementissimi.

Etiam si sperabam ore potius quam litteris servitia mea benevolentiae Dominationis Tuae offere, quia tamen Dominus Angelus Odducey mihi occasionem praebuit et securam expeditionem litterarum, non potui eam omittere, dolens, quod iam prius hoc non novi tam distinet, sed tantummodo in confuso, quia frequentius res non tam romanis, de quibus ab aliis quam plurimis Dominatio Tua habet sufficientem notitiam, sed graecas aliarumque terrarum orientalium Dominationi Tuae, Domino meo clementissimo, ad notitiam detulisse. Status rerum in Graecia, unde unoquoque mense notitias habemus, immutatus remanet. Diebus praeteritis magnates, qui dicuntur in Peloponneso spartae, quorum terra a Turcis hueusque occupata non fuit, qui habitant in locis inexpugnabilibus prospicentibus mare, qui magna intulerunt damnum Turcis, tum etiam miseris christianis, hi professionem faciunt perpetuae militiae et libertatis, nolunt cum Turcis inire pacta, eminent audacia, habent propriam rem publicam, et quidem bene ordinatam, quibus etiam terrae circumvicinae obediunt, quia Turci nec unam horam possunt ex hac parte esse securi; hi possent magnam partem Peloponnesi occupare, sed tenere non possent, ideo faciunt tantummodo escusiones.

Venit etiam Romanum ipse Metropolita Larissenus, unus duodecim, qui eligunt Patriarcham, persona gravis, antiqueae probitatis; fecit iam professionem fidei et obedientiam dedit Sedi Apostolicae, sed proprio tantummodo nomine.

¹ Epistola haec exarata fuit in lingua polonica. Traductio nostra.

Magnam habemus spem in illo. Accusatus fuit a Turcis, quod tractabat cum Michaële et pecuniam illi misit, quod commodum fecit etiam aliis Metropolitis, uti Cantacuzeno, qui nunc est apud caesarem, quia aufugit sicut et alii facti complices. Sed ille de Larissa minus aliorum erat particeps et Turcae non habent contra ipsum nec sufficientia nec probabilia indicia, sed tantummodo quasdam suspiciones. Sed non fidebatur ipsis, et nunc revocant ipsum ad propriam sedem, sed ille, videtur, habet quoddam aliud intentum, quod clare monstrat, ipsum tractare de modo unionis Ecclesiae orientalis cum Ecclesia Romana, et de modo quomodo Turcas expelleret, si non iam de tota Graecia, saltem de Peloponneso. Hoc exinde conicimus, quod ipse ante plurimos annos erat cum Hieremia Moscoviae² et in terris nostris, et unionem procurabant, et habuerunt iam in rebus principalioribus concordiam, et quidam hac de re missi fuerunt Romam, et erant Coreyrae, itineris trium dierum a Taranto. Sed quidam homo nequam eorum consilia Constantinopoli revelavit et propterea Hieramias a sede sua deiectus fuit, et alii cum ipso, et ita res tota tunc temporis in nihilum abiit, et nunc occasione huius exsilii de eodem tractat. Ex alia parte Sanctitas Sua ipsi omnia concessit, de quibus rogavit, quod aliis Episcopis graecis, qui Romam aufugint non facit. Praeterea confert se ad Regem Hispaniae, et contendit habere ex nostro Collegio quemdam Theologum ut interpretem, cui posset revelare secreta sua; et iam uni nostrum a Superioribus hoc oblatum fuit. Et aliae adsunt etiam conjecturae. Necessario est quidquam verum hac in re, et si non essent sub iugo Turcarum, unio Ecclesiae Sanctae non esset difficilis. Nostra tantummodo Russia pertinax, quae ab errore recedere nolit, excusando se Graecis. Sed et hoc est verum, quod in insulis Graecorum, quae Venetiarum subsunt dominio, uti Creta, Coreyra, Zacynthos aliaeque, ubi Graeci cum Latinis conversantur, immortale existit odium contra Latinos. Hi vero, qui Turcis subsunt, quia sunt simpliciores, sunt etiam magis tractabiles, et facilius est ipsis omnia persuadere.

Dominus Palatinus Kioviensis³ vult quasdam Academias erigere in Volhnia, et misit in Graeciam ut quaereret magistros, sed ibi nunc nec cum candela invenire potest quempiam; quia a Deo recesserunt, etiam imperium, libertatem, litteras omnes occluserunt, quibus olim in toto mundo claruerunt. Ex insula Naxos, quae una est Cycladum seripsit pater quidam filio, quem habet in Collegio, nonne paratus esset proficiisci ad principem Basilium; sic ipsi vocant dominum Palatinum Kioviensem; ut proficeretur et ipse illi non persuadebat, sed prius ut domum reverteretur. Duos habuerunt Graeci doctores, quas habuerunt pro nimis doctis Ecclesiae, id est Meletium, Patriarcham Alexandrinum et Morgunium, Episcopum in insula Cyzicos, sed hi nuper unus post alium obierunt... et nunc nullum habent; omnis doctrina graeca nunc in nostro continetur Collegio, cui inimicissimus est Archiepiscopus Philadelphiensis, residens Venetiis, et alios incitat contra ipsos, etiam Patriarcham, sed consilia impiorum, Deo benedicente, dissipabuntur.

Hoc habui ut scribam pro nunc ad Dominationem Vestram Illustrissimam,

² Hieremias II, Patriarcha Constantinopolitanus, qui tribus vicibus Sedem hanc occupabat (1572-1579, 1580-1584, 1586-1595). Hic anno 1589 Moscoviae Patriarcham creavit Moscovensem. In suo profectu Moscoviam etiam in Regno Poloniae et Lithuaniae depositus Metropolitanus Onesiphorus Divočka (1579-1588).

³ Constantinus Ostrožskyj. Obiit an. 1608. Hic Unioni s. d. Berestensi vi sese opposuit eaque magna ex parte frustravit.

Dominum meum clementissimum, cui iterum servitia mea promptissime offero.
Datum Romae, Februarii 15, Anno 1603.

Dominationis Vestrae Ill.mae, Domini mei clementissimi
servus humillimus
JOANNES VELAMIN RUTSKI

Illustrissimo Principi, Domino meo clementissimo, Domino Nicolao Christo-phoro Radziwill de Olyca et Nesviz, Comiti de Szydlowiee, Palatino Trocensi.

2.

Moscoviae-Romae, Antverpiis, 1606-1613

Programma unionis Ecclesiae Joannis Rutskyj, iuvenis adhuc saecularis, Moscoviae tempore itineris conceptum, dein Romae elaboratum et Sanctae Sedi praesentatum, dein vero anno 1613 a Thoma a Jesu publici iuris factum.

THOMAS A JESU, *Thesaurus sapientiae divinae in gentium omnium salute procuranda*, Antverpiis 1613, pag. 288 sq.

De aliis mediis iuvandi Graecos et Ruthenos⁴.

Placuit hic media alia a viris gravibus, et illorum gentium conversionis maximum zelum habentibus Summo Pontifici Clementi VIII proposita in medium etiam producere; quae forsitan, cum venerit Patris hora, qua in Vienam suam errantes operarios velit revocare, non parum conducent.

Primum autem medium a viro quodam gravissimo Rutheno⁵ excogitatum sequentibus verbis continetur.

Duo potissimum inter alia necessaria sunt in omni conversione, praecique in conversione aut unione Graecorum et Ruthenorum Ecclesiae catholicae Romanae.

Unum quod illi, qui huiusmodi provinciam suscipiunt, ac conversionem animarum tractant, debeant se accommodare naturae et captui eorum, quos convertere nituntur, illisque in omnibus quae essentialiter non repugnant aeternae saluti, in principio secundare, ne propter accidentale aliquod amittant essestiale: qui enim « vehementer emungit, elicit sanguinem »⁶. Hoc pacto illorum captabunt benevolentiam et amorem, quo obtento, omnia facili negotio subsequentur. Cum enim amor vineat omnia, Christique iugum suave, et amoris sit plenum, nihil aequre requiritur tam in conversione peccatoris ad Deum, quam unione haereticorum ad Sanctam Ecclesiam, sive infidelis ad fidem christianam, quam amor erga instructorem, ac patrem spiritualem. « Fili praebe mihi cor tuum »⁷, hoc est ama me, ut amore tuo omnia ad me traham; quicquid enim a te desideravero, eo solo obtinebo. Sicque Jesus Christus Petrum Ecclesiae suae caput constituens, solum ab eo amorem postulat, idque triplici interrogatione, ut quam necessarius amor iste sit ostenderet:

⁴ Totus liber agit de variis mediis. Inde hic dicitur de « aliis » mediis.

⁵ Ipse Metropolita in epistola ad Alumnos data confitetur se fuisse auctorem huius programmatis. Cfr. infra, nr. 33.

⁶ Dictum populi. Cfr. Prov., XIII.

⁷ Proverb. XXIII, 26.

« Simon Joannis diligis me? etc.... »⁸ qui enim amat vicissim amabitur: vide-licet, si me amas Petre, et proximum amabis, et ille te, sieque, omnia ad me trahes, erisque bonus Pastor. Hinc D. Paulus, verus Christi zelator, totis viribus amorem hunc fidelium cordibus imprimere conatus est; nec quicquam tantopere ab iis expetiit, quam ut ipsum, maioresque omnes suos, et se in-vicem sincere diligenterent. « Fortis enim est ut mors dilectio »⁹, cui quemad-modum nihil resistit, sic nec amori. Itaque primum maximeque necessarium est, se hominum genio accommodare, omniumque servum praestare, quo quis omnes possit lucrificare cum D. Paulo qui dicebat: « Factus sum iudeis tamquam iudeus, ut iudeos lucrarer; iis qui sunt sub lege quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege erant lucrificarem; iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, ut lucrificarem eos qui sine lege erant; factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrificarem, omnibus omnia factus sum ut omnes facerem sal-vos »¹⁰. Et Apostoli in primordiis Ecclesiae secundarunt Judaeis, praecipien-tes fidelibus ex gentibus conversis in illorum gratiam, ut abstinerent a sanguine et suffocato¹¹, ut omnes lucrificarent, quae postea successu temporis perierunt.

Alterum quod requiritur, est perseverantia; parum enim aut nihil prodest semel et iterum conari, si perseverantia deest. Vulgo dicitur: Gutta cavat lapidem non vi sed saepe cadendo. Deiiciens universos hostes vestros, si per-severaveritis in opere quod coepistis¹².

Defectu horum unio totius attentata Graecorum et Ruthenorum cum Ec-clesia (ut de aliis taceam) non habuit optatum effectum.

Primum defuit, quia cum illi qui eos iuvare conabantur, viderent Graecos habere antipathiam cum Romanis, ac quodammodo naturalem alienationem, ut persisterent in unione, tentarunt ab ipsorum ritu eos deducere (si non verbis, saltem operibus) extollendo Romanum, in quo celebrabant, ac conse-querenter deprimento Graecorum, ut sic ipsos et eorum filios ad Romanum Ritum paulatim traherent; quod illi naturaliter inflati, et qui amore fortissimo tenentur erga suos ritus, ferre non potuerunt. Unde multum odii inde conce-perunt contra Ecclesiam et Romanum Ritum, ipsumque tanquam novum repu-tarunt et refutarunt. Neque nova est Graecorum ista superbia, cum in ipsis Ecclesiae primordiis, quando Iesu Christi Domini Nostri sanguis fervebat, et omnes christiani ad perfectionem anhelabant, illorumque erat cor unum et anima una, ita erant infirmi in hac parte, ut pati non potuerunt quod sperne-rentur. Factus est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despice-rentur in ministerio quotidiano viduae eorum »¹³.

Ex eodem superbiae fonte ac naturali alienatione a Romanis, non solum schisma evenit, sed etiam quod nunquam libenti ac pacato animo suscepserunt Romanos sacerdotes a Summis Pontificibus ad ipsos multoties destinatos, ne viderentur ab ipsis edoceri, et consequenter fateri se inferiores illis cum quibus semper de gloria contenderunt, sed tanquam alienigenae, ne dicam aemuli, non ambabus a Graecis audiebantur auribus, imo potius eorum monita et

⁸ Joan. XXI, 15-17.

⁹ Cant. VIII, 6.

¹⁰ I Cor. IX, 20-22.

¹¹ (Act. XV, 20).

¹² (Judith. IV, 14).

¹³ Act. VI, 1.

salutarem doctrinam, omni gladio ancipiti penetrabiliorem, excludebant; aut certe si eam amplectebantur, non tamen in ipsa erant constantes, sed tanquam violentiam passi, ad pristinum redibant vomitum. Et hac in parte Rutheni adeo sunt tenaces, ut potius cupiant suos filios rudes ac ignaros habere, quam illos ad scholas Patrum Societatis Jesu, vel alias Catholicorum mittere (sicut omnibus manifestum est), timentes ne Patres aut alii Catholici a suo Ruthenico ritu illos divertant; hac de causa Romani sacerdotes parum profecerunt cum Graecis.

Secundum quoque, nempe perseverantia, defuit in ipsorum conversione, nunquam enim habuerunt homines ad illos destinatos, quibus ex officio inumberet eorum conversio; qui primo quotidianis precibus a Deo eorum salutem ac conversionem exposcerent, deinde studio, diligentia, speculatione in idem laborarent, summosque Pontifices et reliquos Praelatos ad id per moverent. Et si fortasse aliquando habuerunt tales homines, non semper tamen neque perseveranter, quod est simpliciter necessarium; parum etenim prodest erigere infirmum, si non est qui sustentet et adiuvet eum, ne iterum eadat; non est corona ubi deest perseverantia, et qui perseveravit usque in finem obtinebit victoriam et palmarum¹⁴.

Unico tantum remedio, ni fallor, praedicta duo impedimenta tollentur, et Rutheni isti facile converterentur ex concepto odio ad amorem Ecclesiae Romanae, non tantum verbo, sed corde et opere, si haberent nimirum unam vel alteram, vel plures Religiones observantes, quae ex indulto Sedis Apostolicae possent ritu Ruthenico celebrare, sublatis tamen omnibus erroribus et superstitionibus (si quae sunt), quae incuria et ignorantia ipsorum sacerdotum sunt usque modo introductae, reducendo omnia ad suum principium et originem.

Primum, quod desiderabatur in modo conversionis aut reductionis, tollebatur: tales enim Religiosi eorum ceremonias ac ritum non deprimerent, sed potius et verbo et opere tanquam proprium extollerent, et cum Romani tanquam alienigenae ac aemuli non pacato animo recipiuntur a Ruthenis, et consequenter non audiuntur, sed cum timore ac suspicione, timentes semper ne fraudem faciant, ex qua suspicione arripit daemon ansam et occasionem, sugerendo illis multa falsa de Ecclesia Romana; e contra tales Religiosi recupererentur quasi proprii, auscultarentur absque suspicione, et cum viderent eos doctos, ipsis crederent, et gloriarentur quod haberent ex suis eruditis viros, qui essent illorum corona; propter quod etiam summopere amarent illos; nam cum non ament Romanos, quia quodammodo deprimunt illos, illorumque ritum, e contra amarent vehementer dictos Religiosos, tanquam illos qui augerent ipsorum gloriam, ac extollerent Ritum Graecum. Simili modo D. Paulus afflante Spiritu Sancto incepit adducere Graecos ad Sanctum Evangelium; non enim illis dixit: Praedico vobis novum deum, sed « praeteriens et videns simulacula vestra inveni et aram in qua scriptum erat Ignoto Deo; quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis »¹⁵. Sic possent dicere isti Religiosi: Non removere vos conamur a vera fide graeca et ritu, nec novam praedicamus, sed quae ignorantes colitis, etc... Et idem D. Paulus ut Iudaeis

¹⁴ (Apoc. II, 19).

¹⁵ Act. XVII, 23.

se accomodaret circumcidit Timotheum, licet non esset necesse cum lex Moysis per Evangelium exspirasset¹⁶.

Secundum etiam tolleretur, quia tunc haberent Religiosos viros Deo gratos, qui pro illis preces Deo funderent, insudarent tum in studiis ad illorum conversionem accomodatis, tum in removendo impedimenta et obstacula eidem conversioni, illosque omnes ad eandem impellerent; tandem haberent speculatores et pastores non mercennarios, qui vigilarent super istum Jesu Christi gregem, et hoc non ad tempus, sed usque ad consummationem saeculi; nunquam enim religio moritur. Isti frangerent illis panem, scilicet Scripturarum, ac porrigerent verbum Dei omni gladio ancipiti penetrabilius, cuius penuria fame pereunt, cum illorum popi et Religiosi concessionem non habeant, ac a daemone tanquam inermes debellantur.

Docerent illos necessaria christiano homini, quae scilicet deberent credere, quomodo accedere ad sacramenta, quam necessaria sit frequentia sacramenti Poenitentiae, et Eucharistiae, etc...; nec non etiam litteras humanas et sacras. Isti retinerent conversos in fide ac obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae, et sic non toties reinciderent in schisma. Non difficile negotio obtineretur, quod episcopi, archiepiscopi et metropolitae, qui apud Ruthenos ex Religiosis (licet Ordinis Sancti Basillii) semper debent assumi, possent ex praedictis Religiosis eligi.

Hinc fieret primo, quod omnes praelati semper essent catholici, ac Sanctae Romanae Ecclesiae obedientes, quos tamquam pastores sequerentur reliqui omnes. A patriarchis enim et episcopis ortum semper habuit schisma, conservationem etiam atque in illud reincidentiam.

Sequeretur secundo, quod omnes populi Rutheni vel sacerdotes, essent catholici, docti ac bene morigerati; episcopi enim non promoverent ad ordines, nisi tales, ac ordinatos in disciplina continerent. Multa alia bona sequentur quae brevitatis causa omitto.

Religiones, quae ad hanc provinciam destinantur, debent habere sequentes conditiones.

Prima: Quod sint ex reformatis, et quanto fieri potest, similes in vita et regulari observantia Religiosis divi Basillii, qui apud Ruthenos numquam comedunt carnes, [*ieiunant a festo exaltationis Sanctae Crucis usque ad Pascha Resurrectionis Domini etc.*]¹⁷; tum ne spernantur a Ruthenis, ut minus perfecti, tum etiam, ut libentius quasi proprii recipientur. Hoc facilime posset ab unaquaque Religione reformata obtineri; aliqui enim Religiosi in ipsis invenirentur, qui vellent hoc obsequium praestare Deo, quod promitterent; deinde reliqui etiam observare, qui ad talem conversionem vocati a suis Generalibus ad conventus vel collegia ad hoc destinata segregarentur.

Secunda: Deberent habere licentiam celebrandi secundum Ritum Romanum (sub praetextu tamen quod Rutheni et Graeci non possunt celebrare in itinere, ubi non habeant incensum, et alia quae secundum Ruthenicum Ritum requiruntur ad sacrum) et [*sic paulatim introducerent Romanum Ritum*]¹⁸ saltem obtinerent, quod Rutheni non ab illo abhorrent sicut modo abhorrent.

¹⁶ (Act. XVI, 3).

¹⁷ Textus hic additus a Thoma a Jesu, prout dicit ipse Metropolita in epistola ad Alumnos data.

¹⁸ Alius textus introductus in discursum Rutskyj a Thoma a Jesu. Hucusque adnotaciones P. T. T. Haluséynskyj.

Tertia: Religiones quae huiusmodi munus conversionis susciperent ex monasteriis, quae modo habent, deberent designare aliquot, unum scilicet Romae, reliqua vero in illis regionibus ubi floret Religio et fides Romana, quorum curam haberent iidem Generales Religionum, in quibus nulla deberet fieri mutatio, et ad ipsa mitterent Religiosos, quos viderent a Deo esse vocatos, ad conversionem Graecorum et Ruthenorum, ut ibi darent operam linguae Graecae et Ruthenicae, et studiis ad ipsorum conversionem accommodatis. Ex quibus possent fieri missiones ad diversa loca et provincias, et sic haberent semper Religiosos Romanos, de quorum stabilitate non esset dubitandum. Ad praedicta monasteria possent quoque mitti Rutheni, qui susciperent habitum Religiosum studiorum causa, qui enutriti doctrina et moribus Romanis, bene affecti essent erga Romanam Ecclesiam, tanquam ipsorum matrem.

Quarta: Si ex praedictis Religiosis eligerentur Ruthenorum metropolita, archiepiscopi, etc... deberet esse cautum, ne ullus illorum assumeretur ad huiusmodi dignitates, nisi qui post annum integrum noviciatus, et professionem emissam aliquot annos peregrisset in Religione, ut jam perfectionem illam compararet quae necessaria est perfectis praelatis. Non enim omnes possunt habere huiusmodi perfectionem, qui ex saeculari vita eodem tempore, quo fit monachus, emitit professionem, et assumitur in Episcopum, etc.

Quinta: et ne id quod datur tanquam salutaris medicina sit daemonii malitia, praedictis Religiosis, et consequenter Ruthenis venenum, praeter tria solemnia vota obedientiae, castitatis, et paupertatis, quibus tales religiosi se Deo sacrabunt, quartum Domino acceptissimum et praedictorum religiosorum ac Ruthenorum bono maxime salutare nuncupabunt, quo Deo voeant se nunquam directe vel indirecte, per se vel per alium, extra Religionem ullam praelationem aut dignitatem praetensuros, nec eam oblatam accepturos, nisi Summi Pontificis praecepto ad id constringerentur. Si omnes episcopi, etc... Rutheni, semper dependerent a Summo Pontifice et religiosi non perturbarentur ambitionibus, nec Religio relaxaretur propter dignitates. Haec ille.

3.

Varsavia, 9 . VIII . 1613

Professio fidei Nominati ad Ecclesiam Metropolitanam Kiovensem, Josephi Velamin Rutskyj, Episcopi Halicien.

ASV, Fondo Borghese Ser. II, vol. 222, fol. 6rv.-9v.

Copia Professionis Fidei¹⁹.

IN DEI NOMINE AMEN. Anno Nativitatis eiusdem millesimo sexcentesimo decimo tertio, Indictione undecima, die vero nona mensis Augusti, tempore Pontificatus SS.mi in Christo Patris, et D.N.D. Pauli divina providentia Papae quinti.

Constitutus personaliter coram Ill.mo et Rev.mo D. Lelio, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Balneoregien²⁰, ac SS.mi in Christo Patris, et D.N.D.

¹⁹ Textus Professionis Fidei Tridentinus.

²⁰ Laclius Ruini, Nuntius Varsaviensis (1612-1614).

Pauli divina providentia Papae V. ipsiusque S. Sedis ad Ser.mum Sigismundum Tertium Poloniae et Suetiae Regem²¹, etc. ipsumque Poloniae Regnum ac Magnum Lithuaniae Ducatum etc. cum facultatibus Legati de latere Nuntio, meque Notario publico, et testibus infrascriptis Ill.mus et Rev.mus D. Josephus Welamin Rutski, Episcopus Halicien, volens fidei professionem facere, flexis genibus, ac sacrosanctis Evangelii cum juramento tactis in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi D. Nuntii, sponte etc. eandem fidei professionem emisit, ut sequitur, de verbo ad verbum.

Ego humilis Josephus Velamin Rutski, Episcopus Halicien firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem... (*sequitur plenus textus "credo" cum "filioque"*)²².

Credo et suscipio atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica Synodus Florentina supra unione Orientalis et Occidentalis Ecclesiae definit, et declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus a Patre, et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utsroque aeternaliter, tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Cum id quod S. Doctores. Et Patres dicunt... (*etc., secundum formulam florentino-tridentinam, usque*)²³ ... teneri doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum Ego idem Josephus Welamin Rutski Episcopus Halicien spondeo, voveo, et juro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Eandemque fidei professionem idem Ill.mus et Rev.mus D. Nuntius recepit et admisit, ut supra omni meliori modo etc... super quibus ego Notarius infrascriptus hoc publicum confeci documentum.

Acta fuere praedicta in Regno Poloniae, Provincia Masoviae, civitate Varssaviae, Monasterioque RR. Fratrum Bernardinorum, loco residentiae praediti Ill.mi D. Nuntii, in mansione superiori, habente prospectum et in viam publicam, et in curiam Monasterii, et praesentibus ibidem Rev.mo D. Helia Morokowski²⁴, electo Episcopo Vladimirien, et Bresten, qui dixit etc., nec non et R. D. Jacobo Malakowski, Canonico Uniovien testibus.

4.

Byten, 1616

Metropolita Roma redux gratias Card. Burghesio agit de gratiis sibi datis et D. Bilozor in Urbem proficiscentem commendat.

ASV, Fondo Borghese, I, vol. 510, fol. 314r, 321v.

Ill.me ac Rev.me Domine Clementissime.

Affectus plane Paternus, et multae gratiae SS.mi D. Nostri et D.V. Ill.mae ac Rev.mae, quas satis abunde percepi, dum essem in Urbe, semper mihi erunt in recenti memoria. Negotium SS.mae Unionis in praeteritis Regni Comitiis

²¹ Sigismundus III, Rex Poloniae et Svetiae (1587-1632).

²² Nullus Metropolitarum unquam difficultatem habuit hunc textum recitandi.

²³ Omittimus, quia Professio haec universaliter nota est.

²⁴ Helias Morochovskyj, Alumnus Romanus, Basilianus (1612), dein post obitum Hypatii Potij, qui simul Sedem obtinebat Volodimirensem, nominatus Ep. Volodimiriensis (1613-31).

nihil accepit detrimenti. Nos etiam ex parte nostra pro debilitate virium nostrarum laboravimus, ut inimici Sanctae Ecclesiae humilientur, et deprimentur.

Praesentium latorem, conterraneum meum, D. Bialozor²⁵, illustri natum familia, Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae, si quid apud ipsam valeo, commendabo, nihilque amplius deposco, quam ut Suae Sanctitatis pedes exosculari, et Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae hilarem vultum, quem omnibus exhibere solet, habere possit.

Me interim meaque omnia Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae promptissime offero ipsique incolumitatem omniaque felicia a Deo Opt. Max. precor.

Datum in via visitationis Monasteriorum in Monasteriolo Bithinen²⁶. 1616 etc.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillimus servitor

Josephus Velaminus Rutschi²⁷, Archiepiscopus Chiovien. Halicien. totiusque Russiae (*mp*).

321v: Ill.mo ac Rev.mo Domino Domino Scipioni Cardinali Burghesio²⁸.
Domino Domino Colendissimo. (sigill.)

5.

Ruta, 21 . XII . 1616

Metropolita Rutskyj in negotio alicuius Alumni Rutheni recepti in Collegio Graecorum de Urbe. Probat esse Schismaticum et ut dimittatur petit.

ASV, Fondo Borghese, II, vol. 225, fol. 12rv.

Ill.me et Rev.me Domine. Domine Colendissime²⁹.

Nuper ex Urbe a Fratribus meis ex Collegio Graeco, Monachis S. Basilii Ruthenis³⁰, accepi literas, quibus scribunt quendam Monachum Ruthenum vagabundum eo venisse, et in Collegio Graeco locum obtinuisse, in quo ego a Sanctissimo Domino locum pro meis, quos ego mittam impetravi. Et licet non dubitem, quod mei etiam quando illos mittam, admittentur (duo enim tantummodo ex meis sunt in praesentia) multum tamen Sanctae Sedi Apostolicae ne defraudetur sub nostro nomine, ne aliqua macula inuratur, interest, ne ullus Monachus Ruthenus, vel quisquam e saecularibus eiusdem nationis, nisi literas a Metropolitano Chiovien, vel a Nuntio Apostolico qui pro tempore tunc erunt, commendatitias secum tulerit, ad dictum Collegium admittatur. Iste Monachus, qui nunc eo venit, est Schismaticus, ut mihi certissime

²⁵ Nobilis de Lithuania, Romam proficiscaens. Ex hac familia postea venit Episcopus Pinsensis, Marcianus (1666-1697).

²⁶ Monasterium hoc anno proximo electum fuit pro novitiatu Basiliatorum sub directione PP. Societatis Iesu. Cfr. M. M. WONAR, *De Regimine Basiliatorum...*, vol. I, Romae 1949.

²⁷ Hoc modo Rutskyj, ut plurimum, epistolas suas in lingua latina exaratas subscribebat.

²⁸ Scipio Caffarelli-Borghese, Romanus, nepos Pauli PP. V, nominatus cardinalis die 18.VII.1605, nondum sacerdos ordinatus, tit. S. Chrisogoni; obiit in Curia die 2-X-1633. Cfr. *Hierarchia Catholica medii et recentioris aevi*, vol. IV, pag. 9, nr. 1.

²⁹ Nuntio Varsaviensi (1614-1621).

³⁰ Agitur fortasse de Hieronymo Počapovskyj, Antonio Sielava, Marciano Tryzna, vel Laurentio Kreuza, qui tunc Romae studiis vacabant.

persuadeo. Quia dicit se esse ex civitate Ostrog, habitum accepit ed professionem emisit in Monasteriis Schismaticorum, in nullo autem monasteriorum Unitorum fuerit, mihi nec ulli Episcopo Rutheno catholico, in quantum scio, suberat. Quorsum ergo tales acceptandi sunt? Praeterea, ut mihi scribitur, est homo rufus in latino, forte etiam in Graeco ferme analphabetus, et annorum ferme 30. Fratres nostros coram aliis in illo Collegio vocat lachos, id est latinos (sic enim Graeci latinos vocant), se esse verum Ruthenum, non illos. Bonum erit, arbitror, ut Ill.ma et Rev.ma D.V. Ill.mum Dominum Cardinalem Iustinianum³¹, Collegii Graeci Protectorem informet, nullus Monachus est, nisi illi, qui sunt in monasteriis Metropolitani Chiovien. Monachi autem ex Monasteriis ipsius sua sponte non eunt, nisi mittantur, nec mittentur sine commendationibus ipsius Metropolitani. Nullus autem ex Episcopis aliis Ruthenis etiam unitis habet ullum monasterium unitum. Omnes Monachi in Dioecesibus ipsorum manentes Schismatici sunt, quod ut certius scribere possit accipient a quibuscumque Juristis, qui norunt res huius Regni, informationem. Certe expediret, ut ex Collegio ille bonus vir dimittatur. Aliud est de Graecis quod ad Collegium admittantur (f. 12v) etiam, ex quacumque parte Graeciae sint, sine praevio examine fidei, quia in Graecia omnes sunt uniformes, sed in nostra Russia sunt Rutheni duplices, magno inter se intervallo distantes. In Graecia multi Monachi, maius autem saeculares, laborant ignorantia invincibili; at isti Rutheni ignorantia affectata, quae est cum magna protervia et summo contra Ecclesiam odio coniuncta. Quo in negotio ego etiam meas literas ad Ill.mum Dominum Cardinalem Justinianum scribo quas ut Ill.ma et Rev.ma D.V. cum suis expediri iubeat, obsecro. De Domino Duece Christophoro Zbarascio³² praeteritis meis literis iam respondi. Interim me meaque omnia Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae humiliter offero.

Ex praedio Ruta, 21 Decembris 1616.

Ill.mae ac Rem.mae D.V. devotissimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. /mp/.

fol. 15v: Ill.mo et Rev.mo D. Francisco Diotallevi³³, Episcopo S. Angeli; Apud Ser.mum Poloniae et Suctiae Regem Nuntio Apostolico. Domino Colendissimo. (sigill.).

6.

Novogrodek, 19 . IX . 1617.

Mittit Alumnos Romam, quos etiam suos procuratores ad "limina Apostolorum" visitanda constituit.

ASV, ARCH. CONGR. CONCILII: *Relationi-Visite, Kiovien. an. 1617-1618*, fol. 519.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Triennium est, ex quo debitum obedientiae et subiectionis filialis ipse persona mea Beatitudini Vestrae exolvi, nunc iterum comparens absens tanquam

³¹ Giustiniani.

³² Christophorus Zbaraskyj, filius Janusii, nat. an. 1580, studuit arti bellicae in Hollandia. Suum habuit momentum inde ab anno 1608. Anno 1617 legatus Regis ad Cosacos. Obiit an. 1627. Cfr. *Encyklopedia Powszechna*, vol. 28, pag. 396-398.

³³ Nuntius Varsaviensis (1614-1621).

praesens, per Religiosos Fratres meos Anastasium Presbyterum³⁴ et Hieronymum Diaconum³⁵ Beatitudinis Vestrae Alumnos, qui nomine meo obedientiam a me debitam praestabunt, et Apostolicos Beatitudinis Vestrae pedes, personam gerentes meam, deoseculabuntur. Quod ad statum Ecclesiae meae Chioviensis totiusque Russiae attinet, ea fusius Ill.mo Domino Cardinali Borghesio, Beatitudinis Vestrae Nepoti, litteris explicavi³⁶, explicabunt et dicti oratores mei. Quod reliquum est, pedes Beatitudinis Vestrae provolutus deosculor, et Paternam ac Pastoralem pro futuris laboribus meis benedictionem humillime expeto.

Novogrodeci ex Lituania, Anno salutis 1617, 19 Septembri.

Beatitudinis Vestrae obedientissimus, indignus licet, filius et servus abieetus
Josephus Velamin Rutschii, Archiepiscopus Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

7.

Novogrodek, 28 . IX . 1617

Cardinalem Burgesium certiorem facit de reformatione Basilianorum inchoata, et de statu Ecclesiae Kiovensis refert.

ASV, ARCH. CONGR. CONCILII: *Relationi-Visite, Kiovien, ann. 1617-1628, fol. 520r-521r.*

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime³⁷.

Cum muneris sit mei, quolibet triennio coram Vicario Christi comparere, ipsique rationem reddere de ecclesiastica mea administratione, et cura animarum mihi commissa, hoc ante triennium feci ipse in persona mea. Nunc non potuit aliter quam per personas substitutas, Fratres meos Religiosos, Anastasium Praesbyterum et Hieronymum Diaconum.

Primum igitur Suae Sanetitati Domino Nostro Clementissimo maximas ago gratias pro omnibus gratiis et favoribus, quibus me indignum satis abunde cumulavit dum essem in Urbe³⁸, et cum febri quartana tempore hyberno luctarer, quae me etiam usque in Patriam comitata est. Postea ubi ab illa convalui, totum me ad id contuli ut Religio Sancti Basilii, a qua gloria Dei et omne bonum in Ritu Graeco dependet, in eam formam quae esset optima, et ab Instituto Sancti Patris non aliena, redigatur.

Prima ergo cura fuit, ut pro institutione religiosa admittendorum ad Religionem Novitiatus erigeretur; iste enim hucusque in illa forma in qua est apud Religiones Ritus Latini bene ordinatas, in nostra non fuit, sed modus quidam antiquus permanebat, quod Novitii certis Patribus antiquioribus instruendi dabantur. Pro hoc Novitiatu eligimus locum³⁹, procuravimus pro tenuitate

³⁴ Anastasius Antonius Sielava, dein Archiepiscopus Polocensis et Hieronymus Počapovskij, etiam denominatus Hieremias in Religione, dein Episcopus Luceoriensis (1621-1626).

³⁵ Metropolita Kiovensis (1640-1655).

³⁶ Cfr. epistolam sequentem.

³⁷ Scipio Caffarelli-Borghese. Cfr. supra, nota 28.

³⁸ Tempore visitationis « liminum », a mense Octobri 1615, usque ad tempus vernum an. 1616.

³⁹ Monasterium Bytenense.

nostra reditus, qui viginti Novitiis utcumque sufficerent. Magisti Novitiorum tantum requirebantur, in nostra autem Congregatione tales non reperiebantur, qui bene scirent modum, quo in aliis Religionibus, bene ordinatis, exercebantur Noviti; non erat aliud medium, nisi ut ipsi prius in se ipsis discerent hunc modum. Magnam ergo partem antiquiorum ex quibus spes erat maior futuri boni conclusimus in hoc claustrum, advocavimus magnis precibus Patres Jesuitas, ut duo ex illis qui huic muneri idonei iudicabantur, nostris in tali claustro praeescent, illosque formarent, qui aliorum deinceps Magistri esse possent. Anno expleto aliam partem Fratrum nostrorum in illum locum sub eandem disciplinam adducimus, antiquioribus deductis et per monasteria distributis (interim Novitios nullos ad Religionem admisisimus). Ista alia pars quae nunc exercetur, ubi annum suum expleverit, tunc ex toto illo numero deligemus Magistros Novitiatus, qui aptiores esse iudicabuntur; et tum, Domino adiuvente, Religio melius et solidius procedet, consequenter S. Unio.

Dum ista peragebantur ego totum me ad id applicavi, ut regulas S. Patris Nostri Basillii per omnia ipsius opera sparsas in unam certam formam redigerem⁴⁰, quod licet antea a me ceptum erat, tamen nunc utcumque perfectum est. Regulas item Officialium Religionis scripsi⁴¹, alias nunc scribo, in quibus maiorem adhuc quam in Regulis communibus⁴² habeo difficultatem, ex eo quod ab Instituto Sancti Patris recedere nolo, ex altera parte in operibus ipsius de aliquibus in particulari pro nunc necessariis determinatum nihil invenio.

Haec omnia suo tempore censurae Suae Sanctitatis subiciam. Hoc eodem triennio indixeram Synodus Episcoporum Provinciae meae, in qua aderant tres: caeteri per literas absentiae sua rationem dederunt. In aliud ergo tempus, quod omnibus commodum esset, omnia distulimus. Postea visitavi Episcopatum Polocensem, satis late patentem, et ad confinia Moscoviae se extendentem, ibique quia multa in ipso Episcopo inventa sunt⁴³, quae licet excusabat aetas decrepita (est enim centenarius), tamen ipsi Coadiutor in Episcopatu per me additus est⁴⁴, quem paulo post in Episcopum ordinatum Domino bene propitio, eo (invocato brachio saeculari Ser.mi Regis nostri propter furem Schismaticorum comprimentum) deduceamus. Sunt et alia minutiora quae hoc triennio partim facta sunt, partim fieri debent, quae puto taediosum esset Ill.mae ac Rev.mae D. V. legere, vel lecta audire, omitto.

In summa coram Ill.ma et Rev.ma D. V. tamquam coram eo, qui semper assistit Vicario Christi, Patri ac Pastori Nostro Universali in hoc me declaro, quod pro gloria Dei, pro honore Sedis Apostolicae sanguinem fundere paratus sum, quod forte et fiet, quandoquidem et nunc in una civitate regia Episcopatus Polocensis, dicta Mohilovia, conspiraverunt quadraginta in caput meum, quod mihi retulit Palatinus Vilnensis et Supremus Magni Ducatus Lithuaniae exercituum Dux.

⁴⁰ Cfr. infra, sub nr. 8.

⁴¹ Cfr. sub anno 1636, nec non *Regulas Episcoporum*, sub eodem anno 1636.

⁴² Cfr. nr. 8.

⁴³ Gedeon Brolnyckyj (1601-1618).

⁴⁴ Josaphat Kuncewycz (1618-1623). Hic anno 1623, die 12 Nov. pro fide catholica et primatu Romani Pontificis Vitebsci occisus fuit, et an. 1643 catalogo Beatorum adscriptus, et an. 1867 in canonem Sanctorum relatus. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, Romae 1952, et vol. II, Romae 1955.

Interim me meaque promptissima obsequia Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillime offero. Novogrodeco ex Lithuania 28 septembbris Anno 1617.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. addictissimus Servitor et apud Deum exorator. Josephus Velamin Rutski, Archiepiscopus Chioviensis totiusque Russiae (mp).

P. S. — In quo gratiam Suae Sanctitatis indigemus latores praesentium, Fratres mei, Ill.mae ac Rev.mae D. V. proponent.

Retro : Ill.mo ac Rev.mo Domino Domino Scipioni S.R.E. Cardinali. Domino meo Colendissimo.

8.

Vilna, 1617

Regulae Monasticae Ordinis Sancti Basilii M., s. d. communes.

APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Particolari*, vol. 29, ff. 302-306.

BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 21-30.

WOJNAR M. M., OSBM, *De regimine Basiliatorum...*, vol. I, Appendix, pp. 203-218.

(*Adnotatio in Ms. Bibl. Vaticanae, fol. 21 v.*)

Ex Regulis, Constitutionibus aliisque Asceticis Doctrinis Sancti Patris nostri Basilii Magni excerptae, ac brevi dilucidoque methodo pro numero votorum religiosorum in totidem capita, quae singula singulis votis respondent, addito singulari capite; quod rationem communis vitae complectitur digestae, atque ad statum exsurgentis Ruthenorum cum S.R.E. Unionis accommodatae. Reddidit huius rei a se praestitae rationes ipse Josephus in Praeliminariis Congregationis Generalis Primae.

Regulae autem ipsae inscribuntur et deinceps expanduntur ab Josepho, ut sequitur :

REGULAE COMMUNES

S. Patris nostri Basilij Magni Caesareae Cappadociae Archiepiscopi⁴⁵.

FINIS VITAE RELIGIOSAE

Est esse hominem perfectum in Charitate Dei, seu similem effici Deo in charitate, ad eam per contemplationem, et opera activa, non se ipsum dumtaxat, sed et proximum, magis, magisque verbo, et exemplo pertrahendo.

[Sermo ascet. 5us T. II. p. 452]⁴⁶.

⁴⁵ Regulae hae in hanc formam redactae fuerunt a Josepho Velamin Rutskyj, prout ipse testatur in epistola ad Cardinalem Borghese; cfr. supra, nr. 7.

⁴⁶ Citationes operum S. P. Nostri Basilii in parenthesibus positae fuerunt hoc loco cura T. T. Haluščynskyj, secundum editionem operum S. Basilii J. GARNIER, S. Basilii Magni Opera Omnia, ed. 2-a, Parisiis 1839. Textus hic praeparatus fuit iam anno 1949 et impressus in forma praesenti in libro M. M. WOJNAR, *De regimine Basiliatorum*, Romae 1949, in Appendix, nr. II.

MEDIA CONSEQUENDO HUIC FINI SUNT.**I**

Renuntiare Sathanae, omnibusque operibus eius, per generalem exomologesim male factorum tota vita, cum recta praeparatione factam; mori peccato, et reviviscere Deo ad vitam aeternam.

[Req. fus. n. 8 T. II p. 485-6].

Renuntiare mundo, ijsque quae in mundo sunt; hoc est nuntium remittere cunctis negotijs mundi, cognitioni carnis, et familiaritati hominum, si impedimento sint ad vitam piam, iuxta monitum Christi (MAT. X, 37) « Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est me dignus ».

[Ibid. T. II p. 486].

III

Renuntiare sibi quoque ipsi, crucemque suam tollere per mortificationem pravarum cupiditatum, passionumque: Item per mortificationem intellectus, seu rationis, voluntatisque propriae Dei causa.

[Ibid. ut supra].

IV

Denique sequi Christum, per continuum scilicet, diligensque sanctorum Virtutum exercitium, praesertim harum trium Paupertatis Castitatis et Obedientiae, citra quas, ne dicam omnes, sed vel unam earum, Religiosus dici Religiosus nequit.

[Ibid ut supra].

PAUPERTAS.**I**

Nemo Fratrum nostrorum quidquam proprij habere, suumve dicere debet. Cunctis communia suntu cuncta, inque communi repositorio serventur, tam ea quae victum, quam quae vestitum concernunt. Ex his vero nemo arbitrio quid suo accipiet, sed Praeses ipse, pro eo ac par esse existimaverit, pro necessitate cuiusque Fratrum distribuet. De eius autem commisso minores Officiales, non pro arbitratu suo, sed ex sententia Praesidis id praestabunt.

[Constit. mon. cap. XXXIV T. II p. 828; Sermo ascet, 5, n. 5 T. II p. 450; Reg. brev. 149-150 T. II p. 658-659].

II

Quidquid Fratrum cuiquam a Praeside usui concessum fuerit, id ipse custodiet, eiisque rationem habebit tamquam rei Divinae, plus quam homo civilis, sui et propriae rei navus. Quodsi incurius in hoc fuerit, eo ipso perfectionem huiusc paupertatis laedit, et non sine crimine erit. Si quid vero perdiderit destruxeritve, Praesidi incontinenti supplex fiat, atque culpae poenam poscat. Idem intelligendum de libris, quorum rationem habebit is, qui eis utetur, nempe ne frangat, laceret, passim quovis loco relinquat, ne vel literulam adscribat, qua in re, si quis negligens fuerit, Praeses talem monebit punietque. [Reg. brev. 143-144 T. II p. 656; Poenae n. 35 T. II p. 757].

III

Cum quid datur Fratri de communi, cogitabit se indignum ea re esse, tanquam qui sit malus operarius, quare si obtingerit ipsi vetus vestis, aliudve quid ex rebus Monasterij vilius, non tristabitur.

[Reg. brev. 168 T. II p. 668].

IV

Eiusmodi Paupertatem Fratres Nostri prosequantur amore vero, ut gauudent, cum effectus eius aliquos experti fuerint, in cibo, potu, vestitu, strato, et alijs, quo se certos reddere possint, quod veri pauperes sint. Quare novam vestem, aut pretiosam, sapidumve epulum non quaerent; imo si eis duo aliqua eligendum fuerit, amplectentur quod vilius est, relinquunt vero, quod est pretiosius. Unde etiam consequetur, ut quando ex necessitate aut de obedientia acciderit eis ostiatim per civitates et vicos mendicare, paratos se exhibebunt, et ex animo praestabunt.

[Reg. fusior. 22 T. II p. 512; Const. mon. cap. 30 ibid. p. 825].

V

Id quod datum fuerit Fratri ad usum, integrum Praesidi erit repetere ab eo, cum ipsi collibitum fuerit: is vero non reluctabitur; ipsi autem haud erit liberum, aliquid concessorum sibi, non tantum externo cuiquam sed ne alteri quidem Fratri donare, commodare, aut cum alia re permutare, etsi meliore, aut quoecumque alio modo in alium conferre, absque venia Praesidis, quamvis id, quod tribuere velit, esset quid vetus, de vestimento, calceamento, aut de quacunque alia re; et etiamsi is, qui peteret, esset valde egens, et nudus. Ad extreum, nec de pane, et si quid super esset, licebit dare petenti mendico, proprio arbitratu, nisi obtento prius Praesidis nutu, vel eius, cui id demandatum fuerit.

[Reg. brev. 87-91 T. II p. 629-634; Poenae n. 25, 49 ibid. p. 756-758].

VI

Vestitus Monasticus diversus erit a saeculari, ut primo quisque aspectu cognoscat statum nostrum; praeterea erit uniformis omnibus, talisque ut in eo elueat humilitas, et Paupertas, amplius in eo nihil spectandum, quam ut operiat foveatque corpus. Quare nec texta serica, nec vestimenta pretiosa in vestitu monastico reperientur, nec pelles, quae caro constant; item nec erit distinctio vestitus, ut alius sit a diebus festis, alias a profestis.

[Reg. fus. 22 T. II p. 512].

VII

Cibus talis comparandus erit, qui vilioris sit pretij in ea Regione, in qua degebimus; advectitij negligendi, praeter eos, quorum urgens est necessitas; praeterque infirmos, quibus omne id, quod medici imperaverint, praesto esse debet, praeter etiam hospites, vel Fratres, qui ex itinere adfuerint, quorum causa poterit aliquid superaddi.

[Reg. fus. 19-20 T. II. p. 506-508].

VIII

Ne reperiatur apud Fratres Nostros aurum aut argentum aut pecunia: nec alibi uspiam suum habebunt conditorum, praeter commune repositorium Monasterij et is, cui distribuendae causa inter egenos eleemosynae, aut restituendae alteri rei ablatae, lucrive inique usurpati, a quopiam tribuatur; ij quoque qui missu Praesidum mendicatum vadunt, Praesidi reddent ita, ut nil apud eos pernoctet. Item quando venia Praesidis Fratres pro re quapiam Ecclesiae aut Domus colligunt eleemosynam, reponent in cubiculum in scrinio separato ita, ut ne permisceatur cum pecunia Monasterij; Scrinium tamen istud in Cella erit Praesidis. Quodsi quid proprij clam, inscio Superiore, ausus fuerit retinere, is coram omnibus Fratribus tanquam transgressor Voti propalabitur, confundeturque, ac pro ratione culpae, punietur.

[Epist. ad Chilonem T. III n. 3 p. 182; Poenae n. 13 T. II p. 755].

CASTITAS.

I

Status Monasticus est forma innocentiae ab Angelis tracta; quo circa eorum nobis puritas sectanda est, quae non in eo duntaxat consistit, ut celebs quis sit, atque ab omni procul prava carnis cupiditate, opere, verbo, et cogitatu absit, sed ut ab omni quoque inordinata proclinatione, ex carne orta, aut ei adnexa, quae animam maculet, aut caligine quopiam obtenebret, uti ira, invidia, avaritia, superbia, sermone intempestivo, oratione deside, cura venustatis, vultus, ornatus, aut vestimentorum, congressibus, confubulationibusque, postposita ratione boni Ordinis, aut necessitatis, quae omnia Religiosam castitatem laedunt, sese abstinuerant. Quodsi quis Monachorum in aliiquid contrarium ex his inciderit, noverit, se contra perfectionem huius virtutis deliquesce.

[Sermo ascet 4 n. 2 T. II 446-447].

II

Ad conservandum sese in huiusmodi Castitate, oportet sensus externos, visum, auditum, gustum, odoratum, tactumque bene custodi, ut ne quid eos intret, quod aduersetur Castitati. Lingua item servanda tuendaque Castitati plurimum confert si recto rationis imperio stet. Studium quoque humilitatis mansuetudinisque utile est. Hic etiam spectat compositio externa, hoc est moderatio vocis, incessus, aliarumque actionum humanarum externarum, in id incumbendo, ut in omnibus sit modestia, reverentia, observantiaque aliorum omnium, eos tanquam Superiores in animo reputando, honoremque externum cum demissione, benevolentiaque religiosa exhibendo.

[Ibid. ut supra; Cf. Reg. fus. 33 T. II p. 325-326].

III

Abstinendum non solum a pravis, legique adversantibus voluptatibus, cuius rei una erit omnibus mensura, longeque ab eis fugiendum, sed et ab ijs, ex quibus eae ortum habent, in quod intentissime incumbendum est. Verum in esu, potu, sommo, alijsque commodis respicientibus corpus, diversis mensura

diversa erit, iuxta dispositionem Superioris. Superior autem dispescet, ex qualitate, munijsque uniuscuiusque, singillatim, ad id solum una cum Officialibus, a se praestitutis attendet, ut unicuique Fratrum dentur ea, quae retinendae vitae, reficiendisque viribus, quo aptior exequendo iniuncto sibi labori unusquisque sit, necessaria sunt. [Reg. fus. 19 T. II p. 506-507].

IV

Gustus in esculentis, et poculentis, non est vestigandus indulgendo illecebriae, neque ad saturitatem expletionemque vescendum; id enim hominem desidem, ineptumque occupationibus religiosis reddit. Varietas quoque epularum non accuranda quemadmodum edocet nos suo exemplo Servator noster, qui cum plura posset turbae hominum exhibere fercula in eremo, non dedit illis, nisi tres tantum panes, eosque hordaceos, et paucium piscium⁴⁷; de potu autem non fit mentio, quod forte aquam biberint. [Ibid. n. 2].

V

Curandum ut quivis Fratrum cellam habeat separatam sin minus studijs saltem diurnis, sed vel maxime, quieti nocturnae. Sicubi vero tot cellae non extent, duobus quivis aliis comitatus habitet et in una, idque ita, ut inter duos iuniores, sit maturior tertius. In cella autem sedebunt, suasque occupationes peragent Fratres, tanquam coram Divina Maiestate intuente omnes actiones, cogitatusque nostros. [Serm. asc. 2 n. 10 T. II p. 294-5].

VI

Praeses, vel is, cui ipse id muneric committet, subinde visitabit cellas Fratrum, cum cubitum ituri sunt, cubituque surgunt; quare non sese claudant in cellis, ut ingredi possit absque ullo sui dato signo. Caeteris autem Fratribus haud erit licitum, ut alter alterius cellam ingrediatur, antequam consuetam praemittat orationem, veniamque a Praeside prius obtineat; Cum vero Frater Fratrem adierit, mox absque eo, quod vel consideat, peraget negotium, cuius causa venit, discedetque. Dum vero ager cum Fratre, non occludendum ex toto est ostium ut transeuentes alij videre eos possint, nisi cella sit illa calefacta, secus in cella clausa, a potiori vero sera, aut pessulo oclusa, etsi pienissima subsit causa, non agent, exceptis ijs, qui singularem ad id habent facultatem benedictionemque, tamen ij quoque non occludent sera, aut pessulo.

VII

Quamvis ea causa in unum convenimus ut alter alterum aedificet, sitque adiutorio consequendae saluti, tamen quia multis callidis artibus capitalis hostis noster Diabolus, despontarum Deo animarum curat interitum, adeoque et hoc ipso salutari Fraternae adunationis riedio; ideo diligenter nobis studendum est, ut mutua nostra consuetudo sit pia, circumspectaque ut ne alter alteri aeterni interitus causa existant.

[Serm. asc. 4 n. 5 T. II p. 450; Serm. asc. 5 n. 2 T. II p. 453].

⁴⁷ Math. XV, 32.

VIII

Propensis amoris in Fratrem, affectuque consuēcendi cum uno magis, quam cum alio, etsi causa spiritus, suspecta erit; Nam incipiet a Spiritu, et desinet in carne, id quod compertum est multorum ruina. Alter alterum, etsi ioco, manu ne contingat. Si per iter, aut domi, accidat plures in eodem dormire cubiculo, longe alter decumbat ab altero, ut neque lecti eorum sese contingant.

[Serm. asc. 2 n. 5 T. II p. 288-9].

IX

Quando Frater Fratrem alloquitur, oculus eius ne sit intentus in vultum alterius, sed sit demissus terram versus. Quod ipsum observandum est in conversabdo cum saecularibus, potissimum vero cum faeminis alijsque dignitate aliqua conspicuis.

[Ibid. ut supra].

X

Nec frequenter, nec citra ingentem necessitatem, exibunt e Monasterio, nec unquam licebit unum exire, sed comitante altero Fratre Socio, designato a Praeside, cumque eius venia. Cella egressurus armabit se timore Domini, assumpto in manus scuto amoris Dei; statuet firmiter apud se evitare omne id, quod aduersetur statui Religioso. Domino Deo, Angeloque suo Custodi committet sese, atque ita exhibit, volvens ore piam aliquam precatiunculam. Egressus id tantum peraget, cuius gratia exivit, idque quam citissime confecto negotio, nullibi morabitur, sed mox domum repetet tanquam columba Noë ramum ore ferens olivae, hoc est laudans Deum. Si vero diu moratus fuerit, alias redibit, quam esset priusquam exiret, atque ita apud se statuet, nullibi tuto se commorari posse extra cellam. [Ibid. ut supra; Reg. fus. 44 T. II p. 547].

XI

Egressi e Monasterio Fratres, alter absque altero non subsistet, donec redeant. Et quamvis domum alicuius ingrediantur, ubi unus erit, ibidem aderit et alter. Quodsi confiteri, aut spiritualia colloqui velit saecularis quispiam alterius sexus cum quopiam Nostrorum, Socius, qui eum comitatur, poterit aliquantum recedere, ita ut ne audire possit colloquium, ostio tamen non excedet, ut loquentes cernere possit; ac proinde, ut alter possit rationem reddere Praesidi de altero.

[Ibid. ut supra].

XII

Si necessitas tulerit mittere Fratres mendicatum, tales eligat Praeses, qui absque detrimento animae suae, et cum aliquo emolumento Spirituali eorum, ad quos diverterint, id peragant. Quod si talis inter Fratres non extaret, praestat defectum etsi notabilem ferre, quam propter subsidium corporis, animae incurrire detrimentum. Ex revertentibus domum Praeses, si ita necesse ipsi esse videatur, sciscitabitur, ut sese gesserit, et an tentationes aliquas graves passus sit ipse, aut socius, ut ita periculo, quod ex conversatione ortum esset, tempestive occurrat. Insuper unusquisque etiam non interrogatus referet Praesidi, quid efficerit, praesertim in rebus majoris momenti sibi commissis.

[Ibid.].

XIII

Faemina nulla intra Claustrum Monasterij ingredietur, a quarum etiam frequenti alloquo cavendum diligentissime est tanquam ab igne; nec permittendum id, nisi urgente agendi necessitate, quae id necessario exigat: quamprimum vero expedienda sunt. [Serm. asc. 4 n. 4 T. II p. 461-463].

XIV

Si quae earum negotium quodpiam habeat, ante ianuas Monasterij prae-stolabitur, nec quicumque, etiamsi mas sit, intra claustrum ingrediantur, praeterquam ij quos intromittendos Praeses volet. Quare de quovis veniente janitor Praesidi significabit, etiamsi non ipsum Praesidem modo, sed vel Fratrem quempiam requirat. Praeses autem respondebit tali, prout respondendum iudicaverit, aut Fratri alloquendi facultatem permittet, addito alio, seu etiam absque eo, prout magis expedire intellexerit. Frater tamen studebit ut sermo-cinationes, in quibus plures noxae committi possent, frequenterque committuntur, praecedit. Ex eiusmodi enim sermocinationibus plures cogitationes in anima, in Deo cultu, omniqe opere bono distrahentes enascuntur. Quodsi necessitas sit loqui quidpiam cum quacumque faemina in templo, aut in porticu templi, id non sine praesentia Fratrum fiet, nisi forte eiusmodi colloquio alijs complures interessent homines. [Reg. brev. 220 T. II p. 695-6].

XV

Si quis ausus sit alloqui Faeminam seorsim ab alijs contra haec statuta nostra, is suspectus censebitur de candore Religioso, parvique pendens honestum omnium in Religione nostra agentium. Quare cum primo deliquerit, sejunctus ab alijs, perdurabit in cella, solo pane, et aqua contentus, integra hebdomanda. Quodsi iterum idem delictum commiserit, ad alium locum e monasterio transferetur, ibique seiungetur ab alijs per dies quadraginta. Si vero post eiusmodi poenam in idem delictum relapsus fuerit, punietur gravius, pro arbitrio Praesidis. Porro si pergit ulterius, consulendus erit Protoarchimandrita, quid cum tali statuendum sit. [Reg. br. 108-109-111 T. II p. 639-40].

XVI

Socius ea causa additus, ut sit colloquio praesens, ubi quis Nostrorum cum faemina loquitur, ad nullum imperium abscedet, relicto in ejusmodi colloquio Religioso, absque alio socio Nostri Ordinis, etsi is, qui ipsi imperet, sit Praeses ipse Ordinis Nostri, secus socius descendens punietur seiunctione a Fratribus integra hebdomada, prima vice; altera vero per dies quadraginta seiungetur: Sin autem tertio deliquerit, integro anno e monasterio non exibit. Quod si quis iuberet socium suum abire, etiamsi eiusmodi imperio non paruerit, prout nec debet, is si non sit Praeses, per dies quadraginta seiungetur; Si vero Praeses sit, ad mortem usque in Religione a Superioratu abiudicabitur, atque per duos menses a Fratribus seiungetur.

[Ibid. ut supra; Const. mon. cap. III T. II p. 778-780].

XVII

Si per incuriam Janitoris accidat, ut faemina Claustum Monasterij ingrediatur, Janitor punietur arbitrio Praesidis; si vero consulto permisit ingredi, pravoque animo, punietur seiunctione a Fratribus per dies quadraginta, nec votum in Capitulo habebit ullum, per annos decem.

XVIII

Sorores Ordinis Nostri nemini Fratrum nostrorum, aut alloqui licebit, praeterquam Praesidi, aut Patri earum Spirituali, quem eis Praeses assignaverit, aut etiam antiquioribus Patribus delectis ad id a Praeside; tamen nec ijs Sororum ullam, ne spiritualiter quidem, alloquentur, nisi praesente Superiorissa, cum ea vero alijs duabus Sororibus antiquioribus. Ad eas autem ne solus ingredietur, sed comitatus uno aut duobus Fratrum antiquiorum, nihilominus alloquia eiusmodi congressionesque erunt rarae, brevesque cumque magna circumspectione, ut nec alijs imbecillioribus scandalo simus, nec ipsi suspicionem incurramus; item ut tales ad conversandum cum illis deligantur, qui ipsi ex eiusmodi conversatione detrimentum non reportent, sororibus vero Religiosis emolumento, bonoque exemplo sint.

[*Ibid. ut supra*].

XIX

Conservandae Castitati oppido commendamus Fratribus nostris afflictionem, mortificationemque corporis, idque per iejunia, vigilias, aliasque rationes carni molestas, quae a Patribus Spiritualibus praescribentur, quasque pietas cuiusque adinveniet; tamen nemini ijs uti licebit suomet arbitratu, sed cum venia Praesidis pro suis quisque eas adhibebit viribus, ne corpus ineptum servitio Dei reddat.

[Reg. fus. 28; T. II p. 505; Const. mon. cap. IV n. 3 T. II p. 782].

XX

Diligens item cura adhibenda est, ut quivis Fratrum, suam certam aliquam habeat occupationem, ne ullum otio dent Frartere nostri locum. Quare a Patribus Nostris opus manuum in magna erit aestimatione, et usu, nec tantum corpori, sed eo magis spiritui nostro congruentes, bonaenque necessariae sunt occupationes, quales sunt studia literarum, scientiarumque in ijs, qui imperio obedientiae sanctae ijs vacant, vacabuntque, lectio piorum librorum, vitarum Sanctorum Patrum, sive proprio promovendo profectui, sive... proximis, aliaque his similia mentis exercitamenta.

[Const. mon. IV n. 1 T. II p. 780; Reg. fus. 38 *ibid.* p. 538].

OBEDIENTIA.

I

Omnis Vitae Religiosae caput est Obedientia, ut Praesidem suum Dei loco habeat eique obsequenter se in omnibus exhibeat Religiosus, nisi id, quod praecepit, expresse contra legem Dei sit, aliud nihil excipiendum. Itaque si

Praeses, vile aliquod imperet obsequium, uti esset pascere pecus aliudve quidpiam sensui adversans, molestumque carni, bonus Religiosus Exequetur; cuius rei exemplum habetur in vita saecularium, uti in discipulis operis manuum, item in instrumento cuiusvis artis, quod arbitrio artificis in omnibus subest: item in ovibus respectu Pastoris earum.

[Reg. br. 38 T. II p. 601; n. 121 p. 645].

II

Obedientia Religiosa debet esse perfecta, nec externa tantum, sed etiam interna. Ratione Obedientiae externae omnia implebit Religiosus imperata, nec ulli eorum contraveniet, idque etiamsi id praecipiat Praeses, quod vires naturae superare videatur, praestabit absque murmure; licet autem quod imperatum est, exequeretur, si tamen cum murmure et renitentia, deest suo officio, pro quo eo subibit poenitentiam. [Reg. br. 39 T. II p. 602].

III

Internae Obedientiae signum est, ut laetus quisque alacriter impleat iussa, diligenterque asuescat, ut non tantum voluntatem suam Maiorum voluntati conformet, verum ut etiam idem sit eius, ac Praesidis iudicium, neque unquam ulla in re contrarium, quamvis eum scientia, alijsque talentis superet. De Praeside autem firmiter apud animum suum statuet, eum honore amoreque tanquam ipsum Christum prosequi debere [Ibid. ut supra].

IV

Continua, tenacique retinebunt memoria Fratres monitum illud Apostoli (ad Hebr. XIII, 17): Fratres obedite Praepositis vestris, et subiacete eis; item excitabunt sese exemplo Abrahae, aliorumque Sanctorum, tam veteris, quam novae Legis Patrum, qui perfectam Deo praestabant obedientiam. Ut eo vero perfectius voluntas in hac sancta virtute confirmetur, bene concipere debet intellectus, Deum hunc modum regendi homines per homines, maiori merito, copiosiorique in futura vita eorum praemio, ordinavisse, eundemque providentia sua fovere, quem admodum omnes universim, ita quemlibet singillatim; eos tamen singularius, qui per absolutam abdicationem suimet ipsorum plene regimini gubernationique Divinae sese subdiderunt. Ad quam quidem providentiam id quoque spectat, ut ipse praeificiat Moderatores, qui familia eius ex demandatione eiusdem, iuxta Sanctissimam eius voluntatem administrent.

[Const. mon. cap. XXII n. 2 T. II, p. 815].

V

Si quis imperatum opus exequi tergiversetur. Praesidem ipse, vel per alios, si ipse non ausit, adibit, proponetque ei quas ob causas id agere non possit. Si Praeses agnoverit rationes minus aequas, iniunctum opus peraget. Quodsi morbum imbecillitatemve causet, sanus vero, firmusque sit, timeat sibi a severa poena Dei monente eos, qui talenta defodiunt a Deo praestando eidem obsequio, sibi concessa. Si vero Praeses Fratrum cuiquam, advertens eum imbecillum, condescendat, alij non id aegre ferent, etiamsi ei Fratri

multo leviora imponat onera. In Superiorum negotia non sese ingerent, nec inquirent cur id ita, illud secus fiat, sed suo tantum iniuncto sibi attendet quisque officio. Item si quis de Praeside, eiusque actionibus male loquatur coram alijs, formidet poenam, quam licet Maria, quae detraxit Moysi, quae, etiamsi intercederet pro ea Moyses, poena tamen non vacavit.

[Const. mon. cap. XXI T. II. p. 825; Reg. br. 116-119].

VI

Ad Religiosam Obedientiam spectat non tantum agere id, quod imperatum est, verum et nihil agere pro suo arbitratu citra veniam Praesidis. Exempli causa, e monasterio non egredi, opus nullum aggredi, externos non alloqui, literas non scribere, nec recipere; et quamvis res quaepiam ex se bona esset, uti jejunium, vigilia, aut parcitas somni, aliaeve quaepiam afflictiones carnis, tamen haec Praeside inconsulto non adhibenda, quippe cuncta eiusmodi, eisque similia, eo ipso quod proprio arbitratu absque venia Praesidis fierent, magna parte mala, quam bona essent. Solemnis enim S. Patris hac de re doctrina est: Quod inscio Praeside fiat, id furtum esse ac sacrilegium quoddam, quamvis bonum esse censeatur.

[Reg. fus. 41 T. II p. 541; Poen. 59 p. 759; Reg. brev. 128-137-138 p. 649-653; Sermo asc. 2us n. 2, 4 p. 283-286].

VII

Attendet diligenter Praeses, ut Fratres quam perfectissime proprium exuant velle. Quare non permittet eis occupationes, quas ipsi velint, quoque magis volent, eo validius contraveniet. Agant id operis cui admoti sunt, donec sese pervincent, quamvis praeferant id operi, quod eis assignatum est, esse ineptos, aptiores vero ei quod sibi ipsimet deligunt; talesnamque suspectos se reddunt, ac pro inde malo exempla sunt. Optimum tutissimumque est, sententiae Praesidis totum committere, eique acquiescere; secus pervicax erit, peccabitque in Religiosam Obedientiam. Huc etiam spectat, ut ne illum externum suscipiat negotium Religiosus, absque venia Praesidis.

[Reg. fus. 41 ut supra; Reg. brev. 96-112 T. II p. 633-640].

VIII

Non tantum viva Praesidis vox, verum signum quoque qualemunque aliud quo voluntas eius exprimitur, ad exequendum opus, ad quod subditos vocat Praeses, excitabit, uti campana ad Ecclesiam, ad Refectorium, et alio. Ut igitur sonum audient, omnes alias, etsi cooptas, occupationes relinquunt, ac in loco assignato comparebunt, exceptis illis, quibus sub idem tempus aliae occupationes imperio Praesidis exequendae erunt. Quodsi quis non solum ad Ecclesiam orandi, sed nec ad Refectorium quidem reficiendi corporis causa sui tempore non venerit, ieunabit ad certam horam alterius diei.

[Reg. brev. 136 T. II p. 652: Poen. n. 34 p. 757].

IX

Ad profectum in spiritu, vitamque piam, necessum est Fratribus, ut conferant cum Praeside, et cum ijs quos ipse huic rei destinaverit. Eorum consilio

utantur, eisque arcana quaeque cordis patefaciant, nil celantes, hoc est propensiones ad bonum, malumve, inspirationes in bonum, cogitationes, ac tentamenta, si quae accident in malum. De profectu quisque suo in perfectione Religiosa solicitus esse debet, nec de suo duntaxat, sed de reliquorum quoque Fratrum. Unde si qua in re eos contra legem Dei, aut Regulas, consuetudinesque vitae Religiosae deliquescentes advertat. Praesidi, aut destinato ab eo significabit, quod ni faciat, Fraterque qui curari potuit in malo inveterascat, incuratusque fiat, lapsus eius reus fiet.

[Reg. fus. 26 T. II p. 518; Sermo asc. 5us n. 2 p. 453-4; Poen. n. 40 p. 757].

X

Nullum vitium parvi pendent Fratres, quodsi aliquid committatur diligenter per poenitentiam resarcient. Praeses item pro qualibet culpa poenam Fratribus infligit, diversam pro diversitate culpae, imitans peritos medicos, qui contrarios morbos contrarijs curant medicamentis; eodem modo Praeses quoque suberbiam admotione ad opus vile, inanes sermocinationes silentio, somnolentiam vigilia, desidiam Spiritus oratione, corporis ignaviam opere duriore, ingluviem ieunijs, murmur seunctione ad tempus a consuetudine aliorum Fratrum aliasque consuetudines pravas ac animi aegritudines alijs emendabit medicamentis.

[Reg. fus. 51 T. II p. 554-5; Reg. brev. 4-106 p. 583-638].

XI

Ii vero, quibus poena inficta fuerit, ne putent id ab odio erga eos Praesidis, sed potius ab amore preficisci. Quapropter grato etiam animo acceptabunt, atque cum hilaritate subibunt tanquam salubrem, eorumque animis conducecentem rem. Demum excitabunt animum, propositumque facient corrighendi id, pro quo poenas luunt. Considerent laborantes morbis corporis, quos etiamsi medici secent, urant, amaris pharmacis potent cibentque, ac multum insipida sensui praeter ista propinent, tamen alacres acceptant, medicisque eiusmodi gratiam deinde debent.

[Reg. fus. n. 52 T. II p. 555; Reg. brev. 158, p. 662-3].

XII

Non Praesidi tantum, verum etiam ijs, qui vices eius implent, eiusdem modi obedientiam praestabunt Fratres; sed pariter Officialibus ad diversa Monasterij obeunda munia destinatis in ijs, quae munus eorum respiciunt, parebunt; uti Ecclesiarchae in rebus ad bonum ordinem ecclesiasticum spectantibus, Scholasticis in rebus literas concernentibus, Oeconomo in domesticis, alijsque qui potestate a Praeside collata alios Fratres dirigent; qua in re illud attendendum est, ne respiciatur quis sit is, cui obeditur, sed quis est ille propter quem obeditur. [Reg. fus. 45 T. II p. 548-550].

RATIO COMMUNIS VITAE.

I

Ad Religionem nostram seu Fratrum communitatem nemo admittendus est, nisi id impense postulet, post postulationem vero Praeses cum aliquot primoribus Patribus, diligenter considerabit, an dignus sit, qui admittatur; admissus autem, annum in Probatione exiget; deinde si Praesidi, alijsque ad id destinatis Patribus visum fuerit, ad vota admittetur, vel retardabitur, quousque necessum, expediensve fuerit; ipse tamen ex sua parte mox post annum peractum paratum se praestabit.

[Reg. fus. 10-11-12 T. II p. 491-494; Reg. brev. 97 p. 634].

II

Habitatio Religiosa remota sit ab habitatione hominum saecularium, ut neque nos cum ijs, neque ipsi nobiscum commorentur. Ad haec, ne sibi in solitudine habitationem eligat Religiosus, sed in communitate multorum Fratrum ad minimum vero decem, communia cum ipsis habens omnia, tum quae ad Spiritum quam quae ad Corpus pertinent, sub eodem Praeside.

[Serm. asc. 4us n. 4 T. II p. 450; Reg. fus. 7 p. 481-485].

III

Quale est munus, nexusque mutuus membrorum eiusdem Corporis inter se, talis convictio debet esse inter Fratres Communitatem incoentes: quilibet suum opus peragat, in alterius vero non se ingerat. Commune bonum quivis ex sua parte curabit pro viribus; Omnes, quod noxiū sit toti corpori aut commembro cuiquam, abigant. Si bene cedeat uni, laetentur omnes; si vero adversum quid accidat uni, omnes tristentur, opemque quilibet pro suo virili, ac auxilium ferre contendat.

[Serm. asc. 5-us n. 2 T. II p. 453; Reg. fus. 7 p. 481; 48 p. 552].

[Serm. asc. 5-us n. 1 T. II p. 453].

IV

Ira, recordatio offensae, contentiones ne sint inter Fratres, ne dum re, verum neque indicio; et quamvis aliquis irascatur, vel contentiones excitet tanquam provocatus et offensus ab alio, apud Deum eiusmodi causatio locum non habet. Detractores, et ij, qui audiunt detractiones, non sunt ferendi inter nos. Et quidquid charitatem mutuam dissolvit, id omne evitabunt Fratres. Quod Fratri meo scandalo sit, id non faciam, siquidem id opus in mea potestate est, hoc est, ut quemadmodum illud facere absque noxa, ita pariter absque noxa intermittere possim. Si quis facto scandalizet, aut verbo legem transgrediatur exemploque suo alios ad transgredientiam legem inducat, aut etiani impedimento sit alteri ad implendam legem, aut opere, etsi ex se non malo, imbecillioribus ansam transgressionis legis praebeat, is diligenter vitandus est. Accidere quoque solet scandalum, cuius nemo causa, aut occasio sit, nisi is qui scandalizatur, ut si quis scandalizetur, quod ego legem Dei adimplam; eiusmodo vero scandalum curandum non est.

[Poen. n. 46 T. II p. 757-8; Reg. brev. 64 p. 615].

V

Singularitas in Communi vita est magnum contagium; quare evvitabunt eam Fratres. Constitit autem in eo, si Fratrum quispiam velit quid sibi singularē in esu, potu, vestitu, strato, munijs Monasterij, alijsque studijs, aut si velit liber esse a quapiam re, a qua alij liberi non sunt, excepto, si cui Praeses permittat, id quod absque iusta gravique causa non faciet.

[Reg. brev. 131 T. II p. 650].

VI

Honore alter alterum prosequetur, verbo factoque contendes quisque id, ut ne verbulo contristet Fratrem; Si quis vero contristet, redire cum eo in gratiam debet; Si vero id neglexerit, indignum se praestabit consuetudine aliorum; alter vero id ignoscat, timeat a Iudicio, quale accidit illi, qui decem millium talentorum remissionem consecutus a suo Hero, conservo suo, qui ipsi centum debebat denarios, tantillas dum restitueret, negavit inducias.

[Reg. brev. 41-42 T. II p. 603; Poen. 30-38 p. 756-7].

VII.

Sacerdotibus maior exhibenda est reverentia a Fratribus, quos ipsi Patres vocabunt; majorem autem illis, qui principaliores sunt, plusque laborant in communi spiritualiter opere, docendoque alios, quod non est singularitatem inducere, sed bonum Ordinem curare iuxta doctrinam Apostoli (1 ad Timot. V, 17): Qui bene praesunt Presbyteri, duplii honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina. Quodsi quis Fratrum ea re offendatur, audiat illa verba (Mat. XX, 15): An oculus tuus necquam est, quia ego bonus sum.

VIII.

Si quis sermo sit inter Fratres, ut unus alteram, contrariam alter tueatur partem, super hoc non concertandum contentiose, ne charitas laedatur, sed vel supersedendum ab eiusmodi sermone, vel si res exigat, permittent se sententiae Praesidis.

[Poen. n. 32 T. II p. 756-7].

IX.

Quamvis Officium Oeconomi aut Celarij, aliaque id genus officia Monasterij penes unum esse possint usque ad eius obitum, si ipsum Praeses aptum esse censeat, tamen alia Ministeria domestica, uti Trapezacomi, Lectoris ad mensam, aliaque similia, obibunt singuli ex ordine per vices, hebdomadatim, sive aliter, prout Praeses statuerit. Ut autem quivis sciat de suo munio, scribetur in charta Ordo a Praeside affigeturque in loco consueto, ubi omnes legere possint. Charitas quoque fraterna poscit, ut alter alterum adiuvet, quemadmodum facere solent famuli in praestandis ministerijs erga heros suos; quod tamen cum venia Praesidis fiet.

[Reg. brev. 104-156 T. II p. 638-661; Serm. asc. 4-us n. 5 p. 450-1].

X.

Cum ministramus Fratribus, ea id voluntate praestandum est, ac si Christo ministraremus, ut intelligent Fratres, quod ex charitate ministremus: cum autem Fratres nobis ministrant, eo animo eorum ministerium acceptandum est, veluti Petrus Christi. Charitas inter Fratres talis sit, quam nos edocuit Christus (Jo. XV, 12): Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos; majorem hac dilectione nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. [Reg. br. 160-161-162 T. II p. 659-660].

XI

Verbum nostrum esto: Est, est, non; iuramento nihil affirmandum. Aspectus, auditus, sermo, responsio temperabuntur utilitate et fructu spirituali. Ausculta sermonem spiritualem, a saecularibus diverte aures, a contentionibus aut sermonibus, quibus quoque modo charitas laedi possit, diligenter eavendum itemque a iocis, qui offendant; nec praecepitandus prius sermo, antequam eum maior aetate, aut scientia ordiatur; cum vero aliqua de re loqui inceperint, vox in sermone accipiet a necessitate, cum remotioribus erit intensior, cum propinquis remissior: generatim autem loquendo clamoritas a voce abesse debet, tam in sermonibus, quam in consilijs nostris.

[Reg. br. 151 T. II p. 659; Sem. asc. 5-us n. 2 p. 454-5; 2-dus n. 8 p. 291; Poen. n. 5 p. 754].

XII

Silentium magna diligentia colendum est a Fratribus, praesertim in Ecclesia, in Refectorio et in cubiculis. In cubiculo vero, si quid contingat loqui, ita loquendum, ne in altera cella, aut prae foribus, id quod dicitur, audiatur. A Completorio ad Primam usque horam nil prorsus loquendum, etsi quid etiam necessarium fuerit, nisi in aliud opportunius deferri tempus non possit; tum vero non vocali sono, sed submisso susurro, brevibusque verbis res expedienda.

[Reg. fus. 13 T. II p. 495; Reg. brev. 173 p. 671].

XIII

Sermoni, quem Religiosus ubicunque conferet, haec lex esto, nil loquetur, quod citra fructum spiritualem sit. Cum hominibus saecularibus quam circumspectissime loquetur, ut non tantum a verbis absit, quo scandalizetur, sed potius aedificetur. Si quis vero de mala quapiam consuetudine frequenter monitus, non tantum non se emendet, sed praeterea monitione offendatur, resecandus est a caetu Fratrum, iuxta illud (Mat. XVIII, 9): Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. [Serm. ase. 5 n. 2 T. II. p. 453-455].

XIV

Puritatem animi diligenter curabunt Fratres, non lethales dumtaxat noxas, sed veniales queque vitando, quam ob rem semel saltem singulis hebdomadis confitebuntur destinato a Praeside confessario, itemque Corpori Christi

die quolibet Dominico communicabunt, quod idem praestabunt alijs quoque diebus solemnium Festorum, praesertim Despoticorum, seu Christi Domini.

XV

Omnis destinatum tempus examini conscientiae, ituri cubitum horae quadrantem, mane autem quovis orationi mentali dimidium horae, deinde lectioni piorum librorum quadrantem quotidie omni cum diligentia impendent, concioni etiam adsint cum in Ecclesia nostra peragitur; omnia haec cum fructu animae praestando.

[Reg. fus. 37 n. 5 T. II p. 537; Sermo asc. 2 n. 10 p. 294;
Serm. asc. 4-us n. 4 p. 449-50].

XVI

In refectione corporis, danda opera est, ut temperantia modestiaque intus et extra servetur; benedictionem mensae, gratiarumque post mensam actionem, omnes debita cum devotione, et reverentia agent: tempore autem quo reficitur corpus, animae etiam lectione piorum librorum suus exhibendus est cibus.

[Reg. Brev. 180 T. II p. 676].

XVII

E traditione Sanctorum Patrum, refert relaxare se a consuetis occupationibus ad breve tempus, ut ad easdem aptiores deinde efficiamur. Quare nos etiam qualibet die horam a prandio, a caena vero ijs diebus, quibus caena sumitur, horae dimidium colloquijs bonis pijsque quibus omnes interesse oportet, impendemus. Congressibus eiusmodi semper aderit, si non ipse Praeses, saltem quispiam primorum Patrum, attendetque, ut colloquia Fratrum, animo sint proficia, nec mentem implicent, sed potius exhilarent, ioci honesti modestique risus permittuntur in eiusmodi locis, inter Fratres; Disputationes qualescumque fugienda; sermone ibi, qui ab omnibus intelligatur, utendum est. Ijs vero diebus, quibus caena non apponitur, convenient non relaxandi causa animi, sed praelegendae meditationis diei crastinae.

[Serm. asc. 2-us n. 8 T. II p. 291].

XVIII

Exituri domo, nomina sua in tabula signabunt, ac Janitori dicent quo vadant, antequa noctem tempestive domum redeant.

XIX

Fratribus aegrotantibus, in eorum morbis omne ministerium ex charitate a Fratribus praestabitur. Prima cura erit animae per Sacram exomologesim, et Communionem Eucharisticam Corporis Christi ac Orationem. Secunda cura erit valetudinis corporis, procuratioque medicorum ac medicinarum, non parendo sumptui pro eo quidquid Medici aegroto necessarium esse iudicaverint, cui attendendo, designabit Praeses aliquem ex Fratribus ab id idoneum, et in charitate ferventem. Praeterea ipse quoque subinde inviset aegrotum so-

latij ergo, aliosque Fratres mittitabit; esculentorum pro eis singularior erit cura, qua de re, consulentur medici, qui quidquid dandum praescribent eis, detur.

[Reg. fus. 19 T. II p. 506-507; n. 55 p. 557-562].

XX

Praesides Monasteriorum in id incumbent, ut in quolibet Monasterio sit cella pro aegrotis seu nosocomium in eoque lecti et strata supelleque, domestica separata, non tantum necessitati, sed solatio quoque aegroti serviens; quod totum curae Nosocomi suberit; ad id nosocomium aut cellam aegrotantium, Frater, ut primum corripetur morbo, deducetur, ad summum tertia, ab incepto morbo, die; illique morabitur, dum convalescat.

[Reg. brev. 286 T. II p. 737].

XXI

Ut primum senserit in se morbum, Frater Praesidi, aut Nosocomo significabit, comparabitque se ad acceptandum grato animo e manu Dei. Item solidabit se in seria patientia, ut si penuria etiam, aut incommodatio quaepiam a Fratribus in eorum Ministerio subeunda sit, ferat, sustinentiamque verbis Religiosis ostendet, significans totum se e manu Domini alacri animo acceptare cumque pauperiem Christi adamarit, aequum esse intelligat, ut ne ea comoda, quae opulentii quique exigunt, requirat.

[Reg. fus. T. II p. 557-562].

XXII

Omnis hasce Regulas apud se habebunt Fratres easque semel in mensem relegentes, aut legi in Refectorio audientes, memoria, quo facilius eas adimpiant, repetent. Honori, Gloriaeque Dei Unius in Triade, Nostroque profectui in Spiritu.

AMEN.

9.

Vilnae, 1617-1637

«*Sententiae spirituales*», quas *Metropolita Josephus Rutskyj dedit Congregationi Monacharum Basilianarum in monasterio S. Spiritus Minsci. Ista*e* «*Sententiae*» e *Ms. in eodem monasterio conservato, typis mandatae erant Vilnae a. 1770.**

Hic tradimus eas in versione italica ex libello: Regole del nostro S. Padre Basilio Magno, ... raccolte da Mons. Giuseppe Welamin, Metropolita Ruteno e consegnate al monastero dello stesso ordine in Minsk (Roma, della stamperia della S.C. de Propaganda Fide 1854), pp. 130-135.

MASSIME SPIRITALI

necessarie alle persone religiose e degne di esser tenute a memoria⁴⁸.

1. Alla corona nel chiostro procede la fatica, ed il combatimento.
2. Vive sicura in religione chi non vive per se, ma per Iddio.
3. Si arresta sempre la Religiosa, che non progredisce sempre nella sua vocazione.
4. La Religiosa, che si briga delle altrui faccende ha molto difetto, e svantaggio nelle proprie.
5. Non può servire a Dio quella Religiosa, che non sa commandare a se stessa.
6. Non cercare da quanto tempo ti trovi in Religione, ma quanto bene in essa tu viva.
7. Commette una specie di furto, chi vive inutilmente in Religione.
8. Come morirà nel Signore quella Religiosa, che vivendo non ha fatto nulla per Signore?
9. Mal si serve della cella che in essa o non fa nulla con Cristo o non lavora nulla per Gesù Cristo.
10. Non sa amare se stessa quella Religiosa che si permette il superfluo.
11. Il Signore vuole, che la sua serva sia forte e laboriosa, e non delicata.
12. Non serve a Dio, ma a se stesso, chi nel servizio di Dio cura il suo proprio temporale vantaggio.
13. Guai, guai a quella Religiosa, che non è buona fra le buone.
14. Non è umile quella Religiosa, che non desidera esser disprezzata, o si irrita quando la disprezzano.
15. Non è povera chi non sente gli incomodi della santa povertà.
16. Non è pura, chi non respinge sull'istante i nemici della purità.
17. Non è obbediente, chi nell'obedienza siegue il proprio parere.
18. Certo la doctrina è un ornamento della Religiosa, ma la virtù è quella che la corona.
19. Guai a te che istruisci le altre colle parole, e corrompi cogli esempi.
20. Peste e veleno della Religiosa è la sua propria volontà.
21. La Religiosa, quando si trova fra gli uomini, si ricordi che è una Religiosa, e non un Pittore.
22. Guai alla Religiosa, che ama più la salute, che la santità.
23. Una serva di Dio non deve vivere per mangiare, ma deve mangiare per vivere, e servire Iddio.
24. Una serva di Cristo per amor di Dio non deve curare affatto i propri commodi.
25. Una Religiosa trascurata è la consolazione ed il piacere del demonio.
26. La Monaca curiosa, che si informa volentieri degli affari altrui, dimentica se stessa.
27. Quanto più fatichi per Gesù Cristo tanto più sei obbligata a Cristo; poichè ciò è il tuo vantaggio.
28. Dio non voglia che la Religiosa abbia ad avere la voce di Giacobbe, e le mani di Esau.

⁴⁸ Sententias has hic adiungere utile fore duximus propter earum etiam valorem intrinsecum et asceticum.

29. La lingua della Religiosa è la tromba del cuore e della sua mente.
30. I buoni esempi sono la vita delle persone Religiose, ed i cattivi sono la morte degli uomini del secolo.
31. Come sarà una Religiosa lume del mondo, se non illumina se stessa?
32. Non sa guadagnarsi Cristo, chi non sa soffrire per Gesù Cristo.
33. Una buona Religiosa non è meno diletta da Dio quando è inferma, che quando è in salute.
34. Non si lagnerà nè griderà nell'infermità se conserva la pazienza, ed avranno carità quelli che servono.
35. Non vive da Religiosa chi fa poco conto dei peccati veniali.
36. Se i peccati veniali non piacciono a Dio negli uomini del mondo, e come gli piaceranno in una Religiosa?
37. La Monaca oziosa divien preda del demonio.
38. La Monaca rissosa è luogotenente del demonio.
39. Non si unisce con Dio chi non ama la preghiera.
40. Non è ancora in Religione quella Monaca, che si interessa del superfluo pei congiunti.
41. Il demonio maneggia come una palla la Monaca vana.
42. E' una pazzia l'essere utili agli altri, e nuocere a se stessa, ne è questa carità ordinata.
43. Una buona Religiosa disprezza il mondo, e si rallegra quando il mondo la disprezza.
44. Una serva di Cristo desidera esser santa, e non vuole essere veduta e tenuta per santa.
45. Non hai dato nulla a Cristo, se non gli hai dato intieramente il tuo cuore.
46. Una Religiosa zelante è il flagello dei demonii.
47. Una Religiosa iraconda è come un fulmine infernale che turba ogni cosa.
48. Una Religiosa tranquilla è l'onore del suo stato, e l'ornamento dell'Ordine.
49. Che ti giova abbandonare il mondo, se non farai penitenza in Religione?
50. Una serva di Cristo soffre con pazienza, parla con modestia, ed opera molto per Gesù Cristo.
51. La Religiosa che si è data ed è pronta a tutto pel Signore e pei Superiori, è la perla preziosa dell'Ordine.
52. La Religiosa è buona se ha abbandonato il mondo, ma sarebbe megliore se il mondo l'avesse abbandonata.
53. Quella è veramente Religiosa, che dice veramente: « Dio mio è tutto ».
54. La Religiosa, che ha ed ama le sue proprie cose, perde più di quello che prende.
55. Non vivrai tranquillamente, se regnerà in te anche un solo affetto, sebbene gli altri fossero superati.
56. Non inganna la Superiora ma se stessa quella Religiosa, che quando dovrebbe dire con più verità « non voglio », dice, « non posso ».
57. Chi non tiene i suoi Superiori in luogo di Dio, non sarà egualmente tenuta da Dio per figlia.
58. Se in Religione non sei buona fra le buone, come sarai buona nel mondo fra i cattivi?

59. Non si opponga ad alcuna chi in Religione vuole aver pace colle sorelle.
 60. E' ingrata quella Religiosa, che pensa di aver dato all'Ordine più di quello che ha ricevuto da esso.

10.

(Novogrodek)..., X. 1617

Alumnis romanis de missione quorundam Graecorum in Russiam, nec non refert minutim de iis quae in monasteriis Basiliatorum eveniunt.

ARCH. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. I, fol. 350-350v.

Charissime in Christo Frater Anastasi⁴⁹.

Ultimis litterisi vestris, quas sine inscriptione mensis et diei imo etiam anni scriptis ad me, vobis respondeo. Ex litteris Domini Bombacij colligo esse scriptas prima Augusti anni currentis, non miremini non fuisse scriptum in praeteritis litteris locum, in quo dare debebat illas Domino Bialozori⁵⁰; certus enim erat nuncius et in eodem fasce ad alios mittebantur litterae, propterea non scribebatur, ubi reddi debebant. Per Fratres nostros, quos misi Romam⁵¹, scripsi vobis fusius, nunc tantum illa mitto, quae occasione vestri discessus petere debetis a Summo Pontifice per alterutrum Dominorum Cardinalium, vel Borghesium vel Iustinianum; procurate ergo ut hoc obtineatis. Desiderassem ut de Domino Bombacij prius mihi scripsissetis, quam de Domino Philippo Gibbetti, ad quem propter vestram persuasionem per Fratres dedi litteras, ad Dominum Bombacium vero nullas. Agite ea dexteritate, qua potestis, ut illum vobiscum ducatis, quem aptiorem his nostris partibus ex illis iudicabitis, id est doctiorem, firmiori valetudine, non levem, sed stabilem in suis propositis, affectum ad Religionem, et similia. Scitis quale salarium promisi uni ipsorum propter commendationem vestram, etiamsi nolle esse Religiosus, sed saecularis, velle illud dare digniori. Si de Domino Bombacio scripsissetis prius, libentissime obtulissetem ipsi, sed si iam redditae sunt litterae Domino Philippo, difficile erit illud revocare ex parte mea, nisi forte vos ex parte vestra invenietis medium quo, sine ulteriori mea promissione, ducetis utrumque; promittere alteri nihil audeo propter paupertatem meam; si tamen veniet ampliabitur charitas praesertim si intelligetis quod animum habeat ad Religionem; per unum enim annum vel ego de Archiepiscopalibus, vel Monasteria de suo invenire tantum poterunt etiam pro alio. Imo desidero Dominum Bombacium et quocumque modo potestis trahere ipsum trahite, modo ex parte nostra non reiciatur alter, cui facta est promissio, nisi ipse ex sua parte mutet animum. (f. 350 v.). Vos etiam, ut dixi, considerate qualitates, ne vel ipsos poeniteat venisse, vel nos vocasse.

⁴⁹ Anastasius Antonius Sielava, Alumnus Collegii Graecorum de Urbe, dein Episcopus Polocensis (1624-1655), et Metropolita Kiovensis (1640-1655). Cfr. eius epistolas in volumine secundo praesentis collectionis *Epistolarum Metropolitarum Kiovensis Catholicorum*, Romae 1956.

⁵⁰ Quidam Nobilis Lithuanus Romae tunc temporis commorans.

⁵¹ Novi Alumni erant, ut videtur, Nicephorus Zareskyj et Cyprianus Rudnyckyj. Cfr. TABULARIUM COLLEGII GRAECORUM DE URBE, vol. 14, fol. 48-43.

Quod attinet ad redditum vestrum, redite, ut per Fratres scripsi, cum Domino Tryzna, ad quem ex futuris Deo dante Comitiis scribemus et viaticum mittemus. Comitia autem speramus in medio Februarii anni subsequentis futura. Mallem ut maneretis diutius, quam scripsistis, ut in lingua tam Graeca quam Italica perfectiores evadatis. In monasterio Vilnensi⁵² omnes officiales sunt mutati, et omnia post Novitiatum in alia forma sunt constituta. Superior Monasterii est Pater Leo⁵³, ipsius Vicarius Pater Joannes; Pater Josaphat post quattuordecim, Deo dante, dies, consecrabitur in Episcopum Polocensem⁵⁴. Pater Sylvester est Superior in Krasnybor, ubi habemus scholam Religiosorum, ubi nunc tantum novem sunt. Pater Gregorius in Novogrodeci; Suprasl⁵⁵ speramus brevi nos habituros, quia Castellanus Vilnensis qui difficultatem faciebat, mortuus est.

Alia vobis sribent alii; per istam occasionem nihil sribunt, quia hic sumus apud Rev.mum Episcopum Vilnensem, ego et Pater Athanasius Pacosta, Superior Monasterii Minscensis, qui vos salutat. Quae vobis scribo, etiam Fratri Hieronymo, cui ex occasione precor firmam valetudinem ad gloriam Dei, et magna gratiae incrementa. Dominum Tryznam salutate, et alios omnes Patres et Fratres Collegii. Interim Domino Deo vos commendo. De ... octobris A. 1617.

Vestri amantissimus

Josephus Archiepiscopus.

11.

Varsavia, 3. III. 1618

Depositio iurata Josephi Rutskyj in processu informativo pro Stanislao Kiszka, Coadiutore Samogitiensi.

ASV, *Processus Consistorialis*, vol. 15, fol. 520-547.

Depositiones J. Velamin Rutski ad interrogatoria in processu promotionis ad Ecclesiam Samogitiens, ritus Latini, Adm. Rev. Domini Stanislai Chisca⁵⁶, Praepositi Vilnen. et Ghieranonnien., Referendarii Magni Dueatus Lithuaniae.

Franciseus Diotallevius⁵⁷ Dei et Apostolicae Sedis gratia Ep.pus S.ti Angeli S.D.N. Pauli div. Prov. Papae ipsiusque Sedis Apostolicae ad Serenissimum Sigismundum III Poloniae et Suetiae Regem ipsiusque Poloniae Regnum ac Magnum Lithuaniae Ducatum et cum facultatibus legati de latere Nuntius, universis et singulis... die secunda Martii anno D.ni millesimo sexcentesimo decimo octavo coram nobis comparuisse Adm. Rev. D. Stanislaum Chisca, Praepositem Vilnen, et Ghieropolitanen. et Referendarium Magni Dueatus

⁵² SS. Trinitatis, unde tota Congregatio nomen sumpsit.

⁵³ Leo Laurentius Kreuza, dein Archiepiscopus Smolenscensis (1625-1639). Alumnus Romanus.

⁵⁴ Josaphat Kuncewyez. Cfr. *supra*, nota 44.

⁵⁵ Monasterium Supraslense. Certam autonomiam retinuit usque ad suam suppressionem, propter oppositionem praesertim Dominorum saecularium ius patronatus exercentium.

⁵⁶ Stanislaus Kiszka, Episcopus Samogitiensis (1619-1626).

⁵⁷ Nuntius Varsaviensis (1614-1621).

Lithuaniae... (*sequitur porro simplex processus verbalis in simili processu faciendo fieri solitus*).

Interrogatoria facienda testibus, examinandis super vita, moribus, doctrina ed idoneitate Adm. D. Stanislai Chisca Praepositi Vilnen. et Ghieropolitan. et Referendarii M. D. Lithuaniae pro promotione ipsius facienda ad regimen dicti Episcopatus Samogitiae.

1. An cognoscant Adm. R. D. St. Chisca, Praep. Vilnen. et Ghieropolitanen. et M. D. Lithuaniae Referendarium, a quanto tempore citra et quae causa cognitionis fuerat?
2. An sint illi consanguinei, affines, propinquui, aut aliqua familiaritate coniuneti, benevoli seu malevoli et inimici?
3. An sciant in quo loco, et dioecesi natus est Adm. Rev. D. Stanislaus, cuius aetatis, et ubi educatus sit, et quomodo sciant?
4. An sciant ipsum esse natum ex legitimo matrimonio catholicis et nobilibus parentibus ortum et quae nomina et cognomina eorundem essent, et quomodo sciant?
5. An sciant ipsum in S. Ordinibus constitutum, quibus et a quanto tempore citra, et quomodo sciant?
6. An sciant ipsum solitum frequentare sacramenta et sacram Missam celebrare, et quomodo sciant?
7. An sciant eum esse in ecclesiasticis functionibus et in executione ordinum susceptorum diu versatum, et quomodo sciant?
8. An sciant ipsum fuisse verum catholicum et in fidei puritate permansisse, nec ulla unquam haeresi suspectum, timoratae conscientiae, integritate vitae et bonis moribus praeditum, divini honoris et proximi salutis ze- lantem?
9. An sciant ipsum fuisse coniugatum vel bigamum?
10. An sciant aut audiverunt fuisse eidem aliquid imputatum in iudicio vel contra in foro ecclesiastico seu saeculari, de re tangente vitam, mores et fidem, eumque offendisse aut scandalizasse aliquem verbis vel facto?
11. An sciant ipsum in aliqua universitate, vel Studio Generali litteris ope- ram navasse, et in qua seu quo, et an sciant ipsum esse doctorem, seu licentiatum in Sacra Theologia vel Iure Canonico, vereque illa doctrina pollere, quae in episcopo requiritur, ut alios docere possit, et quomodo sciant?
12. An sciant ipsum habere, aut habuisse aliquando beneficia ecclesiastica, et quae, aut circa curam animarum seu regimen alicuius Ecclesiae se exerceuisse, et quomodo in illis se gesserit tam *quoad doctrinam* quam *quoad prudentiam*, et quomodo sciant?
13. An sciant huiusmodi beneficia requirere residentiam, et esse compati- bilia necne?
14. An sciant ipsum resedisse in loco illarum Ecclesiarum, in quibus residere debebat et adstringebatur, et si aliquando non resedit, qua de causa id fecerit?
15. An sciant ipsum alienasse quovis modo bona beneficiorum suorum?
16. An sciant ipsum permisisse haereticis detinere bona suorum beneficiorum?
17. An sciant ipsum habere familiam haereticam, aut familiarem cum haere- ticiis vel esse aliqua censura ecclesiastica aut irregularitate innodatum, vel

aliquo corporis aut animi vitio, aliove impedimento canonico teneri, constrictum, unde ad huiusmodi Episcopatum et Ecclesiae regimen promoveri non debeat?

18. An sciant ipsum esse prudentem, maturi consilii et vitae exemplaris, et habere qualitates a Sacris Canonibus et Concilium Tridentinum requisitas in promovendis ad Ecclesias cathedrales ita, ut sit aptus et idoneus ad defensionem iurisdictionis, et bonorum Ecclesiae Cathedralis Samogitien., et digne possit promoveri ad illam, eiusmodi promotio futura sit in honorem et gloriam Omnipotentis Dei, utilitatem dictae Ecclesiae, et aedificationem gregis sibi committendi, et unde moveatur ad ista existimanda?

Interrogatoria facienda testibus examinandis super eiusdem Episcopatus eiusque Cathedralis statu, situ, regimine, et administratione.

1. An sciant in qua Provincia sita sit civitas Vornae⁵⁸, cuius situs, qualitatis et magnitudinis, quot focularia constitutat, cuius dominio temporali subiaceat, et quomodo de illis notitiam habeat?
2. An sciant in praedicta civitate adesse Ecclesiam Cathedralem, sub qua invocatione, cuius mensurae et qualitatis, et an aliqua reparazione indigeat?
3. An sciant quot et quales sint in dicta Ecclesia Cathedrali dignitates, canonicatus et alia beneficia ecclesiastica, quis sit numerus omnium Praesbyterorum et Clericorum ibidem in divinis inservientium, quae sit dignitas major post pontificalem?
4. An sciant quales sunt redditus dignitatum, canonicatum, et aliorum beneficiorum dictae Cathedralis Ecclesiae, et quomodo id sciant?
5. An sciant in praedicta Ecclesia Cathedrali existere corpora vel insignes reliquias Sanctorum, et quas, et quomodo decenter asserventur?
6. An in dicta civitate et eius dioecesi viget fides catholica, et Sanctae Romanae Ecclesiae obedientia?
7. An sciant quaedam sit amplitudo diocesis Samogitien., et quot et quae oppida et loca complectatur?
8. An sciant quot existunt nedum in ista civitate Vornae, sed etiam in eius dioecesi Ecclesiae Collegiatae, et Parochiales, quot monasteria virorum et mulierum, quot confraternitates, et hospitalia, et an sit Seminarium secundum formam S. Conc. Tridentini et quot discipulos et quomodo sciant?
9. An sciant quomodo in dicta Ecclesia Cathedrali exercetur cultus divinus et quam de eo notitiam habent?
10. An sciant in dicta Cathedrali curam animarum exerceri per quem seu quos et an adsit fons baptismalis, et quomodo sciant?
11. An sciant eandem Ecclesiam Cathedralem habere sacrarium sufficienter instructum sacra suppelletili ad divinum cultum, et alia ad Pontificalia exercendum, necessaria decoratum? Item corum, organum, capellas, altaria, campanile cum campanis, coemeterium et suggestum, et quomodo sciant?

⁵⁸ Wornie vel etiam prius Miedniki, Sedes Episcopi Samogitiensis, qui etiam vocabatur Mednicensis. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 3, pag. 716-719.

12. An sciant utrum domus pro episcopi habitatione ibi sit, et qualis, et quomodo sciant?
13. An sint plene informati de vero valore reddituum mensae Cathedralis Samogitien., ad quam summam ascendent, in quibus consistant, et an sint aliqua pensione, vel alio onere aggravati et ad cuius favorem pensio sit reservata, et quomodo sciant?
14. An sciant dictam Ecclesiam vacare, et quomodo, et a quanto tempore citra?

Nomina et cognomina infrascripta sunt testium examinandorum, tum super vita, moribus, doctrina, et idoneitate Adm. Rev. D. Stanislai Chisca, Praepositi Vilnen. et Ghierapolitanen. et M. D. Lithuaniae Referendarii, tum super statu, situ, et circumstantiis Ecclesiae Cathedralis Samogitia in eiusdem Adm. Rev. D. Stanislai Chisca promotione facienda ad regimen Episcopatus Samogitien., qui delato prius unicuique ipsorum per Ill.mum et Rev.mum D. Nuntium Apostolicum supradictum ab ipsisque more Praelatorum et Ecclesiasticorum tacto pectore seu Sancta Dei Evangelia Scripturis respective Sanctis praestito juramento ab eodemque Ill.mo et Rev.mo D. Nuntio examinati, et interrogati super interrogatoriis praedictis, unus post alium, separatim, et secreto, scribente me Notario infrascripto eorum depositiones, deposuerunt ut infra, videlicet.

Ill.mus et Rev.mus D. Eustachius Wolovitius, Ep.pus Vilnen⁵⁹.

Adm. R. D. Nicolaus Iszorn, Archidiac. Vilnen.

Ill.mus D. Nicolaus Sapieha, Palatinus Minscen.,

Ill.mus D. Leo Sapieha, Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae⁶⁰.

Magnificus D. Joannes a Druck Sokolinski, M. D. Lithuaniae Notarius.

Rev.mus D. Josephus, Archiepiscopus Chiovien. Halicien. totiusque Russiae.

Rev.mus D. Stanislaus Nieborski, Canonicus Vilnen.

Die 3 martii 1618.

Coram eodem Ill.mo et Rev.mo D. Nuntio Apostolico existente Varsaviae in monasterio PP. Bernardinorum de minori observantia, loco solitae residetiae, meque Notario infrascripto, comparuit personaliter Rev.mus D. Josephus, Archiepiscopus Chiovien. Halicien. totiusque Russiae, testis ex officio vocatus, aetatis suae annorum 46 circiter, ut asseruit, qui praestito iuramento tacto pectore more Praelatorum et Ecclesiasticorum de veritate dicenda, ab eodem Ill.mo et Rev.mo D. Nuntio examinatus super interrogatoriis praefatis, concurrerentibus vitam, mores, qualitates Adm. Rev. D. S. Chisca promovendi respondit ut infra, videlicet:

Ad 1.um respondidit: Novi ipsum ab annis 20 dum studeret in Collegio Patrum Giesuitarum Vilnae.

2: esse tantum benevolum.

⁵⁹ Eustachius Wollowicz, Episcopus Vilnensis (1615-1630).

⁶⁰ Leo Sapieha, Cancellarius Lithuaniae (1588-1623). Vir famosus et potentissimus.

- 3: scio tamen natum esse in dioecesi Vilnen., aetatis esse annorum 30, et educatum Vilnae, ut plurimum, deinde in Germania, postea in Italia.
- 4: notorium est esse natum ex legitimo matrimonio, et nobilibus parentibus ortum. Parens vocabatur Stanislaus Chisca, quia fuit haereticus, sed ante mortem conversus, mater vero Elisabeth Sapia⁶¹, quae fuit Ruthena, sed puto fuisse unitam, quia fuit sepulta in Ecclesia unita, ubi non solent sepeliri nisi uniti Catholicci.
- 5: puto esse annos sex ex quibus est promotus ad ordines sacerdotales.
- 6: ipse vidi, et ex relatione omnium audivi esse devotissimum.
- 7: puto ipsum esse bene versatum.
- 8: natus quidem fuit haereticus, sed a pueritia fuit factus Catholicus.
- 9: fuit coniugatus, sed ob impotentiam ipsius fuit factum divortium e judicio loci Ordinarii Vilnen.
- 10: nihil tale scio.
- 11: scio ipsum litteris humanioribus sufficierter esse instructum, et philosophiam audivisse, et credo doctrina in Episcopo requisita pollere.
- 12: scio habuisse canonicatum Vilnen. et Scholasterium, postea Praeposituram, quam modo etiam possidet una cum alia Praepositura Giegranonen. curata et optime se gessit in illis, quia audivi a fide dignis.
- 13: scio esse incompatibilia et requirere residentiam, sed ipse semper habuit dispensationem Apostolicam.
- 14: puto semper illum residisse, et si aliquando non resedit, fuisse factum ex dispensatione Sedis Apostolicae seu loci Ordinarii.
- 15: nescio.
- 16: nescio.
- 17: puto non habere, nec ista in ipso concurrere.
- 18: scio et quidem dignorem ipso pro tali munere non habebit, cum donaverit etiam Capitulo Vilnen. bona patrimonialia, valoris quinquaginta forte millium florenorum.

Super interrogatoriis concernentibus statum Ecclesiae Cathedralis Samogitien. interrogatus respondidit:

- Ad 1: Oppidum Vornae esse in Ducatu Samogitiae, et credo quod soli Episcopo subjacet etiam in temporalibus et haec omnia scio.
- 2: audivi etiam esse Ecclesiam Cathedralem.
- 3: audivi esse sex Canonicos, Archidiaconatum etiam esse, qui est prima dignitas post Pontificalem, sex etiam esse Vicarios.
- 4: scio etiam esse plane exiguos, et nisi iuvaretur per Parochias, non posse se honeste sustentare.
- 5: nescio.
- 6: viget Dei gratia, sed major pars ferme Nobilitatis est haeretica, rustici vero omnes catholici.
- 7: scio esse angustum
- 8: scio etiam quia audivi esse tota dioecesi 50 Parochias et unum monasterium Patrum Bernardinorum.

⁶¹ Modus scribendi scribae pro nomine: Sapiha, vel hodie Sapieha.

- 9: nescio.
 10: credo etiam esse.
 11: credo esse ista omnia, quia audivi.
 12: credo esse.
 13: scio etiam illum Episcopatum esse valde exhaustum propter perpetuas stationes militum, qui ceperunt esse ab annis 20 puto, tamen, uti audivi, habere in proventibus ultra 3 millia florenorum.
 14: scio non vacare, quia adhuc vivit, modo tamen accipit in Coadiutorem Adm. Rev. D. Stanislaum Chisca supradictum ob eius aegritudinem.
 Et ita pro veritate depositum.
 Josephus Archiepiscopus Chiovien. Halicien. totiusque Russiae.

(*In fine etiam subscriptis notarius*):

Jacobus Philippus Toninius actu Praesbyter Feretranae Dioecesis publicus Apostolica auctoritate Curiaeque supradicti Ill.mi et Rev.mi D. Nuntii Apostolici Notarius et actuarius deputatus (fol. 544v-45).

12.

Varsavia, 2. X. 1618

Metropolita Rutskyj ad Card. Burghesium de transmissione documentorum ex libris ruthenis, quod Rutheni olim in unitate cum S. Sede vivebant.

ASV, *Fondo Borghese*, II, vol. 217, fol. 167r, 179v.

Ill.me et Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Statim ac Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae accepi literas, iussi describi ea omnia, quae vel ad Concilium Florentinum in particulari vel ad unionem Graecorum cum S.R.E. in universali pertinebant ex libris sclavonicis vel ruthenis, eaque quoad partem transmittam propediem, quo ad aliam partem transmittam ubi parata erunt. Quod vero originalia ipsa pro nunc retineam ea est causa, quod iis contra Schismaticos ad probanda dogmata fidei nostrae utamur, quibus refragari non possunt, nec quicquam in contrarium dicere, eo quod rutheni sint non latini, sed nec graeci, quod antiqui sint, prout ex charta et charactere conspicuum est, quod non nobiscum importati aliunde, sed in iisdem Ecclesiis, quod et ipsis notum est, inventi; haec sunt quae potenter convincunt illos, magis quam si codices non tantum latinos sed etiam graecos quam plurimos ipsis offerremus. Transumptis autem statim obiciunt esse a nobis totaliter scriptos, vel magna ex parte depravatos. Ubi igitur Deus Opt. Max. suam sanctam gratiam agnitionis veritatis et ipsis concesserit, quod speramus, tunc quicquid in hoc genere habebimus libenter ad pedes Suae Sanctitatis Domini Nostri Clementissimi ponemus. Interim tamen illorum omnium transsumpta fideliter conscripta et mea manu subscripta quamprimum transmittere contendam, existimans me hoc ipso mandato Suae Sancti-

tatis pro nunc satisfacturum. Cui ut benignissimus Deus concedat vitam diuturnam et omnem foelicitatem ego quoque, licet indignus, cum aliis Servis Dei dignioribus me apud divinam Maiestatem obtinere curabo. Ill.mae ac Rev.mae D.V. Domino meo colendissimo eadem vota et debita obsequia mea offero humillime.

Varsaviae, 2 Novembris, Anno 1618.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillimus servitor ac apud Deum exorator, Josephus Velamin Rutschii, Achiepiscopus Chiovien. totiusque Russiae
fol. 179v:

Ill.mo et Rev.mo Domino. Domino Scipioni Borghesio, Cardinali S.R.E.
Colendissimo. (sigill.)

13.

Varsavia, 2 . III . 1619

Depositiones iuratae Josephi Rutskyj in processu de promotione Bogoslai Radoszewski ad Ecclesiam Kioviensem Latinorum.

ASV, *Processus Consist.* vol. 16, fol. 225-233.

(*Solitis formulis praemissis*⁶²)

Interrogatoria facienda testibus examinatis super vita, moribus et idoneitate Adm. Rev. Dom. Bogoslaui Radoszewski⁶³ pro promotione episcopali facienda ad dictum Episcopatum Ecclesiae Chioviensis, ut supra vacantem.

1. An cognoscant Adm. Rev. D. Bogoslaum Radoszewski, Abbatem S. Crucis, a quanto tempore circa, et quae causa cognitionis fuerit?

(*Simili modo alia 18 interrogatoria, prout iam vidimus in promotione Stanislai Kisszka, sub data 3.III.1618*)⁶⁴. Et dein:

Interrogatoria facienda testibus examinandis super eiusdem Episcopatus eiusque Cathedralis statu, situ, regimine, et administratione.

1. An sciant in qua provincia sita sit civitas Chioviensis, cuius situs, qualitatis et magnitudinis, quot focularia constituant, cuius dominio temporali subiaceat, et quomodo de illis notitiam habet?

(*Alia interrogatoria, mutatis mutandis, prout de promotione Stanislai Kisszka, sub data 3.III.1618*)⁶⁵.

Nomina et cognomina infrascripta sunt testium examinandorum tam super vita, moribus, doctrina, et idoneitate Adm. Rev. D. Bogoslaui Abbatis S. Crucis, tam super statu, situ et circumstantiis Ecclesiae cathedralis Chioviensis

⁶² Cfr. supra, in nr. 11, sub data 3.III.1618.

⁶³ Bogoslaus Radoszewski, Episcopus Kioviensis Latinorum (1619-1633), dein Luceo-riensis (1633-1638).

⁶⁴ Cfr. supra, sub nr. 11.

⁶⁵ Ibidem.

in eiusdem Adm. R. D. Bogoslai promotione facienda ad episcopatum Chioviensem; qui, delato prius unicuique ipsorum per Ill.mum et Rev.mum D. Nuntium Apostolicum supradictum (*Franciscus Diotallevi*) ab ipsisque more Praelatorum et Ecclesiasticorum pectore seu ad Sancta Dei Evangelia... tactis praestito iuramento, ab eodemque Ill.mo et Rev.mo D. Nuntio examinati, et interrogati, super interrogatoriis praedictis unus post alium... secreto, scribente me Notario infrascripto eorum depositiones, doposuerunt ut infra, et videlicet:

Ill.mus et Rev.mus Simon Tudnicki, Episcopus Varmiensis⁶⁶.

Ill.mus et Rev.mus Otto, Episcopus Vendensis⁶⁷.

Rev.mus Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

(sequuntur alii 4 testes: fol 225-228).

Die secunda Martii 1619 (f. 231v).

Coram Ill.mo et Rev.mo D. Nuntio Apostolico, existente Varsaviae, in Monasterio Patrum Bernardinorum de minori observantia meque Notario infrascripto, comparuit personaliter Rev.mus D. Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae, testis ex officio vocatus, aetatis suae annorum 42, ut asseruit, qui praestito iuramento tacto pectore more Praelatorum et Ecclesiasticorum de veritate dicenda, ab eodem Ill.mo ac Rev.mo D. Nuntio examinatus super interrogatoriis praefatis concernentibus vitam, mores et qualitates Adm. R. D. Venceslai Radoszewski promovendi prout infra, videlicet:

- Ad 1: modo primum novi hic Varsaviae.
- 2: novi ipsum, ut praedixi.
- 3: nescio.
- 4: nescio.
- 5: scio tamen ex fama esse nobilem.
- 6: nescio.
- 7: nescio.
- 8: nescio.
- 9: nescio.
- 10: audivi multa bona de ipso.
- 11: nihil scio.
- 12: nescio.
- 13: nescio.
- 14: nescio.
- 15: nescio.
- 16: nescio.
- 17: nihil tale scio.
- 18: Credo quia audivi multa bona de ipso tam quoad fidem quam quoad mores et zelum, et quia est sanguine junctus Castellano Cracoviensi, qui potest praestare illi auxilium et praeterea quia habuit mecum colloquia de promovendis rebus illius Ecclesiae et multa bona facere cogitat et prudenter media disponebat.

⁶⁶ Simon Rudnicki (1605-1621).

⁶⁷ Eparchia Vendensis (Windau, in Livonia): Otto Schenking, Ep. Vendensis (1590-1637).

Super interrogatoriis praefatis concernentibus statum Ecclesiae Cathedra-
lis Chioviensis:

- Ad 1: sita est in Russia, facit domos circiter mille ex quibus potest intelligi magnitudo, in temporalibus subjacet Serenissimo regi ⁶⁸.
- 2: nova est aedificata ecclesia ab Episcopo defuncto, murata, nescio de invocatione.
- 3: puto esse tres vel quattuor canonicos et totidem forte Vicarios, reditus eorum puto ascendere.
- 4: ad duo millia florenorum, et per hoc patet responsum ad quartum.
- 5: nescio.
- 6: pauci sunt Catholici, et vix decima pars est, reliqui sunt Scismatici, et illae partes sunt subjectae incursioni Tartarorum, Moscorum et Cosacorum, et vix quinque millia Cosacorum sunt in Civitate Chio- viensi.
- 7: puto me audivisse a defuncto Episcopo quindecim esse Ecclesiis Parochiales, et certe scio esse in Civitate monasterium Dominicanorum.
- 8: nescio.
- 9: nescio.
- 10: inducor ad credendum nihil horum esse, quia nunc reeens est Ecclesia aedificata, et paulo ante mortem Episcopi defuncti consecrata.
- 11: Episcopus defunctus solebat residere in quadam Arce in oppido Fa- stovo ⁶⁹, distante a civitate decem milliaribus.
- 12: audivi ab Episcopo defuncto, et ab aliis nobilibus quod ante mortem ipsius faciebat septingentos florenos, sed ipse auxit ad octo millia ex quibus octo millibus concessit duo millia florenorum Clero.
- 14: vacat a tribus circiter mensibus per mortem Christofori Casimirski, Episcopi defuncti ⁷⁰.

Et ita pro veritate deposui.

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

14.

Varsavia, 7 . IV . 1619

Gratias agit de missione optimorum Nuntiorum, eorumque enarrat labores, petitque, ut eis maiores dentur facultates ad melius adiuvandam Ecclesiam Unitam.

ASV, Fondo Borghese, II, vol. 235, fol. 96rv, 104v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Tacere non possum coram quo dicere ea omnia quae ad bonum regimen Ecclesiae pertinere teneor. Multum Ecclesia Ruthena Catholica debet Sanctae

⁶⁸ Intelligi debet: Regi Poloniae, ut alibi in aliis depositionibus in simillibus Processibus dicitur: iure belli.

⁶⁹ Christophorus Kazimierski (1599-1618). Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 149.

⁷⁰ Obiit anno 1618, sub finem anni (tribus ante mensibus computando a die 2-III-1619)

Sedi Apostolicae, quod tales in hoc Regnum mittat nuntios qualis est praesens. In Comitiis Regni generalibus, ante unum annum et medium celebratis, sua industria cum magno sane labore ferme ad medianam noctem ad hoc ut illos Regni Senatores accedere effecit, ut constitutio ad instantiam Schismaticorum facta, et iam in volumine legum inserta abrogaretur, per solemnem protestationem nonnullorum Senatorum tam Ecclesiasticorum quam saecularium, itemque Nunciorum terrestrium, quod ad abrogandam illam satis abunde sufficiebat. Talis vigilantia ipsius nos, quorum causa agebatur, confundebat et dormitantes ad collaborandum excitabat. In his similiter proxime praeteritis Comitiis conclusum erat apud Nuntios terrestres constitutionem scribere ad instantiam Schismaticorum; occurrit omnibus his Nuntius singulari dexteritate tractans cum diversis tam Senatoribus quam Nuntiis maiori momenti, ut nihil plane scriberetur. Multum autem interest ne schismaticorum in legibus Regni ulla fiat mentio, ne ius sibi in posterum praetendunt contra Catholicos, habendo quale quale fundamentum in Constitutionibus. Si etiam alii qui succedant Nuntii Apostolici erunt similes praesenti, si tantum modo opus quod per ipsum est tam bene coeptum continuabuntur, nihil obtinebit Schisma, sed nec Haeresis in hoc Regno, quin imo utrumque sensim et sine strepitu eradieabitur, quod tanto efficacius procedet si Nuntius iste non mutabitur tam cito.

Fuerunt aliqui de quibus conquerebantur in his proxime praeteritis Comitiis Schismatici, et meo quidem iudicio rationabiliter, quod nonnulli Episcoporum Rhutenorum unitorum, et quidem ditiorum, non curent gloriam Dei in Ecclesiis suis, non ornamenta ecclesiastica, non sarta tecta templorum, bona episcopalia diripi permittunt. Haec et his similia faciunt, quae supinae negligentiae eos accusare possunt. His remedium adfuere promisimus illis qui talia nobis referebant. Et certe, Ill.me et Rev.me Domine, oportet ut Sua Sanctitas serio iuberet in hoc negotium introspicere et ad bonam formam redigere, ne nomen Dei blasphaematur in nobis, ne SS.ma Unio propter alias personas apud Schismaticos, sed etiam Catholicos male audiat, dum in nos connivemus ista fieri, et Schismatici avertuntur ab Unione dicentes: Ex fructibus vestris cognoscemus vos, et Catholicci remisse nos defendunt dicentes: Nihil curant vestri Episcopi, quae ipsorum sunt, nostrae etiam quid interest, ut laboremus in negotiis talium, qui laborare nolunt. Consultum plane putarem si Sua Sanctitas plenariam concederet facultatem quinimo peculiarem daret Commissionem praedicto Nuntio suo videndi res Ruthenorum unitorum in bonum statum reducendi, inobedientes in ordinem redigendi, puniendi etc. secundum doctrinam canonum. Poterit tunc esse et Seminarium promovendae Unioni apprime necessarium Ecclesiae, et ornamenta ipsarum in alio statu, quam nunc sunt, erunt. Qua potestate Rev.mus Nuntius non statim utetur, nisi quando mihi visitanti resisterent Episcopi (f. 96v), ut habeam superiorem potestatem ad quam configiam. Impetrabimus etiam a Ser.mo Rege brachium Regale in auxilium. Haec omnia pro debito mei officii Ill.mae ac Rev.mae D. V. propono, ut per ipsam S. D. N. proponantur, et tandem decernatur, quod sit sit ad maiorem gloriam Dei, et incrementum SS. Ecclesiae Catholicae, et nobis significetur. Quod reliquum est Ill.mam et Rev.mam D. V. quam diutissime prospera uti valetudine etiam atque etiam desidero, cui me meaque omnia et per ipsam S. D. M. humillime subiicio.

Varsaviae, 7 Aprilis, Anno 1619.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor
 Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chiovien. totiusque Russiae (*mp*)
fol. 104v: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Scipioni Borghesio, Cardinali
 S.R.E. Domino Colendissimo. (sigill.).

(*Nota Secretarii longior*).

15.

Varsavia, 7 . IV . 1619

Petit facultatem dandi in possessionem bona ecclesiastica.

ASV, *Fondo Borghese*, III, vol. 235, fol. 97r, 103v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Consuetudo hucusque fuit in hoc Regno, ut Episcopi de bonis episcopalibus disposerent libere, dummodo non alienarent ab Ecclesiis. Huic consuetudini insistens, et quod magis est inveniens in meo Archiepiscopatu similes dispositiones Antecessorum meorum, concessi quibusdam culturam agrorum antea desertorum Chioviae ad annos 20. Tales personae sunt quatuor, quod quidem videbatur non tantum citra ullum damnum ecclesiis, sed cum commodo; in possessum siquidem et agri ob incursiones Tartarorum deserti quam utilitatem unquam facient Ecclesiae. Pro his itaque a Sua Sanctitate humiliter peto dispensationem vel potius facultatem. Item tertius Antecessor meus⁷¹, qui ante me fuit. oppignoravit agrum quondam prope Novogrodecum in certa summa pecuniaria, ubi erat praediolum, quod postea igni conflagravit, nec agri colebantur. Persuasi ego unum bonum Patremfamilias, ut ipse redimeret et rem familiarem suo modo ordiretur. Petiti a me ut advitalitas ipsi et uxori, quam habiturus est, concederetur quod concessi. Pro his similiter peto facultatem. Posset rescindi uxor, quandoquidem needum illam habet, quod tamen faciam ego, ubi facultatem pro utroque ipsorum obtinuero.

Ill.mae et Rev.mae D. V. optime valere quam diutissime desidero.
 Varsaviae, Aprilis 7, Anno 1619.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor.
 Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chiovien. totiusque
 Russiae (*m. p.*).

fol. 103v: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Scipioni Borghesio, S.R.E. Cardinali. Domino Colendissimo. (sigill.)

(*Nota Secretarii*).

⁷¹ Michael, ut videtur, Rahoza (1588-1599), auctor Unionis Berestensis (1595-1596)

16.

Varsavia, 7 . IV . 1619

Petit facultatem assignandi suis suffraganeis et Coadiutoribus titulos Epar-chiarum olim in Russia et Moscovia vigentium.

ASV, *Fondo Borghese*, II, vol. 235, fol. 99r, 101 v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Antiquissima consuetudo fuit ut Archiepiscopi Metropolitani haberent penes se suos Suffraganeos, qui munia episcopalia in dicto Archiepiscopatu obirent. His nullum titulum episcopalem tribuebant, nisi Episcopos Curiae eos vocabant. Nunc quin aliter nobis procedendum est, necessarius mihi erit aliquis titulus pro suffraganeo meo⁷². Et ne nostris Ruthenis omnem novitatem, licet bonam, refugientibus offendiculo sit si alicuius Episcopatus ipsis ignoti dabimus titulum, mitto Ill.mae et Rev.mae D.V. 22 Episcopatus, qui suberant Metropolitano Chiovien, quorum plerique adhuc remanent in Moschovia, plerique extinti sunt⁷³. Ex his vellem assumere titulum tam pro Suffraganeo quam pro Coadiutoribus, qui post visitationem Episcoporum nostrorum per me peragendam, de qua in aliis literis scripsi ad Ill.mam ac Rev.mam D. V., institui necessario debebunt. Catalogum horum Episcopatum insero praesentibus literis.

Ill.mam et Rev.mam D. V. Deus Opt. Max. quam diutissime conservet felicem et incolumem.

Varsaviae, 7 Aprilis, Anno 1619.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae (mp).

fol. 101v.: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Scipioni Borghesio, Cardinali S.R.E. Domino Colendissimo. (sigill.)

(*Nota Secretarii*).

17.

Novogrodek, 11 . X . 1619

Promulgatio constitutionis de matrimonii clandestinis in Metropolia Kio-vensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 69, fol. 443.

De Matrimonio.

Constitutio Synodi Dioecesanae Metropoliae Chiovien celebrata in Ci-vitate Novogrodensi: 11 Octobris 1619.

Josephus Dei Misericordia Archiepiscopus Metropolitanus Chioviensis, et totius Russiae.

⁷² Suffraganeum hunc obtinuit anno tantummodo 1626, in persona Raphaelis Korsak, cum tit. Ep. Haliciensis, quem postea an. 1631 in Coadiutorem cum futura successione obtinuit a S. Sede confirmatum.

⁷³ Primam separationem legalem fecit Pius PP. II, an. 1458. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 145, nr. 82, sub data 3-IX-1458.

Omnibus, et singulis iurisdictioni nostrae spirituali subiectis benedictionem nostram archiepiscopalem etc.

Notum esse volumus, quoniam nos consideratis, et accuratius examinatis summis difficultatibus, quibus conscientiae in negotio Matrimonii implicantur, cum sine benedictione solita ecclesiastica vir coniungitur mulieri, consensu tantum proprio inter se contrahendo, absque presentia sacerdotis, et testium, tandem in Synodo nostra Dioecesana anni presentis 1619 constituimus, ut post publicationem praesentis nostri Decreti matrimonia taliter contracta nullomodo matrimonia censeantur, sed pro illicita et impia copula habeantur, quae proinde poenis tam spiritualibus, quam saecularibus debeat subiacere.

Quod ad notitiam omnium, et singulorum deducentes in presenti nostra Novogrodensi Synodo Dioecesis nostrae Metropolitanae, Praesbiteris nostris iniunximus, ut illi hanc nostram Constitutionem in suis ecclesiis populo sibi concredito intimarent. Post quam publicationem talis copula matrimonium censeri non debet, nisi per benedictionem sacerdotis ratificetur. Aliasque et illi qui in illo scelere convivere sibi ausi fuerint, et Parochi, qui in hoc negligentius sese gesserint, sciant se puniendos.

18.

Novogrodek, 12 . X . 1619

Exponit casum difficilem et praeiudicialem praecedentiae cum Suffraganeo Vilnensi, petitque intercessionem et decisionem Summi Pontificis.

APF, *Scritt. rif. nelle Congreg. generali*, vol. 337, fol. 244rv.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Reverendissimus Stanislaus Kiszka⁷⁴, modernus Episcopus Samogitia, desiderabat ut assisterem consecrationi ipsius tamquam propinquior Episcopus; et ut hoc promptius facerem, obtinuit a S.D.N. Breve, in quo demandabatur mihi ut id facerem; feci promptissime; sed ubi ad locum consecrationis destinatum, Vilnam in Lituania, convenimus, et cum propediem dies consecrationi assignata, ad quam plurimi Provinciae illius Proceres convocati erant, immineret, gravis occurrit difficultas: Uter nostrum deberet esse primus Assistens, qui mandatum Suae Sanctitatis Consecratori, qui erat Episcopus Vilnensis, offerret. Vindicabat id sibi Suffraganeus Vilnensis⁷⁵, habens titulum episcopalem, quod est solemne in Regno Poloniae, ex terris infidelium. Ratio ipsius fuit quod antiquior esset Episcopus; sed ego ostendi me fuisse antiquorem in Episcopatu, quem habui, Haliciensi, licet tempore posteriorem in Archiepiscopatu quem modo obtineo Chioviensi. Altera ipsius ratio erat, quod ipse esset Episcopus Ritus Latini, et Episcopus consecrabatur in Ritu Latino. Ad haec ego: me esse Archiepiscopum et ordinarium Pastorem omnium ab Universali Pastore in hoc Regno per totam Russiam mihi commissorum; Ipsum autem tantum esse Episcopum, et Episcopum non huius Regni, et titulotenus

⁷⁴ Episcopus Samogitiensis (1619-1626).

⁷⁵ Abraham Wojna, dein Episcopus Vilnensis (1630-1649).

tantum. Item me esse a Sua Sanctitate in numerum Clericorum Domestico-rum, hoc est Assistentium, ex peculiari gratia assumptum; quocirea, si etiam abessent alia, vel ex hoc solo posse mihi potius deberi ut Mandata Apostolica offeram Consecratori, et consequenter fungar munere primi assistentis. Quod vero ad Rituum diversitatem attinent: Suam Sanctitatem esse Pastorem Uni-versalem omnium Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum cuius-vis Ritus, quemlibet tamen illorum pro suo gradu habere sua Privilegia, et praeeminentias unius supra alium sub uno capite. Et quia Suffraganeus non acquiescebat neque dictas rationes meas solvebat, si ego quoque in proposito meo perstissetsem actus consecrationis, ad quem tot convenerant iam, et sump-tus a Consecrando facti erant, differri necessario deberet cum scandalo om-nium qui convenerant, non tantum Catholicorum, sed et Haereticorum. Ego Reverendissimum Episcopum Vilnensem iudicem et determinatorem huius causae esse volui, noluit Suffraganeus, ab ipsa Sede Apostolica id declarari petebat, quod intra biduum, quod solum restabat ad consecrationem, erat impossibile. Potius eram in angustiis, videns apertum scandalum et damnum si differatur consecratio; ex altera parte si cederem loco, futurum esse non tantum cum praeiudicio gradus mei, quem obtineo in Ecclesia, sed etiam cum gravi offensa Ruthenorum, quorum plena tunc fuit Vilna, exceptis habi-tatoribus; talem ergo feci resolutionem: Quandoquidem a Sua Sanctitate in Brevi mihi nominatim, ut essem Assistens, demandabatur, propterea facta solemni protestatione coram Reverendissimo Episcopo Vilnensi et ipsius Ca-pitulo ad declarationem Suae Sanctitatis ius praecedentiae cum Suffraganeo remisi; interim pro hac vice priorem locum ipsi concessi, salvo iure meo, a Sua Sanetitate declarando. Sic consecrationem peregrimus. Post consecratio-nem invitati eramus ad epulum, et quidem iam promiseram, sed ubi a pri-mariis quibusdam intellexi, ibi et Suffraganeum priorem velle occupare lo-cum, malui excusare me et abesse, cum semper antea in prandiis publicis semper prior mihi assignaretur locus, tacente Suffraganeo. Et quia frequen-tior occurrit occasio ut conveniamus, necessario recurrentum mihi erat ad Sua Sanctitatem, ut ipsa scripto suo peculiari id declarare, et tollere multa quae inde sequi possent inconvenientia dignetur.

(f. 204v) Rutheni non tantum Schismatici sed etiam Uniti viso, alii autem auditio hoc facto, et mihi aegre ferre, et de Sua Sanctitate suspicari coeperunt, ac si uni parti alligata illam etiam contra iura ecclesiastica exaltare, aliam autem deprimere vellet, immo erant qui dicerent, secutum ut sacerdotes sim-plices etiam non Praelati Ritus Latini priores sibi assumant partes p[re] Epis-copis et Archiepiscopis Ruthenis. Suffraganei enim Episcoporum in iurisdic-tione in hoc Regno a quovis Sacerdote non differunt. Quod etiam nobis ad promovendam santissimam Unionem magno est impedimento, pro qua promo-venda laboravimus hucusque usque ad sanguinem, parati etiam in posterum usque ad extremum vitae spiritum. Obsecro humillime ut Ill.ma ac Rev.ma D. V. declarationem dictam a Sua Sanctitate Domino Nostro Clementissimo intercessione sua obtinere ac nobis hanc mittere dignetur. Sit noster Patronus et Protector. Satis est quod ipsis Episcopis tamquam Senatoribus Regni lo-cum cedamus, et hanc habemus excusationem quando nos accusant Schisma-tici. Suffraganei ipsorum non concurrant nobiscum. Quae omnia pastorali sol-litudini, curae ac providentiae paternae Suae Sanctitatis, Domini Nostri Cle-

mentissimi, commendamus et ipso, in omnibus et per omnia, humillime petentes ipsius Sanctam Benedictionem, subiiciamus. Ill.mam ac Rev.mam D. V. pro nobis intercessorem in hoc et aliis necessitatibus nostris esse volumus. Quam et Deus O.M. Ecclesiae Suae S. et Reipublicae Christianae servet diutissime etiam atque etiam precamur.

Novogrodeci, 12.8-bris 1619.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor.

Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chioviensis totiusque Russiae.

19.

Novogrodek, 24 . X . 1619

Ut explicetur privilegium Episcopis Volodimiriensibus concessum, utendi s.d. sacco in celebrationibus et processionibus ecclesiasticis.

ARCH. S. C. RITUUM, N. 5234, (22.VIII.1620).

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Antecessor meus Archiepiscopus Chiovien. Hipatius dum adhuc esset Episcopus Vlodimirien., fungebatur legatione a suo Archiepiscopo et Coepiscopis Ruthenis ad fe. rec. Clementem VIII Pontificem Maximum in causa Unionis Ruthenorum ⁷⁶ cum S.R.E., ubi petiit et impetravit ab ipsius Sanetitate facultatem ferendi Saceum (Dalmaticam) quod est ornamentum Patriarchale ⁷⁷ et quibusdam tantum Metropolitanis Graecis, inter quos et Metropolitanu Russiae ab iisdem Patriarchis olim concessum. Hic Episcopus, post redditum suum Roma, decedente Archiepiscopo, successit in Archiepiscopatum ⁷⁸, retento etiam Episcopatu Vlodimirien ex dispensatione eiusdem Summi Pontificis, et tunc nulla fuit disceptatio de usu illorum insignium Archiepiscopalium, quia iam fuit Archiepiscopus. Decedente ipso ⁷⁹, ego suscessi in Archiepiscopatum, alter vero in Episcopatum ipsius praefectus ⁸⁰, et is uti sacco coepit, ortae sunt controversiae, sed sopitae, quia vidi Privilegium Summi Pontificis, et quia ipse raro utebatur; postea frequentius uti coepit, sed in suo tantum Episcopatu. Nunc arridit consecratio Episcopi Chelmen. Rutheni ⁸¹, ad quam Episcopos Ruthenos de more convocavi. Venit cum illis Vlodimiriensis ad locum consecrationis designatum in Archidioecesi mea; ibi prohibuerunt alii Episcopi illum assistere consecrationi vestitum hoc apparamento dicentes hanc concessionem Summi Pontificis intelligendam esse de Episcopatu ipsius, non autem extra illum. Item si celebraret solus, non cum aliis Episcopis, cum quibus esset par ordine et jurisdictione. Denique si non celebraret cum Metropolitanu, cui antiquo iure in tota Provincia debetur hoc insigne, confirmabant a simili quod scilicet Metropolitanu Graeci habentes facultatem induendi Saccum celebrantes cum Pa-

⁷⁶ Anno 1595-1596, mense Octobri 1595, usque ad mensem Martii 1596.

⁷⁷ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 269, nr. 153, sub data 26-II-1596.

⁷⁸ Anno 1600.

⁷⁹ Mense Julio an. 1613.

⁸⁰ Joachim Morochovskij (1613-1631).

⁸¹ Athanasius Pakosta (1619-1625).

triarcha suo non possunt induere Saccum sed tantum Pheloneum ordinarium ornatum episcopalem. Mihi hoc etiam idem videtur nec in privilegio Summi Pontificis erat declaratum, semper ne an vero tantum in festis solemnioribus, item in sua ne tantum Dioecesi an ubique locorum; denique an praesentibus aliis Episcopis et suo Metropolitanano an vero dum solus Missam celebraret illo ornatu uti posset. Decernere tamen pro hac vel illa parte ausus non sum, reicta declaratione Suae Sanctitati, Domino Nostro. Submisso igitur supplico ut Ill.ma ac Rev.ma D. V. hanc declarationem obtinere dignetur. Satis esset, si in festis solemnioribus uteretur dicto ornatu, ut vel hoc modo intelligeret se id habere ex Privilegio et etiam ne praeiudicaretur aliis Episcopis, qui viderentur esse ordinis inferioris, immo ipsi Metropolitanano, qui ipsius Superior est. Vel si semper uteretur, in suo tantum Episcopatu uteretur, et in ipsius Episcopatu si celebraretur Synodus aliqua Episcoporum Ruthenorum, quia antea erat locus Synodorum propter certas commoditates, ne etiam tunc liceret ipsi uti Sacro. Videretur hoc ad conservandam aequalitatem, pacem et charitatem inter Fratres et Ordinem Hierarchicum necessarium. Quae omnia censurae Ill.mae ac Rev.mae D. V. relinquo, me vero cum solita submissione Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillime subiicio. Novogrod., 24 8-bris, Anno 1619.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chiovien. totiusque Russiae (mp).

Retro: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Scipioni Borghesio, S.R.E. Cardinali Amplissimo. Domino Colendissimo (L.S.)

S. R. Congr. Die Sabati 22 Augusti 1620.

Sacra Rituum Congregatio censuit decisionem huius quaestionis pendere ex inspectione Privilegii, propterea opere pretium esse, ut illud vel illius transumptum transmittatur, ut illius verba mature possint considerari.

Petrus Ciamaneonus, Secretarius.

20.

Varsavia, 17 . XII . 1620

Petit convalidationem matrimonii cuiusdam sui fidelis Archieparchiae Kiovensis.

ASV, Fondo Borghese, Ser. III, 15A. 1., fol. 219rv.

(Germania: Lettere di Nunzi, Vescovi, Principi: 1604-1628).

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Stanislaus Wilkowski ex Dioecesi mea Archiepiscopatus Kiovien, habuit consortem legitimam Annam Chlevinska, hac demortua inductus persuasionibus male sensatorum, copulavit sibi neptem ex fratre prioris uxoris, nomine Mariam Chlevinska. Et quia lumine solo naturali putabat hoc esse inconveniens, consulebat sacerdotes Ruthenos illarum partium, homines ignaros, in ipsis confinibus Moscoviae remotissimis a nobis degentes; illi dispensarunt, arrogantes sibi hanc facultatem et nuptias secundas benedixerunt. Nunc demum prope

iste Nobilis didicit a nobis hoc matrimonium esse nullum, nec nos dispensandi in illo facultatem habere, desperandus ille omittebat confessiones et alia media saluti suae necessaria, ducens id sibi esse impossibile ut deserat eam, cum qua iam et liberos suscepit; dedi consilium, ut ad Suam Sanctitatem Dominum Nostrum Clementissimum supplex confugeret, ut per dispensationem vel ratificationem invalidi matrimonii huic malo remedium inveniret. Ipse propter paupertatem suam Romam mittere, multo minus ipse ire poterat. Mearum ergo erat partium proponere id Ill.mae ac Rev.mae D. V. et per ipsam a SS.D.N. humiliter petere dispensationem, ut illam ad Ill.mum Nuntium Poloniae transmittere, vel illi facultatem dispensandi ad hunc actum tribuere dignetur.

Deus Opt. Max. Ill.mam et Rev.mam D. V. Sanctae suae Ecclesiae, Reipublicae christianaee salvum atque incolumem conservet diutissime.

Datum Varsaviae, 17 Decembris, A.D. 1620.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Kiovien. totiusque Russiae (mp).

fol. 222: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Scipioni Burghesio, S.R.E. Cardinali Amplissimo. Domino Colendissimo. (sigill.).

21.

Varsavia, I . IX . 1621

Exhibit nomine proprio et nomine suorum Coëspiscoporum obedientiam novo Pontifici, Gregorio PP. XV.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 6648, fol. 117.

Sanctissime ac Beatissime Pater⁸².

Deus Opt. Max. in Vicarium Suum et supremum in terris Pastorem elegit et constituit Beatitudinem Vestram, consequens est, ut omnes Christi fideles ex omnibus nationibus et linguis, imprimis autem Pastores animarum obedientiam praestent debitam. Ex quibus ego quoque ultimus versus septentrionem Archiepiscopus catholicus Ritus Graeci, cum S.R.E. Matre omnium Ecclesiarum a multis iam annis habens communionem et sancte illam colens et in posterum colere volens, ad pedes Vestrae Beatitudinis accedo et supplex prostratus eosdem cum debita reverentia absens tanquam praesens oscular, offerens plenam, perfectam et omnimodam obedientiam meo et sex Coepiscoporum meorum, Episcoporum Ruthenorum S.R.E. unitorum nomine. Humillime supplico, ut in sinum Paternae providentiae admittamur, in eo favemur, donec incresemus in viros perfectos et fortes ad resistendum furori Schismaticorum in hoc Regno. Reliqua Ill.mus ac Rev.mus Dominus meus Cardinalis Ludovisi⁸³, ad quem in negotiis Ecclesiae meae scripsi litteras, Beatitudini Vestrae commemorabit. Quam Deus Opt. Max. Ecclesiae suae Sanctae et toti Orbi terrarum conservet felicem et ad extirpandas haereses et schismata (sorrectas)

⁸² Paulo PP. V, qui obiit hoc eodem anno 1621, die 28 Januarii.

⁸³ Ludovicus Ludovisi, Bononiensis, nom. Cardinalis die 15-II-1621, tit. S. Mariae trans Pontem. Nepos Gregorii PP. XV, qui vocabatur Alexander Ludovisi (1621-1623). Obiit extra Curiam Romanam die 18.XI-1632. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 15, nr. 1.

successus tribuat et subiiciat sub pedes eius omnes non tantum Christianos sed et Paganos etiam atque etiam precor.

Varsaviae, 1 Septembris, Anno 1621.

Sanctissimae Beatitudinis Vestrae indignus filius et...

Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

22.

Varsavia, 1 . IX . 1621

Commendat se, suam Ecclesiam et Metropoliam, nec non casus sacerdotum bigamorum Cardinali Ludovisi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 162rv.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime⁸⁴.

Ad Suam Sanctitatem Dominum nostrum novas scribo litteras gratulando nobis totique Ecclesiae quod ipsum supremus et invisibilis Pastor in visibilem et universalem in terris Pastorem ex sua Paterna providentia constituerit, cui ego quoque, Ovis eiusdem Ovilis, meam humillimam defero subiectionem. Ill.mam ac Rev.mam D. V. supplere obseero, ut me, indignum licet, commendatione sua apud Suam Sanctitatem dignum efficiat; item obtinueram facultatem a felicis recordationis Paulo V absolutionis a bigamia 20 Sacerdotum Rhutenorum Ritus Graeci, secundum quam iisdem hoc beneficium contuli, illis scilicet, qui post Sacros Ordines aliam uxorem duxerunt, priori demortua; quod quidem dum Ill.mo Nuntio Apostolico pro tunc Domino Francisco Diotallevio⁸⁵, Episcopo S. Angeli, nunciavi, asserebat, ad talem dispensationem non sufficere absolutionem a bigamia, sed necessariam etiam esse ratificationem secundi matrimonii, quod alioquin non est matrimonium, et quidem eodem modo responsum est ex Urbe. Supplicavi secundo, ut ratificantur illa matrimonia illis 20, cum quibus ego dispensavi, tenens secundum certum usum Ecclesiae Rhuteneae, quod secundae Sacerdotum nuptiae licet sunt illicitae, sunt tamen validae; rationes dedi, quod ego bona fide sine ullo dolo putans non esse aliud impedimentum concessi, ipsi etiam bona fide vivant, aliis nunc non concedo. Isti, si ipsis hoc innotesceret, abeundo a nobis ad Schismaticos easdem retinerent uxores, et quidem iam annus est, ex quo hoc scripsi ad Urbem, responsum nondum habeo. Scribo nunc iterum, humiliter rogans, ne me Sedes Apostolica obliget hoc illis denuntiare, sed ratas faciet has illorum secundas nuptias, in quibus ipsi iam bona fide et quidem aliqui ab annis non paucis vivunt.

Ultimum est ad provisionem meam; ob tenuiores reditus Archiepiscopatus mei quam aliorum Episcopatum Rhutenorum assignata fuit pensio 600 florinorum ex Episcopatu Vlodimirien.⁸⁶ et a Paulo V. fe.re. confirmata, nunc etiam ex alio Episcopatu Rhuteno Luceoriensi assignati sunt mille floreni;

⁸⁴ Cardinali Ludovico Ludovisi. Cfr. notam praecedentem.

⁸⁵ Franciscus Diotallevi (1614-1621). Post obitum Hypatii Potij, ab eius Successore, Joachim Morochovskyj (1613-1631).

⁸⁶ Ann. 1614-1621.

obsecro ut intercessione Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae hoc a Sua Sanctitate obtineam, de quibus omnibus Ill.mus Ep.pus S. Angeli⁸⁷, pro nunc Suae Sanctitatis Nuntius, probe novit, quia tam bene meritus est in hoc Regno de Sancta Ecclesia, ut in coelo et in terris praemiis dignus sit amplissimis. Scio solide et vigilanter laboravit ferme usque ad mortem, cui iam valde erat vicinus, et in maxima constitutus infirmitate in Generalibus Comitiis sollicitudine sua instando, obsecrando, arguendo, obtinuit multa in favorem Ecclesiae. Utinam tam vigilantes, Deum et decorum domus eius diligentes habeamus semper Nuntios, nunquam decederet vel minimum de auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae et immunitatum ecclesiasticarum in hoc Regno. Interim Deus Opt. Max. semper ut Ill.mam ac Rev.mam D.V. Ecclesiae Suae Sanctae totique Reipublicae Christianae incolumem conservet diutissime.

Varsaviae, 1 7-bris, A. 1621.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. addictissimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chioviensis totiusque Russiae.

retro: Ill.mo ac Rev.mo D.no. D.no Lodovico Lodovisio, S. R. Ee. Cardinali.
Dominio Colendissimo.

Il Vescovo di Ruscia - Polonia.

23.

Varsavia, 10 . IX . 1621

Obedientiam reddit per Alumnos mox Roma redeuntes.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 6648, fol. 118.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Ratio muneris mei exigit hoc a me, ut quandoquidem per me ipsum non possum visitare Sacra limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, visitem per meos specialiter ad id missos, qui simul et obedientiam Sanctae Sedi Apostolicae debitam, Beatitudini Vestrae in persona mea humillime praestent. Ad quod faciendum designavi Nicephorum, Presbyterum⁸⁸, et Cyprianum, Diaconum⁸⁹, Religiosos Monachos Ordinis S. Basilii, Collegii Graecorum de Urbe Alumnos, qui absolutis SS. Theologiae studiis in Patriam, tot adversitatibus afflictam relictis, qui in ipsorum loca succedant, duobus aliis eiusdem Ordinis Professis Monachis. Cum quibus et aliis mecum hic manentibus Sanctitati Vestrae substernendo me pedibus offero et voveo obedientiam usque ad extremum vitae halitum, Deo adiuvante, duraturam, et a Sanctitate Vestra Pastoralem mihi per eosdem mitti benedictionem humillime deprecor.

Varsaviae, 10 Septembbris, Anno 1621.

Sanctissimae ac Beatissimae Paternitatis Vestrae

humillimus et indignus filius et servus

Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

⁸⁷ Franciscus Diotallevi (1614-1621).

⁸⁸ Nicephorus Zareskyj.

⁸⁹ Cyprianus Rudnickij.

24.

Varsavia, 10 . IX . 1621

Cardinali Ludovisi commendat Alumnos in Urbem proficiscentes, et alios iam Roma redeuntes.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 246, 257v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Alias litteras ad Ill.mam ac Rev.mam D. V. mitto occasione Fratrum meorum Ordinis Sancti Basillii in Urbem euntium⁹⁰, quos Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae etiam atque etiam commendo; obsecro quoque, ut etiam ad Ill.mum Dominum Protectorem autoritatem suam interponere dignetur, ut eo facilius in Collegium Graecorum recipientur, in quo pro quattuor Religiosis nostris Ritus Graeci loca iam pridem ex gratia Sedis Apostolicae habemus concessa. Alterum est, quod iam tribus meis Ordinis itidem S. Basillii in Urbe pro nunc residentibus, Nicephoro Presbytero et Cypriano Diacono commiserim, ut ad limina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli accedant et obedientiam debita submissione Sanctissimo Domino Nostro reddant. Quod ut faciliori successu peragant, opem Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae ac operam plurimum deposco. Quam ut Deus Opt. Max. Ecclesiae Suae et Reipublicae Christianae incolumem conservet diutissime etiam atque etiam precor.

Varsaviae, Septembr. 10, Anno Domini MDCXXI.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. addictissimus servitor.

Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chioviensis totiusque Russiae.
retro: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Lodovico Lodovisio, S. R. Ece. Car-
dinali. Domino Colendissimo. (sigil.)

25.

Vilna, 25 . VI . 1622

*Petit ut tandem dirimatur causa praecedentiae cum Suffraganeo Vilnensi, re-
scissa omni appellatione.*

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 6648, fol. 119, 124v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Obtinueram a fel. rec. Paulo V, Pontifice Maximo, declarationem de praecedentia mea⁹¹, quam Dominus Suffraganeus Vilnensis, Episcopus titularis, affectabat; idem ore tenus vivaे vocis oraculo exceptit Ill.mus Episcopus Vilnensis, dum esset in Urbe. Idem Ill.mus Episcopus in Capitulo principaliori ecclesiae suaе S. Stanislai, die festo eiusdem, publicavit, ad quod Dominus Suffraganeus respondit, se non acceptare dictam declarationem, antequam iuri-

⁹⁰ Iidem, de quibus in nota 88-89.

⁹¹ Per Decretum S. C. Rituum.

dice audiantur rationes ipsius; vult ergo citari, quod faciet in longum tempus id extrahatur, si per diversas instantias, diversas item appellations procedat. Sed quia interim magna possent intervenire inconvenientia, et, quod Deus auferat, scandala, si uterque alicui actui intererimus. In hac autem Patria nostra multi sunt Haeretici sed et Schismatici, iurati hostes Ecclesiae, triumpharent de dissidio nostro; humillime supplico, ut a S.D.N. per intercessionem Ill.mae ac Rev.mae D. V. obtineat peculiarem Commissionem Ill.mus Nuntius Apostolicus, in hoc Regno residens, ut dirimat litem, rescissis dilationibus et ulterioribus appellationibus. Sic occurretur omnibus inconvenientibus. Alias causa est clarissima; Episcopus cum iurisdictione debet praecedere Episcopum, qui non habet iurisdictionem, et Archiepiscopum praecedere Episcopum cuiuscunque ille Ritus sit, modo sit catholicus et S.R.E. unitus; tandem quia declaratio Ill.morum cum approbatione Apostolica intercessit. Etiam atque etiam rogo, ut id in gratia Ill.mae ac Rev.mae D. V. obtinent, cui et Deus Opt. Max. largiatur multos et felicissimos annos ad Ecclesiae suae Sanctae et Reipublicae Christianae incrementum indignus precor.

Vilnae, 25 Junii 1622.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor.

Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

fol. 124v: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Lodovico Ludovisio, S.R.E. Cardinali Amplissimo. Domino Colendissimo.

26.

Vilna, 25 . VI . 1622.

De occisione Protopopae Szarogrodensis in odium fidei catholicae.

ARCH. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. I, fol. 360-361v.

Admodum Reverende in Christo Pater⁹².

Ante octiduum scripsi R. Paternitati V. per cognatum meum Masalski, qui recta tendebat Augustam, de iis quae tunc occurrabant; proinde repetenda non essent. Sed quia multa contingunt et certissime nonnunquam orationes decipiunt, hoc tantum commemorabo, me pro Crucibus Cataranensibus, mihi missis, maximas agere gratias itemque pro compendiolo Historiae Crucis vivificae eo divinitus allatae. Nunc hoc scribendo ad coelo consolationem duxi.

Ante annum venerunt ad me in Lituanię ex ultimis finibus Regni, ex confinibus terrae Moldaviae et Tartariae 130 milliaribus hinc Vilnae, ex oppido domini Zamojscej, olim Cancellarii et Ducis Exercitus, quod ipse extruxit in loco natura munito et valde oportuno ad reprimendas incursiones Tartarorum ad duo... milia equitum sclopets et pharetris armatorum ex illo oppido exeunt quando necessitas postulat. Oppidum hoc vocatur Scharogrod; ex hoc namque oppido venerunt due Sacerdotes Rutheni, reddendo obedientiam no-

⁹² Rectori Collegii Viennensis, Georgio Maier, S. J.

mine suo et aliorum consacerdotum suorum, quandoquidem ab ipsis acceptavi et unum illorum titulo et dignitate Protopapae Archipraesbyteri terrae... Rediit is, et Unionem palam proclamare coepit. Quidam tamen seditiosi, instrumenta Diaboli, Cosacos, quorum una turma forte tunc erat in vicinis induxerunt, ut zelo religionis, puta Schismatis, ingrederentur et Popos Apostatas, ita unitos appellare ipsis placebat, secum adbucserent; induxerunt in oppidum, in quod alias non facilis Cosacis patuisset ingressus; sed tunc forte mortuus erat Capitaneus dicti oppidi catholicus et suffectus alias haereticus; ingressi ergo noctu Cosaci, omnes domus sacerdotum Unitorum occupant, ipsis ligant, omnem suppellectilem et quidquid rerum habebant diripiunt, domos etiam diruere attenant, vincitos perducunt ad Tribunum Cohortis, qui sua manu impegit acinatem in collum Protopapae et, quia uno ictu decollare non poterat, fune ad flumen praeterlabentem trahi et in eo demergi Martyrem Christi iubet, quod et perficitur a ministris impietatis; diluculo venit Capitaneus et reliquos Popos, quos adhuc superstites, sed mortem expectantes, invenit e manibus eripuit et Cosacos egredi ex oppido iubet. Egressus est sceleratus Centurio et tribus ab oppido milliaribus a Tartaris cum sua Cohorte caesus est, ipse occisus, caeteri partim occisi partim capti, modicum quid ex illis fugae se subduxit. Ille qui induxerat ad hoc perpetrandum sacrilegium Cosacos, fuit cum Cosacis, rediit incolumis, sed uno post redditum die subitanea morte interiit. Martyris corpus Latini, qui in illo oppido habent domos circiter 300, ex aquis eduxerunt, tandem Rutheni etiam uniti, animis resumptis, accurrerunt et corpus Martyris magna solemnitate in Ecclesia Ruthena principali sepelierunt. Nunc iidem Popi, qui evaserunt gladios Tyrannorum, uno excepto, quem timor mortis apostatare fecit, miserant ad me unum sacerdotem seniculum, prope septuagenarium, qui in magna paupertate, omnia enim ipsorum a Cosacis direpta sunt, pedibus confecit 130 non tam Polonica quam Ruthenica, quae maiora sunt, milliaria, forte etiam suevicis in Germania maiora; hunc miserunt significando ista omnia, praeterea se esse et fore, Deo iuvante, constantes in Sancta Unione, ut habeam curam illorum. Magnae admirationi et consolationi nostris Vilnensibus unitis est ista legatio. Haec scribo, quia scio talia nova esse gratiosa R.P.V., quam de Tartaris caesis, de Turcis profligatis, de quibus etiam scribent alii; sed hoc quod ego scripsi nullus scriberet aliis. Interim me sanctis Sacrificiis et Orationibus Admodum R.P.V. permultum commendo.

Vilnae, 25 Junii 1622.

Admodum R.P.V. addictissimus Frater et conservus
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

fol. 361v: Admodum Reverendo Patri Georgio Maier, Rectori Collegii Augustani, Societatis Jesu. Patri plurimum observando.

Augusta Vindelicorum⁹³ (sigil.).

(*nota:* 20 Junii 1622. Metropolita Russiae).

⁹³ Vindobona, vel Vienna, hodie Wien.

27.

Novogrodek, 28 . VI . 1622

Alumnis Romae studentibus in Collegio Graecorum commendat varia negotia Ecclesiae Unitae, calamitatesque enarrat, animum addit.

ARCH. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. I, fol. 358-359.

Carissime P. Adriane⁹⁴. Gratia et Pax Christi.

Proficiscitur in Urbem R. P. Joannes Grujewski⁹⁵, intimus noster et nobis optime notus, electus Procurator Provinciae Lituaniae; per hunc istas ad vos mitto litteras. Imprimis accusare vos debedo, me praeter unas a vobis nullas accepisse litteras, et eas satis tarde, unde affligi me necesse erat, tamquam Patrem nescientem quid acciderat filii, quamvis Reverendus P. Generalis Societatis Jesu liberavit me hac angustia duobus ante vestras litteras mensibus, in quibus scripserat vos venisse et meis per vos missis suadet. Secundum est, quod nunc, in Julio scilicet, nondum Fratres nostros⁹⁶, qui discedere debebant ex Urbe statim post Pascha, habeo; forte vos illos detinuistis vel aliquid adversi, quod Deus avertat ab ipsis, accidit. Alios duos qui succedere debent in loca ipsorum habeo mittere, tamen antequam ipsi redibunt non audeo, licet esset occasio cum Patribus Jesuitis mittendi. Excerptum litterarum, quas scribo ad Ill. mun Cardinalem Ludovisi in nostris necessitatibus, mitto vobis; date meas litteras ipsi et procurate, ut potestis obtinere ea, quae scripsi, apprime nobis necessaria. Dominus Ignatius Dubovi(cki), tunc quando Schismatici ultimum potentiae suae incurserunt in nos, reliquit nos et transivit ad Ritum Latinum, et iam sibi cooptaverat Petrum Koper et Mikulicum, qui seuti fuissent ipsum, nisi retinuissemus ipsis; volebat sic Magistratum Civitatis Ruthenum tollere; Schismaticos tamen, ut scitis, eiecumus e Magistratu, ipse vero contendebat Unidos Consulares trahere post se, remanerent duo vel tres, alii in loca ipsorum non succederent; voluit et ex Ordinibus Archiepiscopus pellere Ruthenos et hoc ipsi non successit; Capitalis factus inimicus nobis tandem propterea, quod illi Schismatici, qui erant captivi in Praetorio non sunt capite plexi vel alio suppicio affecti. Tria in illis litteris petimus, ex quibus, si necessitas poscit, facere poteritis Memoriale. Ad minimum ut prohibeat transitus ex Religione nostra ad latinam diligentissime procurate; ruina enim erit Religionis quamvis nullus adhuc fecerit, sed ne fiat... Scitis qualiter discoli nostri hoc unum in ore habent et quando insurgunt Schismatici faciunt hoc et iam pusillanimes, putantes quod iam coelum ruet, licet alias sunt disciplinati, et quidem hoc frequentissime dictitant nonnulli ex primis Religiosis, qui me afflignant super modum. Dominum

⁹⁴ Hadrianus Podbereskyj, Alumnus Collegii Graecorum, ingressus mense Decembri 1621, aetate 25 an., ut sacerdos. Discessit die 24.VIII.1624, ob morbum. Obiit in itinere in Carintia, prope Gradisca. Cfr. TABUL. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. 14, fol. 3v-4.

⁹⁵ Cfr. de hac persona articulum A. G. WELYKYJ, *Procuratores negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe*, in "Analecta OSBM" vol. I, fasc. I, pag. 57: *Fuitne R. P. Joannes Grujewski primus Procurator Ecclesiae Ruthenae in Urbe?*

⁹⁶ Nicephorus Zareskyj et Cyprianus Rudnickij, vel fortasse alii; de quibusnam agitur, nobis non constat.

Deum orate in illis sacris locis, ne vos inducat in tentationem, vel ne vincamur ab illa; postea sedulo studete, ut occuratis quantocetus ad adiuvandos nos, qui vehementer geminus, frequenter non habentes a quo iuvemur periculis, non exceptis iis qui sunt primi; alii dicunt quid nostra interest. Audientes talia erigite animos et facite in vobis et in Carissimo Fratre Raphaele⁹⁷ post Deum spem. Confirmationem pensionis Luceorienensis si nondum obtinuistis, procurate ut obtineatis et mihi transmittatis, et alia similiter expedite, quae vobis commisimus. Deus Opt. Max. vos, Fratres amantissimi, sua sancta cumulet benedictione. A R. P. Grujewski consilium capite et auxilium requirite in omnibus, quae agenda vobis occurrerint.

Novogrodeij, 28 Julii 1622.

Vestrum amantissimum
Josephus, Archiepiscopus.

*fol. 358v: Carissimo in Ch.to P.rí Adriano Podbereski, Ord. S. Basilii. Roma
in Collegio Graecorum.*

28.

Novogrodek, 28 . VI . 1622

*Petit, ut prohibeatur transitus ex Ritu Rutheno ad Ritum Latinum, explicat-
que damna exinde provenientia.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 222rv.

III.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Frequenter nobis occurrunt difficultates dum nos in acie aperto Marte contra hostes Ecclesiae Sanctae Schismaticos Rhutenos Ritus Graeci dimicamus. Socii nostri deserunt transeuntes ex Ritu nostro ad Latinum, quo non tantum damnum nobis inferunt, denudando nos praesidio, sed etiam Schismaticis sunt maioris causa ruinae et aversionis a Sancta Unione, quae ipsos salvare posset; dum enim vident in nobis unitis transeuntes ex Ritu Graeco ad Ritum Latinum, putant Ecclesiam Sanctum per Unionem velle totaliter tollere Ritum Graecum, quod quia immediate non potest conatur mediante adducendo secum prius ad Unionem et permittendo ad tempus eundem Ritum, ut postea trahat ad Latinum; et inde obdurantur in suo Schismate, Unionem vero tanquam Ritus proprii destructivam summo odio prosequuntur, quod factum est Vilnae proxime praeteritis diebus. Vir quidam primarius ex Civibus Vilnensibus et unus ex melioribus Unitis, qui pollebat in hac Civitate auctoritate et opinionibus in maximo insultu, quem contra nos fecerunt Schismatici, creando sibi septem Episcopos et octavum Metropolitanum, ille diffidendo virtuti divinae, putando nos per potentiam Schismaticorum evertendum iri, transtulit se ad Ritum Lat-

⁹⁷ Raphaël Korsak, qui simul cum Adriano Podbereskyj an. 1621 Romam venit. Discessit vero die 28-XII-1624. Mox Archimandrita Vilnensis (1625), Episcopus Haliciensis (1626), Coadiutor Metropoliae Kiovienis (1631), Episcopus Pinscensis (1632), et demum Metropolita Kiovienis (1637-1640). Cfr. A. G. WELYKYJ, *Annus et dies mortis Metropolitae Raphaelis Korsak*, in "Analecta OSBM", vol. I, pag. 145-160.

num; quo facto nos maerore, Schismaticos in magna affecit laetitia, qui triumphabant se his terriculamentis abstinusse talem hominem ab Unione; idem nobiscum futurum perdicebant, dummodo fortius insurgerent contra nos, nos eodem modo deserturos hanc turrim Unionis S.; Homines autem innumerabilis multitudinis remansuros sine Pastoribus, et si forte etiam isti adessent, omni alio subsidio destitutos. Inspiciat hanc causam, obsecramus, Sua Sanctitas et iudicat et nobis auxiliatricem porrigit manum, impediendo ne ex una cohorte transeat miles ad aliam, licet omnes militent in uno eodemque exercitu, sub auspiciis unius supremi Dueis, et duret hoc ad minimum donec dimicamus cum Schismaticis, cuius belli, Deo adiuvante, speramus et quidem brevi felicem finem; vel si hoc videbitur esse durum, permittatur iste transitus arbitrio Episcopi tam latini quam rhuteni uniti illius Dioecesis ita, ut non liceat transire ex Ritu Graeco ad Latinum, nisi cum expressa facultate utriusque Episcopi, quorum erit videre si transitus talis erit sine praejudicio Sanctae Unionis. Supplicamus praeterea, ut nulli ex Monachis S. Basilii unitis Congregationis S. Trinitatis Vilnensis, quorum per diversa Monasteria accedit nunc numerus ad centum, liceat transire ad Religionem Ritus Latini, non tantum ob praejudicium Unionis, prout dictum est, sed etiam quia strictior haec est Religio ferme omnibus Religionibus latinis, quas habemus in hoc Regno, perpetuam habent abstinentiam a carnis, tot ieunia quae servant strictissime; unde qui ex tali Religione molitur transitum, videtur liberioris vitae studio teneri. Subponendum autem est hanc Congregationem esse Sanctae Sedi Apostolicae vere sincere et stabiliter obedientem, et quidem (f. 222) hoc comprobasse iam sanguine ob hanc causam ab hostibus Ecclesiae effuso, comprobasse et in dies comprobare per multas tribulationes, quas sustinent a Schismaticis; prohibeat ergo transitus ex tali Religione ad aliam; obsecramus denique, ut sub tempus Comitiorum huius Regni ubi de iis innotuerit, per Nuncium Apostolicum Sua Sanctitas scribi demandet ad Proceres tam ecclesiasticos quam saeculares huius Regni, ut nos defendant a Schismaticis et iuvent strenue in Sancta Unione, cuius quidem defensio magis ad illos spectat, qui maioris sunt in Regno auctoritatis, quam nos, et ad clavum Reipubl. sedent; hucusque tamen non satisfiebat nobis ab illis quod Sua Sanctitas forte ab aliis, praesertim iam a Nunciis Apostolicis intellexit uberius. Has ergo gratias non personis nostris, quae pro nihilo reputandae sunt, sed animabus fidelium infinitae multitudinis in Ecclesia Rhutena existentium apprime necessarias, ut a S.D.N. Ill.ma ac R.ma D. Vestra obtinere dignetur etiam atque etiam ego indignissimus eiusdem Ecclesiae Operarius nomine meo et aliorum Cooperariorum meorum Episcoporum Russiae nominibus supplico. Deum Opt. Max. rogo ut Ill.mam ac R.mam Dominationem Vestram Ecclesiae Sanctae et Reip. Christianae quam diutissime servet incolumen.

Novogrodeci, 28 Julii, Anno Domini 1622.

Ill.mae ac Rev.mae D. V.
(Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae).

fol. 222v: Literae Archiepiscopi Chioviensis (et aliae adnotationes Secretariorum).

29.

Vilna, 16 . X . 1622

Refert de persecutionibus, conqueritur de indifferentia Latinorum petitque Brevia commendatitia ad futura Regni Comitia.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 164rv, 167v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Quid in defendenda et promovenda Sancta Unione in hoc Regno faciamus, docebunt ea quae patimur, explicata à me in alia charta ad Ill.mam ac Reverem.mam Dominationem Vestram directa: docebunt eadem quo furore et potentia oppugnant nos Deo odibiles Schismatici, qualia patrare audent in Regno Catholico (in quo Rex pientissimus est, Episcopi Senatores Regni, imo Principes Senatus) contra nos tantum nomine quia Catholici, quia Sedi Apostolicae vere et sincere obedientes sumus; consequens sane esset, ut nos Catholici Ritus Latini tanquam Fratres suos, et tanquam in communis negocio religionis et fidei catholicae laborantes iuvent, et ab impetu Schismaticorum defendant praesertim Rev.mi huius Regni Episcopi, a quibus certe nobis non satisfacitur; quoties ad illos confugimus pro verbis consolationis, desolationem reportamus. Vedit hoc optimae bonae memoriae nuper vita functus Nuntius in hoc Regno Apostolicus Diotallevius ⁹⁸, vedit et ille solus propemodum agebat causam nostram apud Serenissimum Regem, Senatores Regni, praecipuos Episcopos excitando, animando in Dei opere; idem speramus et praesentem Ill.mum Nuncium facturum, qui tantum studiosius faciet, si nunc etiam a Sua Sanctitate, Domino Nostro, id commendabitur. Ad Rev.mos Episcopos huius Regni omnino necessaria erunt pro Comitiis futuris Brevia Apostolica et ad aliquos Saeculares in hoc eodem negocio, ut defendant et promoveant illud. Humilime supp. ut per Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram a Sua Sanctitate obtineantur et ad Ill.mum Nuncium Apostolicum ⁹⁹ transmittantur. In alio etiam supplicari commisi Ill.mae ac R.mae D. Vestrae per unum ex meis, Collegii Graecorum in Urbe Alumnum; rogo ut Ill.ma ac Rev.ma D. Vestra ipsum gratiose audire et quod aequum videbitur facere dignetur. Quod reliquum est Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram Deus Opt. Max. felicem et incolumen ad utilitatem Ecclesiae suae Sanctae totiusque Reip. Christ. conservet diutissime etiam atque etiam precor.

Vilnae, 16 Octobris, Anno 1622.

Illustrissimae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiov. totiusque Russiae.

Martyrium Fratrum Nostrorum descriptum Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae porrigent Fratres nostri, Collegii Graecorum Alumni ¹⁰⁰.

f. 167v: Ill.mo ac Rev.mo D.no. D.no Ludovico Ludovisio, S.R.E. Cardinali amplissimo. Domino Colendissimo.

Vilna, li 16 Ottobre 1622 ¹⁰¹.

⁹⁸ Franciscus Diotallevi (1614-1621).

⁹⁹ Agitur de novo Nuntio Apostolico Cosmo de Torres (1621-1622).

¹⁰⁰ Podbereskyj-Korsak. Cfr. supra, nota 94, 97.

¹⁰¹ In nonnullis epistolis utile fore duximus quamdam adnotationem adiungere Secretarii noviter erectae Congregationis de Propaganda Fide, Francisci Ingoli (1622-1649).

L'Arcivescovo Chioviense Unito. Dà conto dell'i travagli, che ha dalli Scismatici, e della poca corrispondenza, et aiuto, che ha dalli Vescovi latini.

Però supplica, che li siano fatti Brevi di raccomandatione per se e per li suoi Vescovi uniti al Re, alli Senatori, et alli Vescovi latini et al Nuntio Apostolico.

Lecta die X. Januarii 1623. Vedi rescriptum in Memoriali dato Congregationi.

30.

(*Novogrodek*), 3 . XI . 1622

De Martyrio protopopae Szarogrodensis, de excidio Kioviensi, nec non de protectione Unionis Sanctae, et praecedentia Metropolitae (excerpta ex litteris Metropolitae contemporanea).

ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. I: *Cronica di tutti i scolari del Collegio Greco*, fol. 200-201.

Ex litteris Ill.mi et Rev.mi D. Josephi Velamin Rutski, Archiepiscopi Metropolitanus totius Russiae, Novembr. 3. Anno 1622.

Charissimi in Christo Fratres ¹⁰².

Quaecumque Deus O.M. hoc tempore, quo discessistis a nobis, operatus est in nobis, significo vobis. Primo de Protopapa Sarogrodensi ¹⁰³, qui venerat anno superiori hucusque ad reddendam oboedientiam mihi, et forte vobis praesentibus, postquam rediit ad suos Deo plenus, sacerdotes eiusdem loci pertraxit ad se. Scismatici pro suo quo pollent ingenio adduxerunt totam cohortem Cosacorum, cui praererat Bidaborodoso (?), Frater Borodaviae ¹⁰⁴, qui tunc fuit Dux exercitus Cosacorum, comprehendenterunt omnes sacerdotes nostros nocte ipso enim crepusculo, vespertino tempore, oportuno ad operandum talia venerunt, et Protopapam, Virum venerandum, primum decollarunt, sed imperfecte, unde vivebat adhuc, sic tunc ligatus tractus est ad flumen et submersus; alii reservati ad crastinum. Sed Praefectus civitatis illius, re cognita, venit summo mane, sacerdotes quos superstites invenit, e manibus sceleratorum eripuit, et illos exemplo ex civitate abire iussit, quod ipsi fecerunt, veriti potentiam Praesidis; duo enim vel tria millia scolopetariorum ex illa civitate esse solent. Cum Cosaci abierunt, etiam alii Cives, qui vel erant authores vel complices facti istius, sed vindicta iusti Judicis statim de ipsis sumpsit poenas. Tribunus enim Cohortis, ferme vidente Civitate, a Tartaris irruentibus, minutatim concisus est. Unus e civibus, qui erat primus author, rediit quidem, sed repentina morte sublatus est, antequam ad ius vocatus esset a Praeside.

¹⁰² H. Podbereskyj. R. Korsak. Cfr. nota 94 et 97.

¹⁰³ Szarhorod in Podolia, prope Letyčiv. Regebatur iure Magdeburgensi. Ob incursionses Cosacorum an. 1595, 1650, 1651 multum devastatum, postea vires resumpsit, et secunda civitas post illam, quae vocabatur Kamenee Podilskyj considerabatur secunda medietate saec. XVIII. Cfr. Enc. Pouszczyna, vol. 24, pag. 559-560.

¹⁰⁴ Hyacinthus Borodavka, an. 1620 electus hetman Cosacorum, qui cum Cosacis partem habuit in bello turcico an. 1620, in quo exercitus polonorum et Cosacorum apud Cecoram dispersus fuit. Mox iterum electus fuit hetman Petrus Sahajdačnyj.

Initio Junii huius anni misi primum Lublinum ad Tribunal, post Tribunal autem Chioviam pro perpetua residentia P. Alexandrum, et P. Ignatium, addito Cyrillo et Gedeone; ita erant quattuor in universum; praeterea laici tres ad illos adjuncti sunt. Dederam praeterea illis omnem supellectilem ecclesiasticam, eamque argenteam quoad Calicem, Cuinem, Evangelium et cetera non argentea. Assignavi provisionem annuam itemque pro structura Monasterii penes augustissimum ac illustrissimum templum S. Sophiae, pro quo acceperunt pecuniam, quam apud meos Factores invenerant. Venerunt Chioviam ante festum Nativitatis B. V., primum purgaverunt et ornaverunt ecclesiam, postea in Vigilia eiusdem festi Vespertas decantaverunt, ibidem matutinum postridie, secundum horam consuetam celebratum, ad euriam meam. ad quam diverterant, regressi sunt. Non poterat hoc ferre inimicus generis humani, inspiravit consilium caedis suis ministris et quidem ita maturari suasit, ut nec Missam celebrare permitteret. Edicit ergo Pseudometropolita¹⁰⁵ post matutinum ex ambone, venisse hic monachos, qui res ipsorum pessum dare volunt, adiecit quae furor haereticus dicere iussit. Sie Cosaci simul cum plebe, magno agmine facto, irruunt in ecclesiam S. Sophiae, et quia Patres nostri iam venerunt in ecclesiam et iam cepturi erant Sacrum, irruunt in illos bipennibus et fustibus contendunt ad sanguinem, ex ecclesia extrahunt, per civitatem ducunt, carceri Cosacorum includunt; sub medium autem noctem ex carcere, edueunt, ad Boristenem trahunt, et super scapham imprimunt et ducunt eos in Porohium montem propinquum, qui S. Nicolai mons dicitur. Illie cum iam innocentes illi Religiosi viderent se propinquos morti, postularunt occisores suos, ut esset sibi licitum precibus mortem praeire, quod cum difficulter isti concederent, concesserint tamen, orabant ergo, admonitique quod multum orarent, paratos se pro fide mori dixerunt. Rabiosi autem inimici multis verberibus eos onerantes procustis sudibus fere ossa frangentes in Boristenis furentes aquas praecipitant, remis terga petentes et vultum. Ita certarunt, ita gloriose consumarunt viam peregrinationis suae venerandi illi Patres. Unde multae rationes gaudii spiritualis, licet non sine aliquo dolore, qui subinde subrepebat in cauto, occurrebant. Ad quod essent ex primis, quos habemus in Religione, et qui semper vixerunt religiose, bonum exemplum ubique dantes iis, quibus (fol. 200-199) conversabantur in obedientia, in temperantia religiosa exacti, in laboribus religiosis assidui, indefessi et sine murmuratione, licet vel plurimum defectis occurrebant rerum necessiorum, in omnibus periculis, minis et torriculamentis hostium animo excelso, impetrare victo. Ipsi mihi hanc missionem persuaserunt, et se ipsos pro illa obtulerunt. Non loquor autem de Fratribus, nam Fratres nesciebant, quo discedebant, et timerem de illis, nisi essent tam boni et fortes assistentes. Sed et hoc pro singulari Divino beneficio accepto, quod non statim mactaverint, sed per integrum diem in careere detinuerunt, ut eo perfectius ad ultimum certamen athletae Christi se disponuerint et se invicem animarent, maiorem gratiam divinam et auxilium ipsius ad peragendum hoc Divinum opus mererentur. Gloriosus sit et benedictus in saeculum Clementissimus Deus, qui nos dignos fecit, ut ex nostra pusilla Congregatione offerre ista dona, hostias Vineas in sacrificium sacratissimo ipsius nomini, possimus. Assumite animos Fratres amantissimi et confortetur cor vestrum; habemus in Coelis Fra-

¹⁰⁵ Hiob Boreckyj, an. 1620 a Patriarcha Hierosolymitano Theophane consecratus.

tres nostros, qui praecurrerunt nos et viam monstrarunt, viam autem Crucis, quae est via discipulorum Christi, sicut fuit et ipsius Magistri. Obite septem Urbis ecclesias, gratias agentes Domino Deo, celebrantes ad hanc intentionem Sacrum...

Rogate, quaeso, Ill.mum Cardinalem Ludovisium, ad quem ego etiam seribo¹⁰⁶, ut Sua Sanctitas commendet negotium hoc nostrum, potius autem Dei, et ipsius S. Ecclesiae, Reverendissimis Episcopis latinis, ut ferventius quam hucusque fecerunt promoveant hanc causam. Scitis enim quod a praeteritis Comitiis non tantum non iuvabant nos, sed impediabant et forte omnes usque ad ultimum, qui debebant nos animare illi suadebant, ut animum abiiceremus, immo omnino fere hic fuit sensus tollerare Unionem, tamquam excitantem motus in Republica. Et si aliqui ex Episcopis non erant huius sententiae, tamen omnes in hoc consentiebant, ut nos non iuvarent. Coniectum assequebantur aliqui (licet ego non credo) quod vellent beneficia nostra, licet exigua, adiicere ad redditus mensarum suarum. Et hoc sciat Sua Sanctitas, non tamen per vos, in quo cauti sitis; multi enim sint Romae cognati Episcoporum, crearetis nobis maiorem invidiam et aversionem ipsorum a nobis. Nuntio Apostolico etiam Sua Sanctitas serio committat curam nostri, licet enim Regem habeamus a partibus nostris, tamen et ille homo est, mutari potest, ad minimum instabilis est. Scitis quantopere nobis intererat, quod beatus ille, dignus enim est revera hoc nomine posteribus Franciscus Diotallevius, habuerit curam nostri. O, si supervixisset ipse, intellecta fuissent ista exaete in Curia Romana, quod pro authoritate Sedis Apostolicae plus decertatum sit a nobis in hoc negotio, quam ad Episcopis latinis, licet ipsi Senatores sint, ac proinde plura possent, et nos non simus. Dixisset ipse quomodo non tam libenter quam reverenter ob importunitatem nostram (ita enim illam vocabant) loquebatur aliquando verbum pro nobis. Multum igitur interest, ut Nuntius Apostolicus sit bene animatus, cum quo nos etiam semper simus coniuncti; sunt tamen inter Episcopos, et quidem ex melioribus, qui nobis interne favent.

Scripsoram ad Cardinalem Ludovisium de difficultate, quam Suffraganeus Vilnensis¹⁰⁷ etiam modo mihi facit in praecedentia, iam post determinacionem Suae Sanetitatis (fol. 201/195), specialiter super hoc factam, et ipsi sufficienter promulgatam, tam privatim per alias personas, quam publice per Episcopum Vilnensem, idque in Congregatione omnium Canonicorum, quae fit in festo S. Stanislai, respondit: istud Rescriptum etc.... privatum in favorem partis adversae obtentum; idecreo se non teneri scire, sed si mihi est iniuria, ut agam via ordinaria iuris, citando ipsum. Neque tune etiam se condemnatum iri, nisi prius significaverit omnibus Suffraganeis Regni, dicens communem cum ipsis suam esse causam. Quocirca Reverendissimus Episcopus Vilnensis ita mihi suasit, ut obtineam Commissionem a Sede Apostolica, ut, praecisa appellatione ad Sedem Apostolicam, determinet istam controversiam, ut occurratur intento ipsius, ut tale est, ut citetur ad Episcopum, si pronuntiabitur sententia contra ipsum, appellabit ad Nuntium, si ne hic pro se aliquid obtinebit, appellabit Romam; et in omnibus istis iudiciis laborabit

¹⁰⁶ Ludovicus Ludovisi, ut nepos Gregorii PP. XV, magnum habuit influxum in res Curiae Romanae an. 1621-1623, qui etiam nominatus fuit Praefectus noviter erectae Congregationis de Propaganda Fide, cui res Ecclesiae Unitae commissae fuerunt (1622-1631).

¹⁰⁷ Abraham Wojna, dein Episcopus Vilnensis (1630-1649).

diffugiis et dilationibus. Ut ita me fatiget diversis istis subsellis et actionem relinquere cogat. Procuretur ergo talis Commissio pro Nuntio Apostolico et addatur, ut praecesis omnibus dilationibus, et quibuscumque aliis, quae talem determinationem procrastinare possint, determinet. Timendum enim est scandalum ab Haereticis et Schismaticis, ut iam bis contigit. Schismatici etiam iam resciverunt, et exprobrant nobis putantes revera nos deprimi consensu Summi Pontificis, nec credunt dum contrarium esse diximus. Rogo vos diligentes, procurete istud quam primum, transmittite mihi per Patres Societatis inde redeentes, quia cum Nuntio Apostolico nondum egi, ut per Agentem ipsius habeam literas ex Urbe, sicut habui mense praeterito. Utinam sit tam bonus quam fuit ille, non volo ut sit melior.

(*Sine subscriptione et die; retro inscriptio, fol 201*): Mors Archipresbyteri et quattuor Religiosorum Ord. S. Basilii, occisorum a Schismaticis).

31.

Varsavia, 15 . II . 1623

Congratulatur cum Rectore Pontificii Collegii Graecorum de Urbe, de obtenta directione et rectoratu eiusdem Collegii a PP. Soc. Jesu.

ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. I, fol. 356, 357v.

Admodum Reverende Pater¹⁰⁸.

Benedictus sit Dominus Deus, quod Collegium nostrum tandem aliquando post liminio rediit ad Reverentias Vestras. Gavisus sum vehementer quando vidi litteras hae de re ex Urbe scriptas in domo professa Varsaviensi, et eo magis gaudeo quod R. Vestram Paternitatem, meum amantissimum Rectorem illius Collegii assignatum esse intelligo. Obsecro teneant fortiter illud, non dimittant in posterum, etiamsi forte aliquando occurrent aliqua fastidia; revera si ex quo Collegio potest esse fructus Ecclesiae, ex hoc spero futurum uberrimum, si erunt boni operarii, quales sunt per Dei gratiam ex sua primitiva fundatione Reverentiae Vestrae. Ego de mea Russia hoc affirmo, quod magnum auxilium ex illo loco habitura est, multos inde operarios venturos, quos non pigebit Ecclesiam aliquando sustentasse, et Reverentiae Vestrae circa illos laborantes, Deo bene adiuvante, non confundemini. Suscipiat ergo me et meos R. P. Vestra in patrocinium suum, quos semper antea charitate paterna complexa fuit. Formet nos ad servitium Dei et eius Sanctae Ecclesiae, qui pro ipsa vitam effundere desideramus. Jam biennium ferme est, ex quo non misi duos fratres ad illos duos, qui ibi sunt, quia interim Bronsbergae philosophiae operam dabant, nunc pro duobus mitterem quattuor si acceptabuntur; ut autem acceptentur, rogo ut R. P. Vestra intercedere dignetur apud Ill. mum Collegii Protectorem; ibi saltem student Theologiae, vel certe pro illis duobus Religiosis accipient duos iuvenes Ruthenos saeculares. Quidquid hac in re R. P. Vestra praestabit non mihi tantum, sed omnibus nobis bene-

¹⁰⁸ Rectori Collegii Graecorum de Urbe, ex Soc. Jesu.

ficium exhibebit, et a Deo O.M. omnium honorum remuneratorem mercedem accipiet, a nobis autem debitam gratitudinem et si non poterit esse in effectu saltem in affectu. Interim me Adm. R. P. Vestrae sacrificiis et orationibus etiam atque etiam commendo.

Datum Varsaviae, 15 Februarii, Anno 1623.

Admodum Reverendae P. V. studiosissimus Frater et conservus
Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

fol. 357v: Admodum Reverendo in Christo Patri Eudemoniano Soc. J.

Rectori Collegii Graeci Athanasii. Patri Observantissimo.

A Roma nel Collegio di Greci.

(sigil.)

Nota: 1623, Joseph Velamin, Metropolita Russiae, gaudet Collegium
Graecum rediisse sub curam Patrum Societatis Jesu.

32.

Varsavia, 16.II.1623

*Cardinali Barberino, de receptione Alumnorum, de persecutionibus ex parte
Cosacorum.*

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2607, fol. 87, 88v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Fratres Religiosos Ordinis S. Basillii duos hucusque non misi propter aliqua tum domestica quam viarum impedimenta. Post festum S. Petri, Deo adiuvante, misurus. Sed habeo tres qui Philosophiam hoc anno finiunt, bonae expectationis, quartum etiam, licet Rheticam nondum attingerit, sed quia est primariae in Regno hoc familiae, desiderarem in sancto illo loco, ad limina SS. Apostolorum, in Collegio Graecorum etiam in humaniori litteratura paululum institui, antequam incipiet Philosophiam, ut bene imbibat Spiritum Romanum, et postea in Russiam ad suos eum cum litteris graecis et latinis deferat. Si hoc possibile est, humillime petimus; postea tot non mittemus, si Ill.mae ac Rev.mae D.V. ita videbitur, nunc saltem ut isti recipientur etiam atque etiam rogamus.

Porro quas tempestates inimicus generis humani in nos, cum S.R.E. intime unitos, immittat, Religiosi Fratres nostri Clientes Ill.mae ac Rev.mae D. V. enarrabunt. Iam nostris Schismatieis omnes, quibus nos oppugnabant hucusque machinae, magna ex parte contritae sunt, novas quibus nos impugnent adinvenerunt, potentiam scilicet Cosacorum, qui omnes sunt Ritus Graeci, hos in nos instigant Pseudometropolita eique similes Episcopi, ab Errone quodam ante triennium consecrati¹⁰⁹. Serenissimo Regi nostro magnae certe debentur gratiae, qui murum se pro Ecclesia Dei obiicit, plerisque Regni Optimatibus non item, qui metu cadente in debiles non in fortis viros consternati derelin-

¹⁰⁹ Anno 1620, a Patriarcha Hierosolymitano Theophane.

querunt nos, sed clementissimus Deus suscepit nos et proteget forti Dextera Sua, cui honor in saecula.

Quod reliquum est Deus Opt. Max. Ill.mam ac Rev.mam D. V. Ecclesiae Suae Sanctae et Reipublicae Christianae diutissime conservet incolumem. Magno affectus sum gaudio audiens a S.D.N. novam esse erectam Congregationem in magnum totius Christianitatis Bonum¹¹⁰, firmissime confido, quod et Ecclesia Ruthena unita habitura est ab illa singulare auxilium, in quo, ut digni innumeramus iuvare nos dignetur Ill.ma ac Rev.ma D.V., cui evenient omnia felicia.

Varsaviae, 16 Febr., Anno 1623.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

fol. 88v: Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Mapheo Barberini, S.R.E. Cardinali Colendissimo¹¹¹.

In magine: Il Collegio non è in termine, che poter crescer le spese bisogna aspettar.
(sigil.)

33.

Varsavia, 26 . II . 1623

Commendat Ecclesiam suam protectioni Cardinalis, ut videtur, Ludovici Ludovisi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 330 (an. 1629: Germania) fol. 578r.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime¹¹².

Nos in Generalibus huius Regni Comitiis cum Schismaticis Ruthenis coluetur, quibus non satis erat foedus contra nos, ad exterminandam scilicet Sanctam Unionem, cum Haereticis pepigisse, sed insolitis nos aggressi sunt expugnare machinis, exercitu scilicet Cosacorum, quibus nihil pensi nihil considerati; et quia horum potentia toti Regno est formidabilis, frigidissime a Proceribus Regni catholicis non tantum saecularibus, sed etiam ecclesiasticis defendimur. Levandi ergo nobis oculi sunt ad montes, unde veniet auxilium nobis, quorum montium Ill.ma et Rev.ma D.V. est supereminens mons; dignetur intendere pro nobis apud SS.D.N. et iuvare nos. Quare non iure connumerabimur inter illos, quorum curam suscipiat Sancta divino instinetu et magno christianitatis bono nunc recens a Sua Sanctitate instituta Congregatio

¹¹⁰ S. Congregatio de Propaganda Fide. Cfr. *Acta S. C. de Prop. Fide*, Romae 1953-1955, I-V vol.: 1622-1862. Ibi inveniuntur omnia negotia Ecclesiae Unitae in Ucraina et Bielarusja, quae per plus quam duo saecula tractabantur in sessionibus huius Congregationis. Cfr. etiam *Litteras eiusdem Congreg. de Prop. Fide*, in editione Romana 1954-1956.

¹¹¹ Hic electus fuit hoc eodem anno Pontifex Maximus, nomenque assumptis Urbani PP. VIII. Ecclesiae Unitae maxime favebat et Metropolitam Rutschij maximi existimabat, vocando eum alterum Athanasium Russiae, Columnam Ecclesiae, Atlantem Unionis, etc. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, Romae 1953.

¹¹² Agitur, ut videtur, de Cardinali Ludovico Ludovisi. Praefecto S. C. de Prop. Fide (1622-1631).

ad propagandam fidem. Scripsi etiam media quibus et propagari possit Unio, et ad fratres meos monachos S. Basilii Ruthenos Collegii Graecorum in Urbe Alumnos transmisi. Quiequid in hoc negotio Ill.ma et Rev.ma D.V. faciet, a Deo, cuius gloria in hoc quaeritur, in hac et futura vita copiosissimam receptura est mercedem, a nobis autem omne gratitudinis et subiectionis obsequium. Deus Opt. Max. Ill.mam et Rev.mam D. Vestram Ecclesiae Suae Sanctae et Reipublicae Christianae incolumen conservet diutissime.

Varsaviae, 26 Februarii, 1623.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chioven. totiusque Russiae.
(mp.)

34.

Varsavia, 29 . II . 1623

Alumnis Collegii Graecorum: de Comitiis et postulationibus non Unitorum, de aliis plurimis negotiis Ecclesiae et Ordinis Basiliani, nec non de parentibus H. Podbereskyj, et de discursu, quem olim tradidit Paulo PP.V., an. scil. 1606.

ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. I, fol. 354-355v.

Charissimi in Christo Fratres¹¹³.

Ex Comitiis Varsaviensibus vobis scribo; ideoque quid agatur Varsaviae, praesertim in causa nostra, significo. Taliter Schismatici parabant se pro his Comitiis, ut Unionis Sanctae memoriam etiam funditus delere ex hoc Regno possent; et si hoc non possent, ut nos ad minimum auctoritate Comitiorum de sedibus nostris deponerent, et bona ecclesiastica nobis auferent; Constitutum id fuit in frequentissimo Conventu Cosacorum in campestribus Kioviae; quod ut facilius obtinerent, Regem et Primates omni genere obsequiorum demererit studebant. Sors bona nostra fuit, quod Patres et Fratres nostros, de quibus vobis seripseramus, martyrio esse affectos¹¹⁴; non statim occident, quod modo vehementer dolent, sed miserint ad monasterium suum Terechtimirum, ubi octo septimanis in frigore (nihil enim dum rapti sunt supra se pro frigore habebant) fame et siti, itemque compedibus ferreis vinceti detinebantur. Sed quia Serenissimus Rex et aliqui Proceres Regni, tacti indignitate fuerint (huius facti), comminotorias litteras ad ipsos seripserunt; quod ut promptius faceret proceres quidam spem ipsis fecerunt, ipsos omnia quae vellent in his Comitiis obtenturos. In spem ergo Comitiorum, plane sub ipsa Comitia, Patres nostros dimiserunt, data tali admonitione, ut nunquam Chioviae et in (toto) Palatinatu illo comparerent, quod Patri Ignatio egerrime suaserunt; liberatus enim e manibus eorum nullo modo Chiovia exire volebat, nisi praevia obedientia, quae Chioviā miserat ut eundem revocaret, alias

¹¹³ Podbereskyj-Korsak; cfr. notam 94, 97.

¹¹⁴ Cfr. litteras an. 1622.

paratum se esse potius mori. Sed quia hic Alexander erat Superior ipsorum usus discretione quam vera clavi in talibus et in similibus et coëgit omnino ipsum discedere in gratiam quod ipsius supellectilem ecclesiasticam et bibliotheculam, qualem secum tulerat pro residentia reliquit Ouruciae, triginta milliaria Chiovia, sperans se ibi residentiam habiturum et inde successu temporis Chioviam redditurum; tam alte animo ipsius et corde sit ista missio; nunc distributi sunt per diversa monasteria, ut vires debilitatas reficiant et pedes a compedibus tumentes et saucios sanent. Pater autem Alexander quilibet nocte habet febrim, conqueritur vehementer, se non fuisse dignum coronae martyrii.

Ex omnibus ergo locis Schismaticorum venerunt hue primarii tam ecclesiastici quam saeculares, non iam amplius o uspokienie religie Greckiej¹¹⁵ petentes prout alias facere consueverunt, sed magna cum praesumptione, ut nos de gradibus nostris deturbemur et ipsi in illis collocentur postulantes et tamquam rem sibi iam promissam depositentes. Additae sunt minae per Cosacos, qui hue ad Comitia in legatione missi sunt, a quibus hoc principaliiter Regi, Senatui et Nunciis terrestribus inculcatum est, Cosacos scilicet, nisi hoc concessum fuerit, seditionem facturos et Regni multum damni illatus. Submissae sunt interim hue ad Comitia literae ab Episcopo Chioviensi¹¹⁶ illos iam centum Chiliarchas elegisse, et centum millia Cosacorum, qui numerus est toti Regno vehementer formidabilis, conseripsisse, quod confirmatum etiam est a meo Sadkowskij. Autoritate ergo Comitiorum, non expectato, fine, missi sunt ad ipsos Nunci tam a Rege quam a Senatu, quam etiam a Nunciis terrestribus distrinete praecipiendo, ut discedat quilibet ad sua ultra cataractas Boristenis, non eant nisi duo millia, ab incursionibus in ditiones Turcarum abstineant, quod si facere recusaverint omnes virtutes Regni contra illos movendas iri, et ad internectionem delendos. Sin obedierint, prout tenentur, Commissarios statim primo mane ad ipsos ituros, et de omnibus cum ipsis transacturos, hoc est: in quo numero deberent servire Reipublicae, et quantum stipendum ab illa expectare possent. Ad ipsorum autem postulata responsum iri post finem Comitiorum per ipsorum Nuncios, quod esse ex aequitate et iuribus Regni. Re reditu legati nostri, ducis Zbaraski¹¹⁷, cum pace iam confirmata sparguntur multa, sed Castellanus Cracoviensis, frater ipsius, se nihil certi scire asseveravit. (f. 354v) Sed ut redeamus ad Schismaticos, adhuc tumentes, spe ambulant in magnis et mirabilibus. Nos tamen, qui ex initii Comitiorum cognoscere possumus finem ipsorum, speramus certe nihil eos obtenturos, in quo nos etiam diligentiam, quae moraliter possibilis erat, facimus, agendo cum omnibus Ordinibus hac de re. Serenissimo Deus concedat multos annos; fere solus pugnat pro nobis, iam hoc etiam cooperant cognoscere Schismatiei et emiserunt aliquoties voces desperationis ex indignatione, dicentes non tantum Patribus nostris, qui nunc mecum quinque sunt, sed eitam mihi met ipsi dixit Drucinski¹¹⁸: videmus nihil nos contra vos obtenturos vivente hoc Rege, sed tempore interregni ex omnibus viribus insurrecturos contra vos; risimus ista, prout irridenda sunt.

¹¹⁵ « De pacificatione religionis graecae »...

¹¹⁶ Boguslaus Radoszewski (1619-1633).

¹¹⁷ Georgius Zbaraskyj, senior. Cfr. Enc. Powszechna, vol. 28, pag. 398-400.

¹¹⁸ Fortasse agitur de Drevynskyj.

Deus enim concedet longam vitam Regi, crescat etiam numerus nostrorum, nec deerit favor Sedis Apostolicae, quae autoritate sua promovebit huius Regni Antistites et cetera, quae Deus sibi reservavit, auxilium scilicet suum sanctum. Ad summum feria secunda hebdomadis sequentis dabitur resolutio huius puncti de religione Nuntiis terrestribus, qui inter suas exorbitantias hanc etiam posuerunt, quare non satisficeret constitutioni anni 1607, quo anno Nuntiis in gratiam Schismaticorum est scriptum, responsum est datum argute, quod fuit hodie apud me, quod scilicet a Rege et ab Unitis satisfactum fuerit illi constitutioni, a Schismaticis autem non satisfactum, et probatum id est evidenter. Promissa est illis Commissio, ut pro certo loco et tempore conveniamus et quaeramus modum pacificationis ad invicem, et postea in futuris Comitiis videbitur quid de facto opus sit; interim autem constitutiones 1607 et 1609 habeant suum robur, quae nobis hucusque hihil nocuerunt. Habetis ergo compendium Comitiorum in causa religionis.

Nunc ad literas vestras ita respondeo. Et primum ad literas datas per Patrem Nicephorum¹¹⁹, quae nunc primum Varsaviae mihi datae sunt una cum Brevibus Apostolicis ad Regem etc... Ibidem in eodem involuero fuerunt et vestrae, ante annum datae. Nihil dubito quod bene utamini hac commoditate studendi adhibendo labores, industriam, et, quo maius est, in pietate, quae ex illo loco sancto abundantiter huc ad nos a vobis deferri debet, dirigendo omnia ista in hunc finem, quem Deus ipse constituit homini. De parentibus vestris, Pater Adriane, quod scripsistis, scitis iam procul dubio utrumque esse e vivis sublatum, quod aequo animo ferre debes, imo putas clementissimum Deum abstulisse tibi impedimenta rerum bene agendarum morte utriusque ipsorum; pium desiderium tuum, quod in literis expressisti, iuvandi parentes et ad effectum per me deduci non poterat, quia quando venit Pater Nicephorus iam in vivis non erant. Quod porro de promotione Sanctae Unionis scribitis in secundis litteris vestris, et mihi animum additis et vos ipsos animum habere declaratis; disponite vos, filii carissimi, ad hoc magnum opus Dei, ad quod vos vocavit, apostolatum scilicet; nihil me movent istae turbae externae.

Anno sequenti paululum me includere constitui per unum annum, si Deus voluerit, ut et purgem animam meam a sordibus, quibus in dies (mactulamur), certando in arena, et disponam me ad mortem; est enim ille annus mihi primus climactericus hoc est 49¹²⁰. Et si Deus prolangaverit vitam, ut disponam me ad serviendum Deo cum maiori perfectione. Non interim deponam curam, quam suscepi, non descendam de cruce, quam ascendi, nisi quando erit aliis qui succedat. De nova Congregatione sanctissime instituta ad promovendam fidem fusius scripsisse vos dicitis ad me, quas literas ego non accepi. Ex his interim quae in istis litteris continentur, coniicio, de quo separatim scripta mitto vobis, quod vos potestis ostendere, cui debetur. Probatur mihi modus, quo processistis in informatione, explicanda scilicet vastitate Russiae meae, quae sola ex se continet tot animas Ritus Graeci, quot in universo Regno sunt animae Ritus Latini, et hoc est verissimum, non computata Moschovia cum suis vastitatibus, quod merito quis imperium non regnum vocare posset, non nominando Uala-

¹¹⁹ Nicephorus Zareskyj, Alumnus Romanus. Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

¹²⁰ Secundum hanc adnotationem Metropolita Rutskyj natus est anno 1574.

chiam, Moldaviam, Serbiām, Bulgariām (mutat scripturam Metr., AW). Sed et hoc est verissimum, quod ista infinita multitudo per latinos iuvari non potest aequē commode quam per Ruthenos unitos. Quod scribitis faciam. Scribam ad quos scribere suadetis. Ante duodecim septimanās huic Varsavia scripsi ad nonnullos ipsorum, quas litteras ad vos direxi. Si Seminarium possetis obtainere in partibus Russiae ut praestantissimum remedium contra schismam et efficacissimum remedium promovendae Unionis. Ad Dominum Josephum Trenfunelli nihil nunc scribo; audio enim ipsum discessisse ex Urbe; ita mihi retulit dominus auditor Presius. Scripsi etiam ad Ill.ム Cardinalem Barberinum in praeteritis (f. 355) litteris¹²¹, quas nescio an accepistis. De quo loco pro duobus saecularibus, duos antea Fratres mittam, unum e Brunsbergensibus, nisi aliquid intervenerit, fratrem Pachomium Oranskij¹²²; ille enim melius se ibi gessit ex aliis, et adiungam ipsi Fratrem Filonem¹²³; etiamsi septennio, et ultra ipsi manendum ibi esset, ut linguam addisceret, quam facile addiscat iuventus pronte didicit noster Martianus, quem non semel iam paenituit mutationis Ritus. Si mittamus saeculares, diligenter procurate, ut faciant professionem de servando Ritu Graeco, quam quia non fecit Martianus, subtraxit se a nobis. De promotione venerandissimi Gario-fili vehementer gaudeo, ad quem litteras scribo, et ad R.dum Patrem Rectorem. Si alias concedet locus pro aliis duobus fratribus mittam quattuor.

Quod antea scribitis, vos a me nullas litteras acceperis, vanum scripsi bis, forte etiam hae. Quodam Rev.do Patri Paulo Carmelitae uniti estis valde gaudeo, est magnus servus Dei, utinam vos tales efficiat. Hoc quod concessum erat cum magna charitate illorum sanctorum Patrum et Summo Pontifice approbatum effectum non habuit; primo expectabantur aliqui Poloni, ut venirent ad Religionem, praeter unum patrem Brechuam nullus hic erat, et tales qui non callent linguam non videntur admittendi. Secundo mors sanctissimi illius Patris Petri a Matre Dei,¹²⁴ qui erat a confessionibus Pauli Quinti, impeditivit; tandem turbationes, quas excitaverunt nobis. Scribo hic modo litteras ad Capitulum Generale, ut affectum, quem semper conceperunt erga nos retineant, modos interim et rationes iuvandi nos Patri suo Provinciali Poloniae committant.

Ad ultimum hoc vobis in memoriam revoco, ut diligenter legatis discursum unius Patris Carmelitae¹²⁵ de iuvandis Ruthenis, in libro, cui titulus: Thesaurus Sapientiae, ubi ferme de verbo ad verbum est transcriptus di-

¹²¹ Fortasse agitur de epistola sub nr. 31.

¹²² Revera Pachomius Oranskyj Romae studia obibat ab anno 1624 (8.X.), usque ad diem 12 Maii 1626. Cfr. TABULARIUM COLL. GRAECORUM, vol. 14, fol. 5v-6.

¹²³ Philo Tyszkiewicz, admissus die 15-VI-1626, discessit die 5-V-1635. Studuit in Collegio Rhetorices, Philosophiae et Theologiae. Venit diaconus ann. 23. Cfr. TABUL. COLL. GRAECORUM, vol. 14, fol. 7v-8.

¹²⁴ Petrus a Matre Dei, Carmeliteus discalceatus, hispanus, electus Superior generalis Ordinis die 26-IV-1608; obiit die 26-VIII-1608. Praesertim anno. 1605-1607 negotia Ecclesiae Unitae Romae curabat.

¹²⁵ THOMAS A JESU, *Thesaurus sapientiae divinae in gentium omnium salute procuranda*, Antverpiis 1613. Cfr. supra, nr. 2. Auctor in saeculo vocatur: Didacus Sanchez d'Avila. Natus an. circiter 1568, Provincialis Castiliae. Obiit Romae 1609 in opinione sanctitatis. Praeter editionem contemporaneam, textus huius libri datur etiam in J. MICNE, *Theologiae cursus completus*, vol. V, col. 397 sq.

scursus meus¹²⁶, quem dederam initio Pontificatus Pauli Quinti Secretario partium Septentrionalium, homini egregio, Domino Mariano Malacridae, dum nomine mei Metropolitae, saecularis adhuc existens, deferebam obedientiam¹²⁷ initio Pontificatus. Et iuberer dicere quod mihi occurrere videbatur de promovenda Religione; conscripseramus autem illum in Moschovia¹²⁸ cum eodem amantissimo meo Patre Paulo¹²⁹, magna ex parte, et offerri debebat Duci Moschoviae¹³⁰; saltem in duobus locis est ibi adiunctum: primum, de ieinio ab exaltatione S. Crucis, quod est proprium Patrum Carmelitanorum et non meum, et in alio loco adiunctum est, ut ad unitatem Ritus Latini adducerentur. His demptis omnia sunt mea. Interim vos, charissimi Fratres, Deo Opt. Max. et eius Beatiss. Matri et Sancto Patri nostro diligenter commendo, apud quos ut etiam pro nobis exoretis etiam rogo.

Datum Varsaviae, 29 Februarii 623.

Post scriptas has litteras allatae mihi sunt a Dominis Voinis¹³¹ litterae manu Fratris Raphaëlis nomine antea priusquam scriptae, sed nihil in se peculiare habebant ad quod iam responsum non sit. Miror cur nihil mihi scripsistis de pensione Episcopi Luceoriensis, quam mihi promisit solvere per mille florenos, de quo Breve accipere debebatis; procurete ergo id quod vobis est commissum. Scribo ex professo ad Ill.mum Cardinalem Ludovisium¹³², nepotem Suae Sanctitatis, et ad Protectorem Collegii, ut commendatam habeat Unionem in Congregatione de promovenda fide. Facite etiam deliberationem et mihi finaliter indicate, quem ex Cardinalibus protectorem nostrae Religionis deber nominari.

fol. 355v: Charissimis in Christo Fratibus

Adriano Podbereski, Fratri Raphaeli Korsak,
Relig. S. Basillii.

A Roma nel Collegio Greco.

Nota: Aprilio acceptae Anno 1623.

¹²⁶ In libro VI huius operis, parte II: *De iuvandis Graecis*, in cap. 3: *De aliis mediis iuvandi Graecos et Ruthenos* (pag. 288).

¹²⁷ Anno 1606, mense Aprili-Junio.

¹²⁸ Cfr. A. G. WELYKIJ. *Joannes Velamin Rutskyj in "exitu viarum"*, in *"Analecta OSBM"*, Romac 1949, pag. 9 sq.

¹²⁹ P. Paulus Simon. Missionarius in Persia, fundavit conventum in Ispahan (1607), reversus in patriam, electus postea ter Superior Generalis Carmelitanorum dise. Obiit anno 1643. Cfr. A. G. WELYKIJ. *Joannes Velamin Rutskyj in "exitu viarum"*, *ibidem*, ut supra.

¹³⁰ S. d. falso Demetrio (post annum 1605).

¹³¹ Ex familia Wojna, ex Lithuania, ex qua et Episcopus Vilnensis Abraham (1630-1649).

¹³² Ludovicus Ludovisi. Cfr. *Indicem nominum et rerum*. Praefectus S. C. de Prop. Fide (1622-1631).

35.

Varsavia, 8 . III . 1623

Refert de Comitiis Regni, de instantiis Cosacorum, et de negotiis cum Cardinali Bandino.

ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. I, fol. 531rv.

Charissimi in Christo Fratres¹³³.

De initio et progressu horum Comitiorum scipisci vobis ante tres septimanas; propterea nunc ista paucis scribo. Schismatici licet cum suis Cosacis terroribus impleverint omnia, nihil tamen, sit Dei gratia, obtinuerint. Sub ipsa Comitia venerat rumor, illos conscripsisse centum milia, legati propterea Cosacorum apud Nuncios vehementer instabant, multa pericula, nisi ipsorum petitioni satisfiet, obicienda; eo res devenerat, ut erat necessarium me ingredi ad Nuncios terrestres et dicere causam nostram, quod hucusque nunquam fecimus; unde decreta est deputatio decem personarum, ad quos adiecit Serenissimus Rex cum Senatu quinque primarios Senatores. Adduxerint ipsi primi sua iura, adduximus nos postea, et ita nobis successit, Deo Opt. praestando, quod evidenter omnium iudicio a nobis victi fuerint; venerit insuper ille pseudometropolita et episcopi; confudit tamen eos potentia divina, ut nihil prevalerent adversus nos. Deo Opt. Max. sit gratia, Serenissimo etiam Regi nostro, qui nisi nos iuvisset et quidem solus, non habendo auxilium ab ullo Senatore, opprimeremur. Ipsorum antesignanus, unus e Nunciis terrestribus, pestilentissimus Schismaticus, quem nostis ut arbitror, Onichimowskij in ipso sermone conflictus nobiscum extinctus est et descendit ad inferos. Illi autem pseudoepiscopi eadem nocte, qua finita erant Comitia, fuga praecipi se eripuerunt. Impetrarunt tamen dilatationem huius negotii ad futura Comitia, quod nos vocamus reces.

Scribo ad Ill. mum Cardinalem Bandinum¹³⁴, rogando ut nos suscipiat sub curam et patrocinium suum, nondum autem nominando ipsum protectorem nostrum, quod faciemus postea, ubi mihi certius constiterit ipsi obtigisse nostra Russia; scripsi hinc quod fusius eum informare debetis de omnibus quae sint necessaria pro Russia. Hoc unicum inculcate semper et omnibus, quod quando habebimus numerosum Seminarium his in partibus Russiae sub cura nostra, cura et liberalitate Sacrae Congregationis brevi tempore Unio Sancta uberes perferat fructus, quae omnia superioribus litteris expressi, et modum iuvandi Russiam explicavi. Nune non vacat quin Vistula dissolvetur, et forte hac nocte dum scribo ista dissolvetur; iussi hinc notare licet inordinate. Ordin-

¹³³ Podbereskyj-Korsak. Cfr. notam 94, 97.

¹³⁴ Bandini Octavius, Florentinus, Archiep. Firmanen., nom. Cardinalis die 5.VI.1596, tit. S. Sabinae, ab an. 1626 Ep. Ostiensis et Decanus S. Collegii. Obiit in Curia Romana die 1.VIII.1629. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 4, nr. 8.

netis vos melius. Responsum ad priores litteras ab Ill.mo nostro Cardinali Collegii Protectore expecto. Interim vos Deo Opt. Max. commendo.

Datum Varsaviae, Martii 8, Anno 1623.

fol. 35Iv: Charissimis in Christo Patri Adriano Podbereski et Raphaeli Korsak. Romae in Collegio Graecorum Ordin. S. Basili M.

nota: Napiszite wasze ymie na liscie Kardinala Bandina¹³⁵.

(sigil.)

36.

Vilna, 8 . VI . 1623

De statu propriae valetudinis, de scripto, quo explicantur impedimenta Unionis, a se confiendo. Hortatur H. Podbereskyj, ut valetudini curet, et gratias agit R. Korsak de litteris transmissis.

ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. I, fol. 352rv, 353v.

Carissimi in Christo Fratres¹³⁶.

Dominus Deus vos tempore oportuno voluit esse in tali loco, in quo estis, ubi multa bona praestare potestis afflictis Ecclesiis nostris; quaecumque scribetis ad me, sunt mihi plurimum cordi; ad Ill.mos Cardinales: Ludovisium, Bandinum, Barberinum, de Torres scripsi ex Comitiis, nunc a novo Nuntio nostro, quem nondum noseo, accepi Brevia et litteras Cardinalis Ludovisii, quas mihi misistis et ad has ultimas in praesentia respondeo.

Formavi quoddam scriptum in quo congessi impedimenta Unionis¹³⁷ in hoc Regno; nondum finitum propter medicinas meas, quibus vacare coepi statim post Pascha nostrum, ad avertendum scilicet paralisin, quod malum ab aliquot annis, ut scitis, vexare me caepit, sed magis hoc anno ante Pascha, quando redii Varsavia. Spero utiles has medicinas futuras, ad protrahendam vitam longius, si Domino Deo ita visum fuerit, ad poenitentiam meam et servitium ipsius... Propter hanc, inquam, debilitatem non potui perficere hanc lucubratiunculam, quae continebit quattuor folia chartae. Fratres tamen quando ibunt, debet esse tunc parata et per illos mittetur, ubi fuse de transitu a Ritu ad Ritum, nunc breviter Ill.mo Nuntio Apostolico suggesti.

Sunt etiam alia quae urgent modo magis, ut scilicet in Commissione proxime futura cum Cosacis nostras res stabilientur. Rex noster ivit in Prussiam, forte ordinando expeditionem in Sueciam, et est modo Margeburgi; intra duos tamen menses speratur redditurus Varsaviam, ubi Nuntius Apostolicus expectat ipsum, nondum enim eum vedit. Illius scripti unum exemplar mittam ad Nuntium nostrum, aliud ad vos cum litteris ad Ill.mos Cardinales et ad Suam Sanctitatem, quarum omnium copiae, ut petitis, vobis transmittam. Ipsi prius legetis hoc scriptum, postea offeretis vel Ill.mo Protectori Russiae, vel de eius consilio Suae Sanctitati vel Sacrae Congregationi, et postea curate,

¹³⁵ « Inscribite nomen vestrum in litteris Cardinalis Bandini ».

¹³⁶ Podbereskyj-Korsak. Cfr. supra, nota 94, 97.

¹³⁷ Cfr. infra, sub anno 1624, nr. 65.

quantum in vobis est, ut ista optatum eventum sortiantur. Si ista consequemur, stabilientur res nostrae, et florebunt mirum in modum, et tunc cum laetitia et animi mei iubilo animam meam tradam in manus eius a quo accepi. O, utinam ista fiant; taedet enim animam meam miserae vitae meae.

Pater Nicephorus¹³⁸ non est mihi ad manum, facit modo recollectionem spiritualem Bithenii, propterea de pensione Episcopi nostri Luceoriensis, in quo statu eum reliquerit, non habeo a quo quaeram. Frater Cyprianus ex via scripsit ad me aeger, quod cognoscetis ex litteris ipsius, quae post aliquot menses, ex quo scriptae sunt, tandem pervenerunt ad me; etiam dicitur esse mortuus. Misit etiam Brevia, quae oportune venerunt ad Comitia; procurabimus ut certiora habeamus, an adhuc sit vivus. Per Fratres fusius scribam de pensione, nec enim tertium adhuc accepi inde, nec forte tam cito accipiam, stantibus sic rebus illius Episcopatus. De numero mittendorum Romam nihil scio.

Carissime Pater Adriane, attendite quoad valetudinem vestram; sputum sanguinis vehementer me terret; malo vos habere vivum hic domi sine doctrina, quam mortuum cum omnibus doctrinis; recurrite frequenter ad Anchiatum qui est in coelis. Literas vestras, carissime Frater Raphael, multum iuverunt P. Joannem, ad quem scripsistis et videbatur assumpsisse spiritum, et ad me literas vestras Vilnam usque misit; iterum tamen oblitus illarum rediit ad phantasias suas cum detimento aliorum, qui ex continua conversatione cum ipso eandem cantilenam: potius sibi transeundum esse ad Ritum Latinum, ad diversas Religiones, quam videre desolationem Ritus sui, quod illum relinquunt alii passim, et ob tribulationes a Schismaticis, quamvis illi nihil sentiunt de illis. Nos has omnes molestias devoramus, ipsis tantum videre contingit. Ista si venient, esto quidquid erit etc... etc... Commendate illos Deo ferventer. Non cessat enim diabolus tentare nos modo per has modo per illas vias; vix (consolationem) habemus, quam etiam in hac vita non quaerimus. Deo Opt. Max. vos commendo, Fratres amantissimi.

Vilnae, 8 Junii, Anno Domini 1623.

Vestri amantissimus,

Josephus Archiepiscopus.

(fol. 353v): R.do Patri, carissimo in Christo Fratri Adriano Podbereski, Monacho Ordinis S.cti Basilii, Collegii Graecorum in Urbe Alumno.

Romae in Collegio Graeco S.ti Athanasii.

(sigil.)

37.

Novogrodek, 17 . X . 1623

Congratulatur cum noviter electo novo Pontifice, Urbano VIII.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol 6648, fol. 120rv.

Sanetissime ac Beatissime Pater¹³⁹.

Tacere non possum dum Beatitudinem Vestram ad Summi Pontificatus Apicem evectam esse intelligo, sed voce iubilationis iterare subinde suadet

¹³⁸ Fortasse agitur de Nicephoro Zareskyj, Alumno olim Romano.

¹³⁹ Agitur de Urbano PP. VIII, olim Cardinali Mafeo Barberini. Hic electus est in Pontificem die 6.VIII.1623.

animus gaudio perfusus. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum. Gratulamur sibi universus Christi Grex de tali Pastore, sed misera Russia maiori iure et certe maiori, sub tuo enim, Beatissime Pater, Patrocinio, dum in Sacro Cardinalium Collegio constitutus, Protectoris Collegii Graecorum munus obibas, multa acquisivit praesidia et ornamenta. In spem nunc erigitur certissimam maiora acquirendi in posterum, quorum iam semina in Sacra Congragatione de propaganda fide per te praeparata sunt, Seminarium scilicet in Russia, cui Beatitudo Vestra una cum aliis Ill.mis S.R.E. Cardinalibus ex benignitate sua subscrispsit. Pro quo infinitas gratias non tantum nos, qui nunc vivimus, sed et illi qui in loca nostra et qui post ipsos succendent agimus, agent et ipsi. Deus Opt. Max. supremum hoc regimen Ecclesiae suae stabiliet in manu Beatitudinis Vestrae, conservando ipsam incolumen et in hoc, in quo nunc per Dei gratiam est vigore ad annos plurimos, et subiiciat sub pedes eius inimicos suos, qui sunt per Angliam, Germaniam et ubivis in Orbe terrarum, subiicit et quidem quam primum Ruthenos schismaticos, quod brevi futurum, Deo tamen propitio, sub felicibus Beatitudinis Vestrae auspiciis confidimus. Cuius pedes ego indignus meo nomine et Coepiscoporum Ruthenorum cum Sancta Romana et Venerabili Ecclesia intime unitorum et ipsi devotorum nominibus cum omni reverentia exoscular, et ab ipsa Pastorealem ipsius Benedictionem per Fratres meos Adrianum Praesbyterum et Raphaëlem Diaconum, quibus id in persona mea praestandum commisi, humillime peto.

Datum Novogrodeco, die 17 Octobris, 1623.

Beatitudinis Vestrae indignus filius

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis, totiusque Russiae.

38.

Novogrodek, 17 . X . 1623

Condolet cum Cardinali Ludovisio de obitu Gregorii PP. XV, cuius operam et merita extollit.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 245rv, 254v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime¹⁴⁰.

Gratitudo benefactoribus iure naturali debita praeter multa alia motiva induxit me ut post decesum S.D.N. beatae recordationis Greg. XV. ad Ill.mam ac Rev.mam D.V., heroicarum virtutum ipsius verum haeredem, ista scribere. Appositissime quadrare in illum quid sapiens dixit de iusto: Consumatus in brevi, expletiv tempora multa. Biennio enim, quo praesidebat Ecclesiae, perfecit tot et tanta, quae multis annis ad perficiendum indigerent. Ut omnia alia omittam, sola Congregatio de Propaganda Fide, cuius ipse erat parens, transmittet nomen eius ad longa posteritatis saecula, et bona quae ex ista Congregatione manabunt ipsi tanquam primo Autori iuste imputabuntur et praemia reddentur in coelo per frequentatum augmentum generalia, in terris

¹⁴⁰ Praefecto S. Congreg. de Prop. Fide.

per crebras hominum nominis eius cum benedictione iterationes. Seminarium Rhutenis ab ipso concessum collocet eum inter Ordines Cherubicos. Tu vero, Cardinalis Ill.me, habens talia et quidem domestica maiorum tuorum verae charitatis in Deum et proximum viva et recentia exempla, eo quo caepisti affectu, ipso vivente, Russiam nostram et nos laborantes in ea complecti in posterum etiam, ipso moriente, fovere digneris, quod ego cum meis Rhutenis ad Ill.ma ac Rev.ma D. V. obnixe peto et ipsius patrocinio nostra omnia humillime commendando. Cui ut Deus Optimus Maximus concedat longam vitam et omnem felicitatem etiam atque etiam praecor.

Datum Novogrodeco, die 17. 8-br., anno 1623.

Humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metrop. Chiovien. totiusque Russiae
(f. 254v): Ill.mo ac R.mo D.no. D.no Ludovico Ludovisio, S.R.E Cardinali
Amplissimo. Domino Colendissimo.

Novogradeco, 17 8bris 1623

L'Arcivescovo Chioviense.

Ringratia del pensiero preso dalla Congregatione circa il Collegio da farsi nelle parti di Polonia per li suoi Ruteni; supplica che si proseguisea nell'esecuzione di questo pensiero.

* * *

Lecta die 22 Januarii 1622.

Che non mancherà la S. Congregatione d'aiutar e promover tutti li suoi interessi presso N.S. et il Nuntio di Polonia accioche si mantenghino gl'Uniti e l'Unione, e che à relatione del Signor Card. Bandini si farà officio con S. Santità acciò faccia efficace ufficio coll'Internuntio Polacco, presente nella Corte per levar gl'impedimenti, che danno agl'Uniti et all'Unione li Scismatici, li Cosachi, e li Vescovi latini, conforme alla scrittura, che ha mandata alli scolari, Alunni del Collegio Greco. Li quali potranno assicurar S.S. del desiderio ch'ha la Congregatione di mantener il Rito Greco cattolico e l'Unione, fatta da sotto Clem. 8.

39.

Novogrodek, 17 . X . 1623

Dolorem suum exprimit de mala valetudine P. Adriani, extollit merita eius pro Ecclesia Unita, indicat modum disponendi de patrimonio, agit de admisione novorum Alumnorum, petit ut procurent indulgentiam plenariam, et alia minuta inculcat negotia peragenda.

ASV, *Archivum Nuntiaturae Varsaviensis*, vol. 98, fol. 21-22.

(Velaminus Metropolita Adriano Podbereski, Monacho Rutheno, Graeci de Urbe Collegii Alumno, 17 Octobr. 1623).

Litterae Vestrae¹⁴¹ et Charissimi Fratris Raphaelis de tali infirmitate

¹⁴¹ Hadrianus Podbereskyj. Cfr. supra, nota 94.

vestra quanto moerore nos repleverunt facile intelligere potestis, et nunc quotiescumque occurrit, amara mihi redduntur omnia. Et licet spem habeamus in Misericordia Divina quod non privabimur praesentia et carissima conversatione tecum, tamen semper obicitur timor, qui affligit animam. Tibi quidem sors felix, qui es in tali loco, in quo potes sanctissime vivere et semper ad mortem paratus esse, et meritis tuis in Ecclesia potes superare nos, quibus quidem sunt certamina ad extra, sed non desunt mala interna, quae extenuant si quae sunt merita nostra. Unde iure timendum est nobis illud Sapientis: condemnat iustus mortuus vivos impios, et iuventus celerius consummata longam vitam iniusti.

Bene meriti estis de Ecclesia, quia perfecistis tale bonum, quale nec Antecessores nostri perficere potuerunt, nec nos perfecimus, licet ego ea intentione ipse in persona propria iverim Romam, Seminarium intelligo, et tales animi propensionem in nos Ill.mi Cardinalis Bandini, Protectoris Russiae. Desideria porro vestra, quae mihi nota sunt, notiora autem Domino Deo, nunc apud ipsum pro factis reputabuntur. Nostra ista sors adversa, si pars eorum non deducentur ad effectum. Utinam audiamus laetiora. Scio quidem quod protua fraterna et ardentia, quam tuo cordi Deus benignissimus ingeneravit, charitate, decedendo a nobis corporaliter, non deseret nos spiritualiter, et multa nobis bona praestabis in coelo, quae compensabunt et superabunt illa, quae praestare posses in terra, tamen quia homini sumus, et operariis nunc destituti, sine dolore ista, et sine praesentibus lachrymis nec scribere nec cogitare possumus. Deus Opt. Max. perfectissimus Medicus donet tibi perfectam sanitatem. Amen, Amen. Tu etiam ex tua parte ores ipsum, Beatissimae Virginis Lauretanae, Czenstochoviae, et Nostrae Zyrovincensi facias votum sistere te in illo loco ad gratiarum actionem, offeras etiam id, quod nunc scribis in literis de patrimonio tuo quantum videtur. Et in media Quadragesima sequenti, vel prout commodius videbitur, moveas te inde versus Patriam, quiescendo subinde in via, si vires erunt debiles. A medico sufficientem informationem accipe. Pro pecunia praeter illam, quam per Fratres misi cuilibet vestrum 100 florenos, scribo ad R.P. Rectorem, ut det quantum necessarium iudicabit, et ego me obligo ipsi et sanete promitto me velle eo quo iusserit modo refundere. De voluntate applicandi patrimonium, et de formando instrumento puto posse id fieri et Romae coram aliquo Magistratu, prius tamen formanda erit scriptura more Patriae, subscripta per vos et per tres primarios Polonus, vel Lithuanos, qui tunc erunt Romae, postea id in acta referatur. Cogitavi de loco, cuinam nominatim applicari deberet, ista tria occurrebant: Religionis Monasterium principale, Seminarium futurum, et Clerici Religiosi. De quibus in scripto meo puto iam vos habuisse; ut patrimonium vestrum esset pro prima fundatione huius boni, quod est novum in Russia, et non facile invenientur, qui fundationes faciant pro isto. Diu enim non capient Clerici caelibes, praeterea Religiosi, et non caelibes, et etiam non Monachi, qui etsi vellent, non possunt ea omnia praestare, quae modo praestare conantur, quae praestarent ipsi, et liberi essent ab abstinentia a carnibus. Interim tamen cuicunque horum trium applicabitur, facile erit postea mutare quando redibitis.

Informationem quam posui meliorem per manus Ill.mi Nuntii Apostolici misi ad vos, et per vos S. Congregationi de Propaganda Fide. Litterarum quas

nunc scribo copias mitto. Illas autem literas, quarum copiae transmissae sunt ad vos, Nuntius Apostolicus, audita morte Pontificis, remisit mihi, ut mutarem, et sic non sunt missae, et aliae loco illarum mittuntur.

In Collegio quod sint loca pro sex gaudeo, sed ex Fratribus ut mittamus tales, quales desiderat R. P. Rector non habemus. Supplicate a Novo Protectore, ut suscipiat duo Saeculares, et haberemus semper aliquos ex primaria Nobilitate ex Ruthenis olim oriundos, qui postea erunt Rutheni, licet modo sint Latini¹⁴².

Quando scribetur erectio Seminarii scribatur obligatio de Ritu, ut qui-cumque beneficio illius Seminarii frui velit, faciat iuramentum de Ritu, prout faciebamus in Collegio Graeco, et sic statim recuperarentur ruinae Nobilitatis, media enim pars huius Seminarii ad minimum esset ex Nobilibus, etiam si non obligarentur ad statum ecclesiasticum, nisi qui vellet, vel qui suaviter induceretur. 5000 florenorum desideraremus annuatim a S. Congregatione pro Seminario, nos obtulimus bona a Duce Zbaraski Tatarzynowce, et praeterea groszowe ex qualibet Wloka Rusticana bonorum Regalium, ubi sunt Rutheni, quod concedet facile Rex, et Nuntius Apostolicus proponere hoc Serenissimo Regi debuit. Ex parte nostra, id est, ex parte Episcoporum, si dabitur 20 pars reddituum cum Monasteriorum vigesima 2000, sed et hoc ut concedant Episcopi nostri, oporteret eos congregari coram Nuntio Apostolico. Ego paratissimus sum; in praesentiarum tamen nihil de hoc subsidio ad Episcopis locuti sumus Nuntio.

Scribere ad Sanctissimum ut confirmet nobis in Protectorem Illustrissimum Cardinalem Bandinum non videbatur faciendum, ac si in dubium hoc vocaremus, quod iam ipsi semel datum est; si vero pro Religione, etiam non videtur, tum quod praeterea puto, quod sit aliquis ex Cardinalibus Protector Ordinis S. Basillii Magni, illorum, qui sunt in Ritu Latino, non expediret nobis sine matura deliberatione hoc facere.

Si Dominus Josephus Tarfanelli modo est in Curia, significate mihi, et quale habet officium; intellixi enim concessisse ipsum 100 flor. Domino Arcadio¹⁴³, miseram ad Nuntium Apostolicum Romam transmittendos, suscipere noluit, scribat ad Nuntium ut accipiat.

Dum fuisse Romae obtinueram Indulgentiam Plenariam pro Ecclesia Zyroviensi V. Assumptae, quam bis in anno utriusque Ritus et sexus homines obtinebant; iam anni 10 expirant, petenda prorogatio pro aliis 10. Idem faciendum erit pro altari nostro privilegiato pro defunctis apud S. Trinitatem, tituli Exaltationis S. Crucis.

Ad S. Congregationem scribam post 3 menses, quando ad me convenient tres Episcopi pro consecratione Coadiutoris Pinscensis, qui paralysi tactus est, nec loqui potest. Interim vos Providentiae Divinae et Protectioni B. V. Mariae, Apostolorum Petri et Pauli, S. Athanasii et omnium Sanctorum etiam atque etiam commendo.

Vestri amantissimus

Josephus Archiep.

¹⁴² Gratiam hanc Rutskyj obtinuit, quae tamen mox revocata fuit.

¹⁴³ Petrus Arcadius, Alumnus Collegii Graecorum insignis, qui Unioni s.d. Berestensi assidue adlaboravit (1591-1593), et dein in Russia Seminarium erigere conabatur (1596-1609). Reliquit etiam scriptum amplamque descriptionem Unionis Berestensis, quae tamen, ut videtur, periiit. Obiit in Curia Romana anno 1633.

40.

Novogrodek, 17 . X . 1623

*Rectori Collegii Graecorum, ut curam habeat de P. Adriano Podbereskyj,
infirmae valetudinis, eique viaticum suppeditet, et negotia Ecclesiae Unitae
promoveat apud Generalem Soc. Jesu.*

ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. I, fol. 358rv.

Admodum Reverende in Christo Pater¹⁴⁴.

Sanitatem Patris mei Adriani esse curae R.P.V. gratias ago maximas. Magna nos equidem plaga percutseret Deus omnipotens, si Patrem hunc auferret a nobis. Obsecro, ut adhibito consilio Medicorum remittatur quam primum ad aërem nativum, quo commodius hanc tam longam et fastidiosam viam tuto peragere possit; subsistendum ipsis esse subinde in civitatibus Italiae et Germaniae arbitror, quod sine sumptibus extraordinariis esse non potest, qua in re iuvari nos per R.P.V. obnixe rogamus. Mittuntur hue Ill.mo Nuncio Poloniae pecuniae ex Urbe, mittuntur etiam pro Seminariis Vilensi et Brunsbergensi, his ergo refundam quidquid R.P.V. ipsi dederit. Mitterem statim, sed nullam securam mittendi occasionem habeo. Ill.mus Nuncius, quod dabam ipsi, non acceptabat. Faciat hanc charitatem R.P.V. Multum merebitur de mea Russia, quae ut cordi sit tamquam membrum Collegii Graecorum R.P.V. etiam atque etiam rogamus; inveniet modum recipiendi a nobis pecuniam, quam dabit Ferrent Fratres mei sed bella sunt per Germaniam, ubi multa a..... dependunt; propterea duo tantum Fratres missi sunt ad Collegium Graecorum non plures. Saltem ut vivum possemus accipere Patrem hunc, curaretur hic, Deo auxiliante, valetudo illius.

Audio dictum esse a R.P.V. ut ad Collegium mittantur nostri nisi qui absolverint Philosophiam; tales vix duos habere possumus. Si ergo liceret pro duobus Religiosis mittere duos Saeculares vehementer desiderarem, nam et isti praesentes, qui mitterentur, redirent ad nos Religiosi, convivendo Tribus meis et invitati tot motivis, qui ibi sunt.

Adiuvare quoque dignetur Seminarium meum in Russia R.P.V., quod promissum nobis est a Sancta Congregatione de propaganda fide; possunt ex Collegio Graeco hue deduci coloniae et introduci studia graeca. Quid scimus, nonne talia sunt iudicia Dei, ut illa natio, quae erat tam celebris et clarior aliis in Orbe terrarum et quae lumine fidei illustravit multos in Occidente et Septentrione iuvetur ab aliis nationibus melioribus se, et quos contemptui passim habebat et barbaros vocabat, ut sic intelligent pariter ac alii, et beneficio Dei tales praerogativas praehabuisse, non industria vel viribus suis.

Maxime iuvet nos apud Rev.mum Patrem Generalem Saeri Ordinis sui, ne deneget operam quando a Sua Sanctitate et a S. Congregatione requisita fuerit Societas. In quo, intelleget, ubi legerit informationem meam, quam mitto S. Congregationi de propaganda fide et quae prius in Collegio Graecorum esse debebit antequam ad Ill.mum Cardinalem Bandini a nostris Fra-

¹⁴⁴ Rector Collegii Graecorum de Urbe.

tribus reddetur. Faciat Deus, ut haec nova vinea obtingat! Sed non audeo dicere, ne temeritatis vel praesumptionis arguar. Domino Deo qui omnium corda possidet ista commendamus. Quem ut nobis SS. Sacrificiis et orationibus suis R.P.V. reddat benignum, etiam atque etiam rogamus.

Novogrodeci, 17 8-bris 1623.

Admodum R.P.V. studiosissimus Frater et conservus
Josephus Velamin Rutschi, Archiepiscopus.

(*Nota, fol. 358v*): 17 octobr. 1623 Metropolita Russiae.

41.

Minsk, 23 . XII . 1623

Nuntium dat de martyrio Josaphat Kuncewycz, quod describit, et sanguinem hunc pro Unione Ecclesiarum et Pontifice effusum Urbano offert VIII-o.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 182rv, et fol. 251-252v.

SUSZA J., *Cursus vitae... B. Josaphat Cuncevicii*, ed. Martinov, Parisiis, 1865, p. 149-150.

KULCZYNKI IGN., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, p. 231-232.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, Nr. 6 (1923), 305, et imag. luce expr. p. 308.

WELYKYJ A. G., *S. Josaphat-Hieromartyr*, Romae 1952, p. 6-8.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Primus annus Summi Pontificatus Beatitudinis Vestrae coronatur Martyrio magni Antistitis Russiae, Josaphat Cuncevitzij, Archiepiscopi Polocensis¹⁴⁵. Is in visitatione suae Dioecesis, quam in propria persona faciebat, Vitebsci 12 Novembris Anno Salutis 1623, die dominico, postquam ex Officio Matutino ex ecclesia ante diluculum exivit, et domi suae ad Sacrum Missae Officium, quod pontificaliter illa die celebraturus erat, disponere se cepit, a plebe illius civitatis tribus ferme horis hostiliter cum bombardis et alio telorum genere in domo sua episcopali oppugnatus, tandem expugnatus, et crudelissime trucidatus est; postea in corpus Archiepiscopale, iam exanime, miris modis saevitum, pedibus etiam a mulieribus calcatum, per aream domus raptatum, fune ligatum et per plateas ad ripam Dunae fluminis petractum et submersum est. Archidiaconus ipsius et alia familia domestica, quae tunc penes ipsum erat, multis vulneribus confecta adhuc quidem vivit, sed Archidiaconus et ex Saecularibus Praefectus domus non sperantur supervicturi. Doleo ex hac parte quod a me corporaliter ablatus sit is, qui mihi dextra manus erat, quod tamen per tantam gloriosam mortem ablatus, gaudeo plurimum, certam quippe spem habeo potentius pro nobis operaturum in coelo, quam operari potuisset in terra. Et quia pro gloria Dei, pro Sancta Unione, pro auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae Sanctus iste Martyr vitam suam posuit, Tibi Summo Saeculare Sacerdoti hanc hostiam vivam et immaculatam praesentamus, per Tuam Beati-

¹⁴⁵ Primus nuntius Metropolitae de martyrio Josaphat Kuncewycz, Archiepiscopi Polocensis, Vitebsci, die 12-XI-1623, propter professionem Primatus Romani occisi. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, Romae 1952, vol. II, Romae 1955, ubi documenta bio-hagiographica canonizationis et beatificationis publici facta sunt iuris.

tudinem Deo omnipotenti in Sacrificium offerendam, ut ipse det incrementum huic negotio, quod nos sudoribus nostris plantamus et sanguine rigamus, tunc quando erit beneplacitum ipsius. Nos porro sic ut ad labores promptiores mortibus Patrum et Fratrum nostrorum efficimur, in Operarios novos submitti per modum a Sancta Congregatione de propaganda fide, interveniente approbatione Beatitudinis Vestrae, conclusum (ne postea defectu Operariorum Dei negotium pessum eat) rogamus, obsecramus. Deus Opt. Max. sub pedes Beatitudinis Vestrae subiiciat omnes hostes Ecclesiae suae et vitam concedat longissimam, omni genere bonorum cumulatam.

Datae Minsci, die 23 10-bris, Anno 1623.

Beatitudinis Vestrae indignus filius et servus

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(fol. 189v): Sanctissimo ac Beatissimo Patri, Domino, Domino Nostro Clementissimo.

42.

Novogrodek, 27 . I . 1624

Josephus Metropolita de morte Archiepiscopi Polocensis ad Octavium Bandinum, Praefectum S. C. de Prop. Fide.

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 337, fol. 303rv (copia).

SUSZA J., *Cursus vitae... B. Josaphat Kuncevicii*, ed. J. Martinov, Parisiis 1865, p. 151-2.
WELYKYJ A. G., *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, p. 18, Romae 1952.

Cardinali Octavio Bandino, Protectori Russiae¹⁴⁶.

In regno christiano sub rege catholico schismatici tantum facinus perpetrare ausi sunt, ut Vitebsci pastorem suum Archiepiscopum Polocensem, Josaphat Kuncevicium trucidaverint, instinctu procul dubio pseudoepiscoporum, qui Kioviae sub patrocinio Cosacorum impune delitescunt, et suos per universum regnum hinc inde mittunt, ut homines non tantum avertant a nobis, sed etiam concident contra nos. Die 12 Novembris, anno proxime elapo, qui erat dies dominicus, ipso diluculo, quando bonus Antistes ex ecclesia, post absolutum Matutinum, domum se receperat, ut ad Sacrum pontificaliter illo die celebrandum sese disponeret, plebs civitatis illius, Magistratu connivente, signo per campanam Praetorii et omnium ecclesiarum dato, expugnarunt scelerati homines domum archiepiscopalem, et virum sanctissimum, omni veneratione dignum trucidarunt, ac postea in sacrum corpus, iam exanime, diris modis saevierunt, de quibus omnibus in particulari visum est potius in alia charta, quam in his litteris scribere¹⁴⁷. Omnia nostrorum Unitorum copiose in hac tanti Antistitis inopinata morte effusae sunt lachrymae, maxime vero Vilnensium, apud quos toto fere vitae suae tempore vixit; vixit autem sanctissime, et promovendae Unioni unice erat necessarius, indefessus quidem in

¹⁴⁶ S. C. de Prop. Fide inter Cardinales sibi adscriptos totum subdividebat mundum convertendum et uniendum. Cfr. *Acta S. C. De Prop. Fide*, vol. I, diversis in locis.

¹⁴⁷ Cfr. sub nr. 66.

laboribus, in perterritus in periculis, faciebat tot et tanta, quae prudentia humana in praesenti rerum statu non suaderet; unde admirationi fuit omnibus. Licet ergo de tali homine a nobis corporaliter avulso communis omnium fuerit tristitia, tamen in promptu est magni gaudii occasio, martyrium eius gloriosum, quod animo forti subiit. Unde certi sumus quod plus pro Sancta Unione operabitur in coelis, quam operari potuisset in terris. Mihi certe in omnibus tribulationibus meis, quae frequentes sunt per gratiam Dei, ipse fuit unicum solamen et levamen; unde nunc tanquam turtur orba socio gemam in hac misera peregrinatione mea, exspectando horam, qua trahet me post se; et utinam dignus sim trahi tali fune, quali ipse tractus est!

Antequam tamen hoc fiet, mearum partium erat proponere Eminentiae Vestrae et simul commendare haec duo. Primo, ut quamprimum Seminarium in Russia perducatur ad finem, et committatur Domino Nuntio Apostolico hic residenti, ut convocet nos Episcopos, et exigat a nobis annuam contributio nem pro eodem Seminario; dabunt alii libenter, alii reverenter. Secundo, Sua Sanctitas, seu Congr. Sacra de Propag. Fide scribere dignetur ad Serenissimum Regem nostrum, ut Pseudo Metropolitam et Episcopos eiusdem farinae, ante biennium¹⁴⁸ contra nos legitimos Episcopos, contra iura divina et humana ordinatos, auctoritate sua regia submovere dignetur; ab illis enim veniunt istae populorum seditiones, sacerdotum, immo et Episcoporum mortes. Quod reliquum est, Deus Opt. Max. E.V. Ecclesiae Sanctae ac reipublicae christiana servet diutissime incolumem.

Novogrodeci, 27 Januarii 1624.

(Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Kioviensis totiusque Russiae¹⁴⁹).

43.

Novogrodek, 30 . I . 1624

Gratias agunt de beneficiis Ecclesiae Unitae datis, et vitam suam offerunt Episcopi pro Ecclesia Catholica.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 301, 308v.

SUSZA J., *Cursus vitae...*, pag. 156-157.

KULCZYNSKI Icn., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, pag. 235-236.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. I, Nr. 6, pag. 313, et imago luce expressa.
WELYKYJ A. G., *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, pag. 19-20.

Ill.mi ac Reverendissimi Domini,
Domini et antistites sacrae Congregationis de propaganda fide.

Oceasio tam funesta atque vix unquam audita caedis Deo dilecti Fratris nostri Josaphat Archiepiscopi Polocensis, quam Schismatici in virum vere sanctum ob hoc unicum, quod primatum Sanctae Sedis Apostolicae ac proinde fidem catholicam defenderit semper strenue, ausu nefario perpetrarunt id effecit, ut ad Reverendissimum Josephum Metropolitanum Nostrum Kiovien-

¹⁴⁸ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, Roma 1953.

¹⁴⁹ Secundum modum Metropolitae solitum hic eius nomen adiecimus, etiamsi in copia, quae prostat, non iam habetur.

sem et totius Russiae Novogrodecum, ubi sedes ipsius est, in communi negotio promovendae Sanctae Unionis conveneremus omnes; a quo quia multas easque maximas ab hac Sancta Congregatione de propaganda fide, praesertim vero nunc nobis undique afflictis praestari audivimus, aequum id esse duximus ut gratos nos tantorum vel per litteras saltem declararemus beneficiorum, quae quandoquidem tanta sunt, ut nos ad maiora etiam quam nunc passi fuerimus pro nomine Christi et fide catholica preferenda stimulent; maius gratitudinis signum erga hanc Sanctam Congregationem de propaganda fide exhiberi non possumus quam vitam nostram cum sanguine, prout iam unus ex nobis profudit pro fide catholica, profundere paratissimos nos offerentes. Vos tantum, Patres Illustrissimi, per Deum, cuius honorem defendimus, obsereramus, prout coepistis pergite, et nobis sub onere gementibus, si non collabentibus, manum auxilii submittite, collapsas res nostras in hoc Ritu, qui quondam, eheu, tanta sanctitate et doctrina resplenduit, erigite. Quod reliquum est, Deus Optimus Maximus Ill.mas Dominationes Vestras conservet in annos plurimos pro gloria sua sancta, et incremento Ecclesiae Catholicae.

Datum Novogrodeci, 30 Januarii, Anno 1624.

Ill.marum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum humiles servitores¹⁵⁰
 Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae (mp).
 Joachimus Morochowskij, Ep.pus Vlodimiren. et Brestensis (mp).
 Athanasius Pakosta, Ep.pus Chelmensis et Belzensis (mp).
 Hieremias Poczapowski, Ep.pus Lueorien. et Ostrogen. (mp).
 Anastasius Sielawa, Ep.pus Polocensis, Vitebsensis (mp).
 Gregorius Michalowicz, Ep.pus Turoviensis, Coadiutor Pinscen. (mp).
 (fol. 308v): Sacrae et Illustrissimae Congregationi de propaganda fide
 Dominis nostris colendissimis. (sigilla 6)

44.

Byten, 11 . II . 1624

Metropolita Josephus Rutskyj Praefectum S. C. de Prop. Fide ulterius certiorem facit de vindicta Regis in parricidas Vitebsenses sumpta, deque universali terrore non Unitorum.

APF., *Script. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 302rv.
 SUSZA J., *Cursus vitae...*, pag. 159.

KULCZYSKI IGN., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, ed. J. Martinov, pag. 238.
 WELYKYJ A. G., *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, pag. 33-34.

Ill.me ac R.me Domine. D.ne Colendissime¹⁵¹.

Post occisum tam immani morte Archiepiscopum Polocensem nostrum, de quo alias Illmae ac R.mae D. V. fusius scripsi¹⁵², Serenissimus Rex noster motus indignitate rei, ut averteret ab universo Regno iustum vindictam Dei de

¹⁵⁰ Publici facimus hic etiam iuris epistolas, quas subscrispit tota Hierarchia Ruthena, praeante Metropolita.

¹⁵¹ Praefecto S. C. de Prop. Fide, Ludovico Ludovisi.

¹⁵² Cfr. Supra, nr. 41.

effuso sanguine episcopali misit Commissarios ad illam civitatem, tanto scelere obstrictam. Qui habentes secum satis validum praesidium in equitatu et pedestri, timebatur enim periculum a Cosacis, ad quos pro patrocinio confugerat illa Civitas, et promissum ipsi est, Commissarii illi usi celeritate et dexteritate triduo Iudicium et executionem peregerunt; Consules duos civitatis illius et 18 cum illis capite truncarunt, bona ipsorum fisco adiudicarunt; 100 alios circiter, qui ante adventum Commissariorum in diversa profugerunt, capite damnarunt et proscripterunt, bona ipsorum itidem fisco cesserunt, Privilegia Regum Poloniae ab antiquo huic civitati data abstulerunt¹⁵³, et Praetorium, omnibus evidentibus, et magis hoc damnum quam decolationem tot Concivium suorum deflentibus, diruerunt, Campanas quaecunque contra Episcopum pulsantes fuerunt, ab omnibus ecclesijs, etiamsi sint Unitorum, abstulerunt, duas Synagogas Schismaticorum disiecerunt. Ulteriores poenas arbitrio Regis reliquerunt. Magnus hinc terror invasit omnes Schismaticos, et intelligere coeperrunt, quod quando Senatores iussa Regia exequi nobis non movent illos tenores potentiae Cosacorum.

P. Adrianum, Monachum Rutenum Collegii Graeci Alumnum¹⁵⁴, quem phtysis multum, ut audimus, debilitavit ne ab illa consumatur, etiam atque etiam humilime rogo, ut Collegium Graecum ad nos quamprimum transmittat. Sumptus quoescunque impendet sancte promitto me persoluturum. Alius etiam, nomine Raphaël, finivit iam Theologiam. Misera etiam duos Monachos itidem, qui succederent in loca impsorum, et illi Viaticum duobus illis ferebant, sed medio anno quaerentes transitum per Poloniam, Silesiam, Moraviam, Austriam, propter pestem et tumultus bellicos, invenire non potuerunt, et sic in Decembri ad me redierunt. Ill.mae ac R.Mae D.V. mea humillima obsequia etiam atque etiam commendo.

E Monasterio Bitenensi, 11 Februarii, 1624.

Ill.mae ac R.mae D.V. humillimus et indignus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

45.

Vilna, 6 . V . 1624

De Seminario in Russia erigendo nec non de Archiepiscopatu Smolenscensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 283rv.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Per famulos Ill.mi Palatini Vilnensis tanquam tabellarios certos mitto fasciculum litterarum ad Ill.mam ac Rev.mam D. Vestram scriptarum; inventi praeterea litteras a Ill.mo Domino Ingoli, Secretario Sanctae Congregationis de propaganda fide in meo fasciculo, et legi putans exemplar esse ad me transmissum cum aliis exemplaribus diversarum litterarum ad Serenissimum Regem

¹⁵³ Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, pag. 264-281, ubi invenitur Decretum Commissoriale Vitepsense.

¹⁵⁴ Hadrianus Podbereskyj. Cfr. notam 94.

nostrum et ad aliquot Rev.mos huius Regni Episcopos et Duces Zbarascios a Sua Sanctitate scriptarum; postea tamen transmittendum esse Ill.mae ac Rev.mae D.V. iudicavi; arbitror nam ad ipsam pertinere. Nunc quaecumque scribuntur in negotio transitus Rhutenorum ad Ritum Latinum scribuntur, quod per Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram ut mihi scribitur per universum Regnum hoc publicari debet, pro quo et ego meas humiles preces, ut fiat quam primum, interpono. Multa nam revera cum magna iniuria Sanctae Unionis in hoc genere patiebamur, nec audiebamur et si angelicis linguis loqui vellemus.

De Seminario in Russia erigendo expectantur in Urbe litterae Ill.mae ac Rev.mae D.V. informationis de loco Seminarii et de subsidiis quae ex hoc Regno sperari possent. Utrumque horum pridem iam significavi Ill.mae ac Rev.mae D.V., locum nominavi Vilnam, sed mallem ut nobis concedant eligere locum, nunc vero nullum nominare. De subsidiis, praeter ea quae scripsi et per Monachos S. Basilii, quos Octobri praeterito consulto in hoc negotio miseram ad Ill.mam ac Rev.mam D.V. indicavi, ista occurunt: sunt aliquot et pingua beneficia quae a Ducibus ab Ostrog fundata erant, nunc autem a haeredibus qui omnes sunt Catholici ablata, quae ipsi haeredes pro diversis fundationibus Ritus Latini convertere volunt, sed si hoc pro Seminario Rhuteno totum quod est convertant, non unum sed duo essent et quidem numerosa Seminaria, unum in Lituaina, alterum in Volinia, quod ipsi facient eo promptius, quod a Sua Sanctitate emanabit Decretum, quod nulla beneficia Ritus Graeci possunt applicari Ritui Latino; etiam praeterea si Brevia Pontificia erunt ad illos. In quibus orationibus Ill.ma ac Rev.ma D.V. Suam Sanctitatem informare dignetur etiam atque etiam rogo.

Quod autem litterae romanae non eito ad manus Ill.mae ac Rev.mae D.V. nunc pervenient ista causa fuit, quod cum ipsis expectabatur adventus meus Vilnam. De aliis scribam alias. Nun mea obsequia Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillime offero.

Vilnae, 6 Maii, anno 1624.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. addictissimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

(P.S.) Litteras ad Fratres meos Collegii Graecorum in Urbe Alumnos scribo, humillime rogo ut secure transmittantur.

De Episcopatu nostro Smolensensi, rogo Serenissimo Regi nostro Ill.ma ac Rev.ma D.V. revocare in memoriam dignetur quousque permittet vacare, det illi quem tam ipsi quam Ill.mae ac Rev.mae D.V. suggessi, P. Leoni Revuschi, Archimandritae Smolensensi¹⁵⁵. Si non vult huic, proponat alium, qui non sit ex Monachis nostris, quibus offenduntur Moschovitae, proponat talem qui iam est sexagenarius, pius, doctus, vocatur autem Theodorus Mielesco¹⁵⁶, agit concessionarem Vladimiriensem, amantissimum pluribus Moschovitis.

¹⁵⁵ Leo Laurentius Krevza-Rzhevskyj, Alumnus Romanus, dein Archiepiscopus Smolensensis (1625-1639).

¹⁵⁶ Theodorus Melesko, qui postea promotus fuit ad Sedem Chelmensem (1626), sed ipso die consecrationis obiit.

46.

(Vilna), 6 . V . 1624

Tractatus Metropolitae Rutskyj cum Episcopis non Unitis de unione, et de miraculis a S. Josaphat patratis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 308rv (copia).
WELYKYJ A. G., *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, pag. 45-6 (pars).

De Unione cum Schismaticis Episcopis tractatus Metropolitae Russiae.
Litterae Metropolitae totius Russiae ad Ruthenos Collegii Graecorum
Alumnos, de data Vilnae, 6 Maii 1624¹⁵⁷.

Significo vobis, quod nondum significare volebam, sicuti enim ista peraguntur hic. Sanguis Martyris nostri operari coepit in adamantinis cordibus Schismaticorum, ut mollescere incipient. Fui Novogrodeci, nec habebam animum venire Vilnam. Scholam enim pro Clero saeculari in mea Curia Archiepiscopali, ut scripsi in aliis literis, aperire his ipsis diebus designavi. Et ecce venit Nuncius ab Unitis Vilnensibus, per quem duo primarii Cives Schismatice me invitant Vilnam et dicunt se habere iam cointelligentiam cum 13 aliis, et volunt uniri non tantum ipsis, sed volunt (sunt enim tantae authoritatis) totam communitatem Vilnensem, et haec est primaria inter Schismaticos, secum ad idem inducere. Veni ergo, relicta familia et oneribus Ruta, et maneo hic iam ab octiduo et fere amplius coepimus habere cum ipsis colloquia, nondum tamen immediate per nos ipsos, devenimus ad hoc ut ipsi mittent pro Pseudo Episcopis suis Smotricio et Borecio¹⁵⁸ Chioviam, volunt etiam ut et nos mittemus, et hodie, vel ad summum eras, duos Patres nostros iterum expedimus. Dicite ergo hoc Ill.mo Domino Protectori nostro, dicite tamen ut secretum, quia ista initium tantum sumpserunt, media utrinque proponi debent. Jam declararunt se omnes articulos fidei credere, quos proponit credendos Ecclesia Catholica. Tota difficultas remanet de Patriarcha Constantinopolitano, cui mordicus adhaerent, et volunt ut inveniamus modum, ut ipsi et sint Uniti S.R.E. et obedientiam praestent suo Patriarchae; devenit tandem eo, ut etiam obedientiam non curent Patriarchae, tantum ut honor ipsi aliquis exhibeat, ut aliquid speciosum pro plebe inveniatur in honorem Patriarchae, quo plebs tacite ad Unionem trahi possit. Nunc ergo discedam Novogrodecum post absolutam Processionem nostram Pentecostes; expectabo adventum illorum Pseudo Episcoporum, qui prope Vilnam in aliquo loco subsistere debebunt. Vilnam enim venire non permittemus, et tunc ego quoque eo veniam, Deo adiuvante, quicquid concludemus, hoc ad S. Congregationem discutiendum mittemus. Interesset plurimum, si Patriarcham Constantinopolitanum a partibus nostris haberemus. Si per hanc viam Unio concluderetur,

¹⁵⁷ Podbereskyj-Korsak. Cfr. notam 94, 97. Hi etiam munere quasi Procuratorum Ecclesiae unitae in Urbe fungebantur, donec officium hoc tandem creatum fuit (1626).

¹⁵⁸ Hiob Boreckyj consecratus fuit in Metropolitam Kiovensem non unitum, et Melletius Smotryckyj in Archiepiscopum Polocensem non unitum. Ambo habebant certam inclinationem ad uniendam totam Ucrainam et Bielarusjam. Solummodo Smotryckyj Ecclesiae Catholicae nomen dedit, Boreckyj vero, ut plurimum, impeditus fuit in suis conaminibus a Cosacis.

apertissimo miraculo (nulla enim humana praecessit dispositio) tribuendum erit.

S. Pater Noster Josaphat¹⁵⁹ sicut ferventer operabatur in terris ita videamus potenter operari incipit in Coelis; ex parte nostra tantum timemus, ut digni simus et demeritis nostris non averteremus misericordiam Dei, quam abundantanter effundere parat in agrum nostrum sterilem. Ipsi laus et honor, nobis autem confusio Desideremus vehementer si Sua Sanctitas (f. 308v) declararet ipsum esse Martyrem, prouti S. Stanislaus declaratus fuit Martyr¹⁶⁰ et a Catholico Rege ac proinde non pro fide occisus sit. Iste autem noster Martyr pro fide catholica pure occubuit et pro S.R.E. confessione omnium Schismatistarum, qui fatentur se eum hoc motivo occidisse. Orate Omnipotentem ad Corpora SS.m Apostolorum, obeat alteruter vestrum, qui valentior est, septem Urbis ecclesias, commendent D.no Deo hoc et alia similia nostra negotia, etc. ...

47.

(*Vilna*), 7 . V . 1624

De loco et interna ordinatione Seminarii Ruthenorum ergendi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 229rv, 230v.

De loco Seminarii Ruthenorum.

Ex Litteris Metropolitae Russiae ad Rhutenos Collegii Graecorum Alumnos; de data 7 Maii 1624.

Locum Seminarii nominavi Vilnam penes ecclesiam Cathedralem, quae anno superiori pulchre instructa est, et iam pervenit ad perfectionem. Nunc tamen occurrit mihi Minscum. Cum enim Seminaristas nostros docere linguam latinam debeant, melius est habere Minisci, ubi non est Collegium PP. Jesuitarum, ut statim omnes, et si non omnes Scholae at saltem plures incipiant. Et si Seminarium erit numerosum facile omnes Scholas illas implebit. Et melius est in uno loco perfectum quid facere, quando erunt redditus quam distrahi ad multa, et ibi iam perfectae Scholas cum distinctione illarum tam graecae quam latinae operirentur a nobis. Si enim distincta essent Seminaria, non habebimus tot personas quae praesideant huic et illi Seminario, his et illis scholis. Pro tribus Scholis etiam nunc haberemur iuventutem ex Nobilibus; et aliquam de facto habemus Novogrodeci et Minsci, qui rogant, et aliqui magnarum familiarum non pauci, quibus spem tantum summi Seminarii facio, et non accepto. Vilnae autem vel in alio loco posset esse schola, quae iam modo incipit Novogrodeci, in qua mane lingua vulgari leguntur Controversiae, tempore pomeridiano casus conscientiae. Ut autem magis speciosum sit, acceptus est a nobis S. Damascenus Selavonicus, et leguntur qua-

¹⁵⁹ Josaphat Kuncewycz, Vitebsci an. 1623 occisus pro defensione Primatus Romani. Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

¹⁶⁰ S. Stanislaus, Episcopus, catalogo Sanctorum adscriptus adhuc anno 1253, ab Innocentio PP. IV.

tuor libri de Fide Orthodoxa, in quibus non tantum controversiae omnes legi possunt, dando annotationes ad textum, sed etiam tota Summa Theologiae S. Th. Et habemus tot terminos sclavonicos, ut nihil opus sit mendicare ab aliis libris. Illi ergo qui sunt maturiores et studere non possunt, latine audient ista. Et tunc videbunt Rutheni, quod veri simus Rutheni, linguam nostram ornamus. Quando scribetur Bulla erectionis Seminarii Ruthenororum, advertite, quaeso, ut amplissime scribatur, hoc est ut non tantum ii qui actu sunt Ritus Graeci, sed qui nati sunt ex Parentibus Ritus Graeci, vel baptisati in Ritu Graeco, etsi Parentes latini offerant ultiro filios suos. Obligatio autem apponatur talis, qualis est in Collegio Graeco Romae; iuramentum scilicet quod praestare debet quilibet.

(f. 230v): Instructio pro Seminario Ruthenororum.

48.

(*Novogrodek*), 19 . VI . 1624

De Seminario erigendo et de spe fructuum, qui ex eo provenire possunt.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 176rv.

Sanetissime ac Beatissime Pater. Domine Clementissime.

Unio Sancta apud Rhutenos ob liberum pro libitu ex Ritu Graeco ad Latinum trasitu marcerescere iam caeperat, ea nunc refloruit, oportuno B.V. prohibente tales transitum edicto; quo nomine nos Sanctae Unionis cultores multum nos debere B. Vestrae profitemur, accedunt plures gratiae. Seminarium ad multiplicandos et perficiendos Operarios idoneos pro Rhutenis autoritati B. Vestrae a Sancta Congregatione de Propaganda Fide promissum, ex quo certum maledicti Schismatis interitum et Sanctissimae Unionis in amplas Provincias Magno Duci Moschoviae subiectas et alias multas tam in Europa quam in Asia diversorum Principum ditiones Schismate infectas felicem ingressum nobis et tibi, Supreme Pastor Ovium Christi, nisi auxilio divino, pollicemur. Ut igitur hoc Seminarium quam primum desideratum sortiatur effectum ad pedes Beatissimos Vestros prostrati humillime obsecramus. Non sine profundo consilio Providentia Divina B. Vestram ad Summum Apostolatus apicem evexit, nisi ut qui magnas partes Orbis Christiani Schismate pereuntis miserias probe noverat, dum Collegio Graecorum praesidebat, eisdem succurreret in sublimi Pastoris Universalis Throno constituta. A qua pastorealem, paternam et Apostolicam benedictionem, cum humillima subiectione, pro me et universa nostra Russia etiam atque etiam flagito.

(*Retro, in alia littera, ad Protector. Russiae, est data: Novogrodeci, Junii 19, An. 1624*).

49.

Novogrodek, 19 . VI . 1624

Protectionem Sanctae Sedis implorat, et in specie ut Seminarium erigatur.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 184, 187v.

Ill.mi ac Rev.mi Domini, Antistites Sanctae Congregationis de propaganda fide. Domini Colendissimi.

Quam divinum inventum et Reipublicae Christianae salutare, sint Seminaria, melius Ill.mae ac Rev.mae D. V. concipiunt, quam ego verbis explicare potero; unde et nostra misera Russia in numerum aliarum nationum, quae ex liberalitate Summorum Pontificum de facto et a multis annis gaudent tali beneficio, a Saneta et Deo accepta Congregatione vestra de propaganda fide ex singulari gratia connumerata est, pro quo eidem nos immortales gratias agimus et offerimus omnes labores et conatus nostros, vitam denique ipsam ad propagandam sanctam fidem catholicam, cuius vos zelatores et primi motores estis, Ill.mi ac Rev.mi Domini, Sanctae Congregationis de propaganda fide Antistites. Obsecramus ergo ut eodem quo coepit zelo hoc negotium ad finem exoptatum deducatis, certo vobis presuadentes, censem hunc Seminario Rhuteno ex liberalitate vestra applicandum utiliter vos locaturos et cum magno fenore, Deo bene propitio, durante etiam hac vita recepturos. Deus Opt. Max. omnia desideria, consilia et opera Sanctae Congregationis de propaganda fide secundet, tribuat ipsi secundum cor ipsius et omne consilium eius confirmet. Impreat Dominus omnes petitiones eius . . ., ut scilicet per universum Orbem in una ac eadem fide catholica, licet diversis linguis et caeremoniis, invocetur et glorificetur augustissimum nomen Domini, sub regimine unius Pastoris, ab ipso Domino super universas oves eius constituti. Amen.

Novogrodecii, Junii 19, Anno 1624.

III.marum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus servitor et apud Deum exorator

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(fol. 187v): Sacrae et Ill.mae Congregationi de propaganda fide Dominis nostris colendissimis.

50.

Novogrodek, 19 . VI . 1624

Protectori Moscoviae et Valachiae de Seminario in Russia erigendo.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 327, 330v.

Ill.me av Rev.me Domine. Domine Colendissime¹⁶¹.

Significarunt mihi Fratres nostri, Monachi Rhuteni Ord. S. Basilii, Collegii Graecorum Alumni¹⁶², Ill.mam ac Rev.mam D.V. ad auxilium nostrum

¹⁶¹ Cardinalis Zollern Fridericus, Germanus, nom. Cardinalis die 11.I.1621, tit. S. Laurentii in Panisperna. Obiit extra Curiam Romanam, die 19.IX.1625. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 14, nr. 54.

¹⁶² Podbereskyj-Korsak. Cfr. notam 94 et 97.

divinitus esse vocatam; licet nam in patrocinium suum nominatum suscipere dignata sit Moschoviam, Valachiam et Moldaviam tamen quia illae nationes eadem officia divina et omnia ad cultum divinum pertinentia habent, quae et nos, et eadem lingua, quae est antiqua slavonica et nusquam amplius est in usu communi, nisi in libris remansit, quibus iisdem, nec unum iota mutando, utuntur ipsi nobiscum, propterea patrocinium quod ipsis impenditur Rhutenis quoque impendi arbitramur. Gaudeo igitur vehementer dum ista audio, et certissimam spem habeo ingentis boni in Christianitate. Gratulor Ill.mae ac Rev.mae D.V., quod per ipsam hoc bonum Deus agere disposuerit. Me autem et omnes nostros in obsequium Ill.mae ac Rev.mae D.V. ad tale opus offero, in quantum paucitas operariorum permittet, si praesertim erigetur pro pro illis nationibus Seminarium, quod nostro Rhuteno Seminario coniungi cuperem propter multas rationes, quas si Ill.ma ac Rev.ma D.V. necessarium iudicabit, suggesterent iidem Fratres nostri. Prius ergo erigatur et stabiliatur Seminarium Rhutenorum, in quo nos iuvare dignetur Ill.ma ac Rev.ma D.V., tamquam in tali re, quae dispositio debet esse Seminarii illarum etiam nationum. Quo citius faciet hoc S. Congregatio de propaganda fide, eo citius uberem fructum liberalitatis sua percipient, Deo aiuvante, eius est dare incrementum, nostrum autem tantum plantare et rigare. Deus Opt. Max. Ill.mam ac Rev.mam D.V. Ecclesiae sua S. ac Reipublicae Christianae in columem conservet diutissime.

Novogrodeci, 19 Junii 1624.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(Fol. 330v): Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Cardinali Zoller. Domino meo Colendissimo. Romam.

(Protector Valachiae)

(*Sigil. et notae Secretarii*)

51.

Novogrodek, 19 . VI . 1624

*De fructibus ex Seminario Rutheno sperandis, deque tractatibus cum non
Unitis de unione ecclesiastica.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 183, 188.

III.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime¹⁶³.

Post acceptas ab Ill.ma ac Rev.ma D.V. litteras, de data 5 Junii, anno superiori, misi Informationem per duos Patres Ordinis S. Basilii ad Ill.mum Nuntium Apostolicum de subsidiis, quae a nobis et hic in Regno haberi possunt pro erigendo Seminario Rhuteno; forte ista non sunt transmissa ad Suam Sanctitatem. Nunc quae de novo venerunt in mentem annotavi, unum exemplar Ill.mae ac Rev.mae D.V., alterum Ill.mo Nuntio Apostolico mitto subveni contributionem ab Episcopis nostris, hoc tamen ultimo et suaviter esse debebit. Et quia nihil scio hucusque de successu huius Seminarii, iterum nunc seribo

¹⁶³ Octavius Bandini, Protector Russiae. Cfr. notam 134.

ad Ill.mam ac Rev.mam D.V., non quod opus habeat ſuggestione mea, cui hoc cordi eſſe probe inlelligo, ſed ut dederem deſiderium meum et magnam neceſſitatem, ut hoc Seminariuſ conſtituantur quamprimum. Inter alias conſiderationes non eſſe contemnenda et iſta. Induciae cum Moſchis exſpirant poſt aliquos annos¹⁶⁴. Princeps Poloniae Vladislaus¹⁶⁵, electus ante ab omnibus Ordinibus Imperii Moſchovitici in Dominum ipſorum, iſtū ſtatiuſ pro iure ſuo reperere armis Imperiuſ ſibi debitum conabitur. Certi autem ſumus, quod Regnuſ universuſ iuvabit illuſ, in quo habet iam promiſſionem ſibi factam in Comitiis Regni generalibus, ſcripto expreſſam. Unde, nixi auxilio diuino, ſperamus iſum totam Moſchoviam occupaturum, et tunc nobis neceſſarium erit habere multas perſonas iam paratas ad Miſſiones in Moſchoviam. Principiuſ autem quod ordinarie fervere ſolet, magni eſt faciendum; quando Princeps catholicuſ occupabit Moſchoviam utraque manu amplectetur tales operarios. Propterea conabimur ad tale Seminariuſ ſuſcipere Moſchos, et ſi non venient, ſicuti non venient, conquerere filios illoruſ Moſchorum, qui poſt praeterita bella manſerunt hic in Regno, curabimus, quos in fide catholicuſ, pietate et litteris inſtructos adiungemus. Magna et valde copioſa ibi ſperanda eſt ſegeſ, quocirca veheſenter maturandum videtur negotiuſ.

De tractatibus, quos caepimus cum Schismaticis ut veniant ad Unionem, et de inclinatione ipſorum, ne Ill.mae ac Rev.mae D.V. ſim moleſtus enarrando hiſ ipſis litteris, oretenus referendum Fratribus meis Collegii Graeci Alumnis committo. Mitto alios quattuor, qui cum aliis meis litteris praefenſtabunt ſe Ill.mae ac Rev.mae D.V. Deus Opt. Max. Ill.mam ac Rev.mam D.V. Eccleſiae ſuae S.ac Reipublicae Christianae incolumem ſervet diutissime.

Novogrodeci, 19 Junij, Anno 1624.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillimus ſervitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(Fol. 118): Ill.mo ac Rev.mo Domino. Domino Octavio Bandino. S.R.E. Cardinali ampliſſimo. Domino Colendissimo.

52.

Novogrodek, 26 . VI . 1624

Barberino Antonio, Ordinis Cappucinorum, commendentur res Ruthenorum, et in ſpecie Seminariuſ.

APF, Scritt. rif. n. Congreg. gen., vol. 337, fol. 251 (copia).

Adm. R.nde D.ne¹⁶⁶.

Ordo Seraphicus S. Franciſci plurimos ardentis amore Dei et proximi viros produxit; e quibus Paternitatē Vestrā Adm. R.ndam unum eſſe a

¹⁶⁴ Pax Divilinensis de die 11-XII-1618. Electus in Czarum Moſcoviae iam inde ab anno 1610, ſed ob patriſ oppositionem Moſcoviam non fuit miſſus.

¹⁶⁵ Vladislaus Waza, filius Sigismundi III, Regis Poloniae et Svetiae. Dein et ipſe Rex Poloniae (1632-1648).

¹⁶⁶ Antonius Barberini, ſenior, frater Urbani VIII, et deinceps Cardinalis S. Onuphrii, nom. die 7-X-1624. Membrum Ordinis Cappucinorum, Praefectus S. C. de Prop. Fide; Eccleſiae Unitae multum favebat, cui etiam eccleſiam in Urbe cum ſitu et aedibus adiacentibus procuravit, pro Hospitio. Obiti die 11-IX-1646. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 19, nr. 2.

multis accepi: Velle ergo ipsi materiam probere exercendi maioris charitatis. Miseriae Rhutenorum unitorum multae sunt; a Schismaticis et Haereticis potenter oppugnamur, a Catholicis in hoc Regno non tantum saecularibus sed etiam ecclesiasticis non defendimur, imo quandoque opprimimur. Ipsi per nos ad resistendum debiles sumus; solo auxilio divino et gratia Sumorum Pontificum steterunt res nostra. Sed quia Deus vult, ut humana quoque adiumenta ad opus eius rite peragendum quaeramus, ea Sacrae Congregationi de Propaganda Fide iam proposuimus, et ab ipsa benignum responsum accepimus. Hoc tantum restat, ut executioni mandetur: Seminariu scilicet Rhutenorum ut erigatur prout promissum est a Sacra Congregatione, in quo nos iuvari a Paternitate Vestra Adm. R.nda tam apud Suam Sanctitatem, quam apud Ill.mos D.nos huius Sacrae Congregationis Praepositos sumopere rogamus. Magnum meritum apud divinam Maiestatem obtinebit, et nos magno beneficio afficiet Paternitas V. Adm. R.nda, cuius SS.mis Orationibus me et necessitates Ecclesiarum nostrarum commendo ...

53.

Novogrodek, 26 . VI . 1624

*Idem commendatur Cardinali Francisco Barberini.*APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 251rv.Ill.me ac R.ndme D.ne D.ne Colendissime¹⁶⁷.

Postquam intellexi Ill.mam ac Rndmam D.V. a S.mo D.N. ad participationem plenitudinis potestatis eius, et curae universalis Ecclesiae Dei vocata esse, mei erat muneric de tanta dignitate gratulari, et meam meorumque intimam subiectionem Ill.mae ac Rndmae D.V. contestari. Notum ergo sit Ill.mae ac Rndmae D.V. nos, licet in his ad Urbe remotissimis septentrionis regionibus constituti maneamus, observantia tamen et devotione et affectu filiali erga Sanctam Sedem Apostolicem, et eum qui ex ordinatione divina in illa sedet, nulli ex iis, qui prope Urbem vel in illa sunt, cedere velle. Et tales nos semper, Deo adiuvate, experietur re ipsa Ill.ma ac Rnd.ma D.V. Suscipere ergo nos, et negotia nostra in patrocinum suum dignetur. Nunc vero in particulari hoc petimus, ut adiuvante et pro nobis intercedente Ill.ma ac Rnd.ma D.V. Sacra Congregatio de Propaganda Fide id quod instinetu divino facere proposuit, ad effectum deduci faciat. Seminariu scilicet Rhutenorum hie in Russia ex liberalitate ipsius incipiat ad propagandam fidem catholicam, et exaltationem Sedis Apostolicae inter Schismaticos Ritus Graeci, denique ad exstirpandum schisma, ut sit unum Ovile et unus Pastor, quod in his nostris partibus brevi, Deo propitio adveniente tali subsidio futurum speramus. Deus Opt. Max. Ill.mam ac Rnd.mam D.V. Ecclesiae suaee Sanctae et Reip. Christianae faelicem conservet diutissime, etiam atque etiam precamur.

¹⁶⁷ Cardinali Francisco Barberini, nom. 2-X-1623; nepos Urbani PP. VIII. Obiit in Curia Romana die 10-XII-1679. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 18, nr. 1.

54.

Novogrodek, 26 . VI . 1624

Idem commendatur Cardinali Cosmo de Torres, olim Nuntio Varsaviensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 251v.

Ill.me ac Rnd.me Domine¹⁶⁸.

Eundem animum erga nostras Ill.mam ac Rnd.mam D.V. habere nunc quem habuit antea, multis indicis nobis compertum est; quocirca sicut nostrates ex Regno Pol. libenter et confidenter in negotiis suis ad Ill.mam ac Rnd.mam D.V. accurrunt, idem faciam et ergo, non in aliqua privata necessitate mea, sed in negocio communi totius Ecclesiae, ut scilicet a Sacra Congregatione de propaganda fide obtineam hoc, quod iam benigne promissum est, Seminarium scilicet pro Rhutenis in hoc Regno, quod Fratres mei Monachi Rhuteni Ord. S. Basilii fusius enarrabunt Ill.mae ac Rnd.mae D.V. Quam ut Deus Opt. Max. Ecclesiae suae Sanctae ac Reip. Christianae incolumen conservet quam diutissime, etiam atque eiam precor.

55.

Novogrodek, 26 . VI . 1624

Francisco Ingoli, Secretario S. C. de Prop. Fide, eadem commendatur negotia Ecclesiae Unitae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.* vol. 337, fol. 251v-252.

Rnd.me Domine¹⁶⁹.

Notus est mihi affectus Rnd.mae D.V., quo fertur in res nostras, et diligentia in expediendis rebus nostris; unde hoc veniat facile quivis colligere potest: non aliunde scilicet, nisi ex amore Dei. Ego mihi vehementer gratulor, quod Rnd.am D.V. in hoc officio Sacrae Congregationis esse intelligo; Deus Opt. Max. retribuat sua amplissima benedictione. Ego certe nihil in me invenio quo aequivaleam (f. 252) reddere Rnd.mae D.V. possim. Prohibitionem transitus Unitorum de Ritu Graeco ad Latinum desiderarem habere formatam in Bulla vel adminimum in forma Brevis; ut hoc ex gratia Rnd.mae D.V. obtineam etiam atque etiam rogo¹⁷⁰. Reliquum Fratres mei, Monachi S. Basilii ... referent Rd.mae D.V. cui ut Deut Opt. Max. tribuat vitam longam, omni genere bonorum cumulatam, iterum atque iterum precor.

¹⁶⁸ Cosmo de Torres, olim Nuntio Varsaviensi (1621-1622), nunc iam Cardinali tit. S. Panceratii, a die 5-IX-1622. Obiit in Curia Rom. die 1-V-1642. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 16, nr. 8.

¹⁶⁹ Secretario S. C. de Prop. Fide, Francisco Ingoli (1622-1649). Unus maxime de Ecclesia Unitae omnium temporum benemeritus.

¹⁷⁰ Urbanus PP. VIII edidit tantummodo Decretum de non transitu. Cfr. *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, Romae 1952, pag. 16, nr. 9, sub datum 7-II-1624.

56.

*Novogrodek, 26 . VI . 1624**Idem commendatur Confessario Summi Pontificis.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 252 (copia).Adm. R.nde Domine¹⁷¹.

R.ndam Paternitatem Vestram multis seriis occupationibus distentam esse probe intelligo, tamen mihi etiam benignas aures daturam nihil ambigo. Unio Rhutenorum cum Sancta Romana E. in hoc Regno gratiis et auxilio Suae Sanctitatis plurimum indiget; quae habuit, Deo sit laus, hucusque ut et imposterum habeat una cum aliis zelatoribus gratiae divinae apud Suam Sanctitatem efficiat R.nda P.V.; verbum unum oportune dictum multum efficiet; habet autem R.da P.V. multas oportunas occasiones, dum fungitur apud Suam Sanctitatem officio Confessarii. Et apud Ill.mos Dominos S. Congregationis de Propaganda Fide Antistites, a quibus promissum est nobis Rhutenis Seminarium, ut ad effectum veniet rogamus iuvet nos R.da P.V. Deus Opt. Max., pro cuius gratia ista faciet, retribuet ipsi. Interim Ss. Sacrificiis et orationibus devotis R.ndae P.V. me et necessitates Ecclesiae nostrae commendo plurimum, etc. ...

57.

*Novogrodek, 26 . VI . 1624**Protectori Collegii Graecorum Card. Boncompagni, de Alumnis ruthenis in Collegio recipiendis.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 252rv.Ill.me ac Rnd.me Domine. D.ne Colendissime¹⁷².

Mitto quinque Fratres Ord. S. Basilii Monachos, duos Praesbiteros, duos Diaconos et unum Clericum¹⁷³; praeterea unum insignem iuvenem, non tantum quia est mihi ex sorore Nepos, sed quia eodem tendit, quo et illi Monachi; studet excellenter, praeterea bonae indolis, optimae, in summa, expectationis; ut ex gratia Ill.mae ac Rev.mae D.V. ad Collegium Graecorum in numerum Alumnorum accipientur etiam atque etiam rogo. Hucusque propter tumultus bellicos mittere non potui, et propterea uti non potuimus gratia Suae

¹⁷¹ Non nobis constat de nomine confessoris Urbani PP. VIII.¹⁷² Franciscus Boncompagni, nepos Gregorii PP. XV, Romanus, nom Cardinalis tit. S. Angeli in Foro Piscium, die 19-VI-1621. Obiit die 9-XII-1641. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 16, nr. 4.¹⁷³ Alexius Dubovyc Clericus, Andreas-Kvasninskyj, Pachomius Oranskyj, Sacerdotes, ingressi die 8-X-1624; Alii tres fortasse tantummodo anno 1626 in Collegium admissi sunt: Tyszkiewicz, Kopec, Losovskyj. Cfr. *TABULARIUM COLL. GRAECORUM DE URBE*, vol. 14.

Sanctitatis, quae liberaliter nobis Rhutenis pro sex personis in Collegio Graecorum locum assignavit. Utinam ipsi nobiscum simul hoc beneficium Sanetae Ecclesiae si non condigne, quod non possunt, saltem congrue rependat, prompte faciendo hoc quod S. Ecclesia a nobis requirit. Illam ac Rnd.mam D.V. Deus Opt. Max. felicem incolumem conservet diutissime etiam atque etiam praecor.

Novogrodeco, Junii 26, 1624.

* * *

(f. 252): Copie di lettere scritte dal Metropolita di Russia: Alli Cardd. Protettor di Valachia, Torres, S. Honofri, Barbarino, Al Secretario della Congregatione de Propaganda Fide, Al Confessor del Papa: Per il Seminario Rutheno, et al Card. Boncompagni acciò riceva li Alunni che manda al Collegio Greco.

58.

(*Nvogrodek*), I . VII . 1624

Informatio de statu Ecclesiae Unitate et de mediis eam adiuvandi.

ASV, *Archivum Nuntiaturae Varsaviensis*, vol. 98, fol. 20-21.

Velaminus Metropolita de Statu Russiae Dominum Monti,
Sacrae Congregationis P.F. Iudicem informat, 1 Jul. 1624.

Rutheni sive Russi¹⁷⁴ vastissimo tractu in longum latumque sese extendent, multosque non Principatus solum, et Ducatus, sed et Regna sub se habebant olim. Et etiamnum nomine Russiae, non modo censemur Podolia, Volinia, et triplex Russia, Alba, Nigra, et Rubra (ab habitu indigenarum, maxime plebis sic dictae) sed etiam ipsum Imperium Moschoviticum. Unde nunc Russiae totius Provinceiae partim subjacent Magno Moscoviae Duci et omnes sunt schysmaticae, partim Serenissimo Regi Poloniae, et maiori ex parte sunt unitae cum S. Romana Ecclesia et ad obedientiam Sanetae Sedis Apostolicae receptae a fel. mem. Clemente VIII, Pontif. Max., dum habito in Russia omnium Episcoporum Synodo¹⁷⁵, et in hoc unum conspirantibus omnium animis, Romam sunt missi Hippatius Vlodimiriensis et Cyrillus Luceoensis Episcopi¹⁷⁶, qui nomine sui Metropolitae, et aliorum suorum Coepiscoporum totius Russiae, publicam detulerunt obedientiam Sedi Apostolicae in Consistorio publico in Sala Constantiniana¹⁷⁷. De quo Baronius in addit. ad tom. 7. et novissime P. Thomas a Jesu Carmelita Discalceatus¹⁷⁸,

¹⁷⁴ Metropolita hic ambo nomina per modum unius sumit, bene distinguendo a Moscovitis. Moscovia tunc temporis cum nomine Russia nihil habebat commune.

¹⁷⁵ Synodi habebantur inde ab anno 1590. Ultima locum habuit mense Iunio 1595, qua in Synodo documentum obedientiae et conditiones ab omnibus partem in Synodo habentibus subscriptae fuerunt.

¹⁷⁶ Hypatius Potij, et Cyrillus Terleckyj.

¹⁷⁷ Die 23 Decembris 1595. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, anno 1595, et praesertim Bullam Unionis de data 23-XII-1595: *Magnus Dominus*.

¹⁷⁸ Cfr. supra, sub nr. 2. Baronius vero in tomo VII, *Annalium Ecclesiasticorum*, in *Appendice*.

in opere: De procuranda salute omnium Gentium, lib. 6, par. 3, et alii. Atque ita nunc Rutheni Episcopi 7, cum octavo totius Russiae Metropolitanano, Archiepiscopo inquam Kioviensi, singulis tribus annis Summo Pontifici obedientiam deferunt.

Tota vero Russia, includens etiam Moschoviam, subjacebat olim in spiritualibus cum omnibus suis Episcopis dicto Archiepiscopo Kioviensi a tempore quo Fidem Christianam receperunt usque ad Concilium Florentinum, in quo Isidorus, Metropolita Russiae¹⁷⁹, creatus Cardinalis simul cum Besarione Graeco, cum rediisset Unitus iam cum Sancta Romana Ecclesia, a Moschovitis occisus est. De quo Boterus in suis Relationibus Universalibus, lib. 1, v. Russia. *Episcoporum vero Ruthenorum Regi Poloniae subiectorum Dioeceses tam longe lateque diffunduntur, ut praeter Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, et Monasteria, quae inibi sunt frequentissima, octo millia Parochiarum sub se complectantur.* Tanta enim est vastitas Russiae, ut sola per se contineat tot animas Ritus Graeci, quot in universo Regno Poloniae sunt animae Ritus Latini. Quod spectat ad propagationem fidei catholicae in Russia, tale Deus Opt. Max. incrementum illi dedit his 20 annis, ut fere 30 civitates sint cum S. R. Ecclesia unitae. At inter alias insigniores, *Vilna*, Metropolis Magni Ducatus Lituaniae, nullum admittit ad Senatum civitatis, nisi Catholicum, nullum item ad Sodalitates Civium, et Artificum, nisi qui probatus fuerit unitus cum S. Romana Ecclesia; *Novogrodecum*, Metropolis Russiae Nigrae, idem omnino strictissime observat. Et praeterea, quoniam ibidem nulla sit alia Religio, praeterquam Monachi Rutheni S. Basilii, hi Religiosi Scholas publicas tenent pro iuventute in pietate et studiis formanda, magno bono illius Regionis. *Luceoria*, Metropolis Volinia, ubi residet Episcopus Luceoriensis Ruthenus catholicus, sensim sine sensu Schysma deponit. Idem dicendum est de *Halicia*, Metropoli Podoliae. Idem brevi, Deo iuvante, sperandum de *Kijovia*, Metropoli Russiae Albae, et *Leopoli*, Metropoli Russiae Rubrae. Ut interim taceam Vlodimiriam, Chelman, Polociam, Premisliam, Pinscum, quae civitates sunt Residentiae priorum Episcoporum, nempe Episcopi Vlodimirien, Chelman, Polocen, Premislien, Pinscen, qui omnes Episcopi Viri catholicissimi sunt, et nuperime ad S. Congregationem de Propaganda Fide literas communes scripserunt, et subscripserunt. Magni momenti sane est habere sana capita Ecclesiae. Dicti Episcopi, ita Archiepiscopo Kijo viensi suo Metropolitanu subordinantur, ut hic solus a Sanctissimo Domino Nostro confirmari debeat. Reliquos vero Episcopos primo ipse proponit Serenissimo Regi Poloniae, tanquam Jus Patronatus in omnia Bona Ecclesiastica habenti; deinde ab eodem approbatione accepta, consecrat eosdem sine ulla dependentia in hoc a Romana Curia. Ex confirmatione Privilegiorum Ecclesiae Ruthenae, facta a felicis memoriae Clemente VIII, Clerus Ruthenorum sicut et totius Russiae R. Graeci honoratior sunt Monachi S. Basilii, quia etiam soli ad omnes dignitates ecclesiasticas maiores assumuntur. Sacerdotes sunt coniugati et hac de causa ex antiquissima Ecclesiae Orientalis consuetudine a maioribus Ecclesiae Praelaturis excluduntur. Tales Monachi in Russia uniti cum S. Romana Ecclesia iam sunt in bono numero, 20 et

¹⁷⁹ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 113, nr. 65: *Laetentur caeli*, Bulla Unionis, cui etiam Isidorus subscrispsit.

amplius occupant Monasteria. Non recipiunt illi antiquiores Monachos licentiori vitae asuefactos, sed novos Religiosos conquirunt, qui sunt tabulae rasaæ, in quibus inscribi possit quodlibet, etiamsi diutius Operarii expectari debeant. Scholas tenet pro iuventutis institutione. Controversias publice suis Unitis saecularibus legunt, Verbo Dei et Sacramentis pascunt populos etc. Horum exemplo inductus Clerus saecularis in simplicitate sua sequitur suos Episcopos, veniunt ad Synodos, quae quotannis celebrantur, ab Episcopis consecrantur, per Parochias, *per ecclesias Cathedrales, et Collegiatas locantur.* Chrisma accipiunt, Visitationibus subiacent Episcoporum. Ex statu denique saeculari Senatores Regni sunt tres Rutheni Catholici, unus Palatinus, duo Castellani; Schismatici autem nec unum ex suis in Senatu habent. Nec deest Nobilitas, et quidem ex primariis, quos brevitatis causa omittimus.

Media vero quibus Russia iuvari possit optime persequitur praesens Russiae Metropolita in libello ad S. Congregationem de Propaganda Fide directo¹⁸⁰. Et quoniam praecipuum illius libelli punctum est de *Seminario* pro Ruthenis erigendo non abs re hic verba ipsa ex illo sunt referenda. Sic igitur dicit: Paucitas idoneorum Operariorum in Clero saeculari premit nos vehementer, eoque magis, quod novam nobis obtulit Messem Dominus messis, Ducatum scilicet Smolencensem et Severiae, nuper a Moschis recuperatum. Et reliqua libelli illius, usque ad illa verba: porrigite ergo nobis auxiliatrices manus vestras, qui aliunde auxilium post Deum habere non possumus; deinde haec quae sequuntur: praedictae enim nationes omnes per nullum Latinorum ex schysmate ad unitatem fidei catholicae converti poterunt, nec modo possunt, nisi per Ruthenos unitos, magnam quippe a Latinis habent aversionem, et similius facilior transmutatio est, quam dissimilium. Porro Rutheni, ut dictum est, cum omnibus illis communem et in paucis differentem linguam habent vulgarem; libros autem et linguam literalem, qua Sacra peraguntur, caerimonias denique omnes easdem et in nullo differentes.

Utilitates dicti Seminarii istae sunt. Introducetur per istos Seminaristas *Clerus saecularis caelebs*, quod a plurimis non modo annis, sed saeculis in Ritu Graeco auditum non est, et tamen a multis desideratum est, et nunc ab ipsismet Ruthenis, Unitis praesertim, unice in votis habetur. Successu temporis res procedet ultra, ut habeamus etiam *Clericos Religiosos*, quod nec cogitatum est forte umquam in Ritu Graeco. Non tamen propterea timenda est aliqua difficultas. Multa enim a nobis tempore Unionis facta sunt, quae primo vehementer a Schismaticis improbabantur, nunc autem probantur. Immo ipsi apud se idem facere caeperunt. Idem fieret de Clericis religiosis. Quanto autem bono fidei catholicae id fieret, dieci vix potest. *Isti Clerici non coniugati taliter formati collocarentur a nobis in omnibus Episcopatibus nostris penes ecclesias Cathedrales*, per civitates et Collegiatas, per oppida, quia maiores communiter habent provisiones et commoditates, quam aliorum nostrorum Parochorum. Ex his essent *Visitatores* ecclesiarum per villas, et Sacerdotum in illis. Magnum hinc profecto accederet Sanctae Unioni stabilimentum, et ornamentum. Hinc mitterentur Scholarum Magistri per particulaaria loca Russiae ad instruendam iuventutem in litteris simul pietate et fide, quod praestarent ipsi comodissime et suavissime ratione status sui. Ibi parati

¹⁸⁰ Agitur, ut videtur, de amplissima relatione Metropolitae de impedimentis Unionis. Cfr. infra, sub nr. 65.

essent Sacerdotes quin petuntur a diversis Dominis, petuntur autem in dies, cum quibus facilius tunc transigi posset de meliorandis fundationibus, si viderent digniores quam fuerunt ante. Ex eiusdem Seminarii Alumnis implerentur Monasteria Monachis bonis et plurima alia bona ex tali institutione Alumnorum in omnes partes Russiae possent emanare. Unde certissime promittere possumus, quod brevi tempore per hoc medium ruet schysma in universo Regno, quilibet enim ex Dominis concedet libenter tales satius in bonis suis habere Sacerdotes, quam quales habent modo, et meliorabuntur provisiones. Quid ergo restat aliud, quam ut ad effectum perducatur?

Hoc ipsum vero ut assequamur, ad pedes Vestras, Cardinales Amplissimi, provoluti, supplices oramus verbis, quae ex abundantia cordis procedunt; et verbis non nostris, sed S. Patris nostri Basillii, quibus in simili necessitate scribens ex sua Graecia ad Episcopos Italiae et Galliae utebatur: Porrigite manum in genua depressis, commoveantur erga nos fraterna vestra viscera, profundantur commiserationis lachrymae, dimidium Orbis errori immersum nolite contemnere, ne feratis ut fides apud eos extinguatur, apud quos primum eluxit. Sic Basilius. Et primum quidem apud Ruthenos eluxit fides catholica¹⁸¹ non schysmatica per viros catholicissimos, Methodium et Cyrillum. Qui nobis ex lingua graeca in nostram nativam transtulerunt Liturgiam, et totum Divinum Officium, et ipsi primi Romae in S. Petro Missam nostram Ruthenam celebrarunt; ad quorum instantiam lingua sclavonica a SS. Pontifice Adriano hoc Privilegio donata est, ut in illa Sacrum Missae Officium, et aliae Laudes Divinae decantarentur. Totam hanc historiam fuse habemus descriptam in libris nostris ruthenis, et diem obitus horum Sanctorum celebramus, sicuti et Dioecesis Gnesnensis, et tota maior Polonia celebrat, et officium particulare S. Cyrillo, et Methodio recitat. Corpus dicti Sancti est conditum Romae in Ecclesia S. Clementis. Relati sunt in Martyrologium Romanum 9 Martii. Sunt et alia verba eiusdem S. Patris in alia epistola, itidem ad Occidentales scripta vehementer, et ista accomodata praesenti petitioni nostrae: obsecramus, ut vel nunc tandem manum Orientalibus porrigatis Ecclesiis, quae iam velut in genua depressae inclinantur. Ita alloquebatur Antecessores Vestros Pater noster, et obtinuit, quod petiit. Obtineamus et nos, filii eius, cum ore Patris nostri alloquimur vos: Vos zelatores fidei catholicae, Vos Columnae Sanctae Ecclesiae, Vos Lumina Christianitatis. Ecce in manibus vestris stabilimentum Unionis, et interitus schysmatis. Jam igitur sicuti oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri in manibus vestris, videntes reposita esse talia nostra bona in illis, speramus illa benignitate vestra infallibiliter nos accepturos. Hactenus verba dicti libelli¹⁸².

(Ex compendio Epistolarum Velamini in Struniae asservato, Nr. 87, Litt. D).

¹⁸¹ Cfr. I. NAHAJEVSKYJ, *De doctrina christiana a SS. Cyrillo et Methodio in Rusj. Ucrainam invecta*, Romae 1954 (in lingua ucrainica).

¹⁸² Relatio Rutskyj. Cfr. sub nr. 65.

59.

Varsavia, 16 . IX . 1624

De Seminario Rutheno erigendo, nec non de aliis negotiis quamplurimis, spectantibus Ecclesiam Unitam.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 178-179.

Carissimi in Christo Fratres¹⁸³.

Accipiendo toties litteras a vobis quod Sacra Congregatio de propaganda fide expectet informationem a Nuntio Apostolico et hucusque non habet illam, proinde nec concluditur negotium erectionis Seminarii in Russia, post tot litteras ad Ill.mum Nuntium scriptas a me, ipse accinxii me viae Varsaviam, unde has litteras seribo, ubi ista perfeci, quod hac ipsa septimana vult scribere Nuntius Apostolicus ad Ill.mum Cardinalem Bandinum, informando de Seminario Rhuteno, ut initium fiat a Sacra Congregatione. Rationes autem hae sunt: quia nostri homines tractant res Unionis tamquam alienas proindeque frigide et sic initium hinc sumendum non est; ubi autem id exceperit Sua Sanctitas et Sacra Congregatio, ob sola reverentia personae Suae Sanctitatis et liberalitatis ipsius incitabuntur ad auxilia. Secundo: post factum initium a se, Sua Sanctitas cum maiori sanctitate et efficacia potest obtinere ab his, qui tenent beneficia rhutena, ut restituant ea et applicent Seminario, quae annotata per Fratres misi vobis¹⁸⁴. Tertio: auxilia illa quae obtulimus ad foundationem Seminarii non cito erunt in nostra potestate, Seminarium autem statim erigi debet, ut Unio promoveatur, alioquin, si protrahetur fundatio Seminarii, timendum est, ne annihilentur omnia; exemplo potest esse Seminarium a Clemente Octavo promissum et ferme iam datum, quod postea evanuit. Initium autem tale debet scribere Nuntius Apostolicus, ut semel detur summa pro qua possint emi bona et iam habemus parata sub Mensco, quae vendit iuvenis ille Holowczynski; summa autem debet nominari quindecim millium scutorum. Scio quod dicent se malle quovis anno certam quotam mittere, sed contra expedit Sacrae Congregationi semel dare hanc summam, ut in aeternum non cogitet de alio auxilio. Exemplo sint Seminarium Vilnense et Brunsbergense, pro quibus a prima istorum Seminiorum erectione dedit Sedes Apostolica centum circiter millia scutorum et tamen nonnisi mille scutos pro singulis his duobus Seminariis expendit Sua Sanctitas. Si autem ab initio dati fuissent vingt millia scuta, emerentur bona stabilia ex quibus haberent congruam sustentationem Alumni horum Seminiorum. Octoginta vero scutorum remanerent in thesauro Ecclesiae. Ex parte etiam nostra vel potius ex parte utraque difficilis transmissio (f. 178v). Neque tam bene procedit regimen dum expectatur subsidium, quam cum est in manu. Multae difficultates occurrunt in transmissione, non venit pecunia suo tempore, unde nec provisio potest fieri suo tempore, et postea etiamsi veniet pecunia duplicato precio debent emi singula, quando non suo tempore emuntur. Frumentum enim si in autumno non eme-

¹⁸³ Podbereskyj-Korsak. Cfr. notam 94, 97.

¹⁸⁴ Cfr. notam 173.

tur, duplum postea in vere erit necessarium. Sciunt de hoc Patres Jesuitae, qui regunt haec Seminaria, et habent difficultatem. Maiorem autem habemus nos, quia ipsi habent sua Collegia per omnia loca et suas cointelligen-
tias cum illis, quae nos non habemus; ista autem bona videntur esse talia, ut possint expectari decem pro centum, accedente modica industria circa rem familiarem et hoc proposuit ipse Episcopus Vilnensis. Ego nondum scribo ad Ill.mum Cardinalem Bandinum, et ad alios ad quos vultis ut scribam; scribam Deo dante post tres septimanas. Tres nostri iam transierunt Posnaniam, ituri per Lipsiam, forte etiam per Pragam, sed boni viri nihil scripserunt ad me. Si ita facient, Romae erunt ac si non essent. Fusius postea scribam ad vos ad omnia puncta literarum vestrarum, ut nihil maneat intactum; nunc tantum hoc scribo quod in praesentia urget.

Accepi litteras a Reverendo Patre Rectore Collegii vestri, de data 25 Julii, in quibus scribit Patrem Adrianum¹⁸⁵ incidisse de novo in pristinam infirmitatem et medicorum esse communem sententiam, ut redeat domum, nec esse sperandam aliam medicinam Romae, nisi certam mortem; obsecro, Carissimi mei, nolite tentare Dominum Deum. Accingite vos quam primum viae; licet autem non missum sit viaticum nisi pro uno, possetis tamen procurare modum reditus et quidquid expendetis hoc ego libenter refundam illi, qui subministrabit pecuniam, etiamsi negotia infecta relinquatis. Vir fugiens pugnabit iterum, qui autem cadit in bello, iacet, non pugnat amplius. Quocirca diligenter hoc vobis inculco et iniungo, non faciatis aliter. Frater Thimotheus adiunxit se quintum ad alios quattuor, cum tamen assignatus fuerit Potulinski, opto quidem ei locum, sed salvo honore et loco pro Potulinski. Reliqua scribam postea. Deo Opt. Max. vos commendo.

Datum Varsaviae, 16 Septembbris, Anno 1624.

Vestrī amantissimus

Josephus Archiepiscopus (mp)

(fol. 179): Inquisitio mortis S. Martyris, ut scribitis, fiet; imago iam depicta est, et mittetur ante comitia Varsaviam ut inde Romam transmittatur; ego enim Comitiis non interero. Media iuvanda Moschoviae mittentur. Publicatio transitus vehementer impeditur, et forte faciemus ex parte nostra diligentiam, quae fieri potest. Transactionem de Patribus Carmelitis factam esse vehementer gaudeo¹⁸⁶; nihil hac de re dicatis etiam illis Fratribus nostris, qui iverunt ad vos. Quia et hic nemo adhuc scit ex nostris et vos primo venire debetis sine illis Patribus et ipsi postea veniant ad res paratas et ordinatas. Reliqua, quae scribitis, prius scripsimus et misimus ad vos, antequam a vobis scripta accepimus. De Coadiutore iam transeggi¹⁸⁷. De loco in Senatu pro nostris nihil dicendum est. Ferme enim, stantibus sic rebus, impossibile est. In reliquis omnibus, quae scribitis, informavi Nuntium Apostolicum hac mea profectione Varsaviam. Monasterium Smolenscense iam a nostris acceptatum est, et missus eo P. Leo¹⁸⁸ cum Patre Stephano, qui fuit Crasnobiae. Episcopatus Smolenseensis iam promissus est a Serenissimo; expectatur adventus Domini Gasiewski. De aliis alias perscripsi et sic ad omnia quae contineban-

¹⁸⁵ Hadrianus Podbereskyj. Cfr. notam 94.

¹⁸⁶ Cfr. *Epistolae Raphaelis Korsak*, sub nr. 3, pag. 22.

¹⁸⁷ Hunc obtinuit tantummodo anno 1631.

¹⁸⁸ Leo Kreuza, dein Archiepiscopus Smolencensis (1625-1639).

tur in omnibus litteris vestris respondi. Attendite quoque diligenter ad Principem nostrum Vladislaum, qui pro initio Anni Sancti erit Romae; ut illum animet Sua Sanctitas ad promovendam Unionem in Moschovia et me ipsi proponat pro operando, qui me libenter offeram Suae Sanctitati ed mediante ipsa Principi Vladislao, modo ille ipse hoc desideret a me, ut vocatus veniam et non me ipsum intrudam.

(fol. 179v): Charissimis in Christo Fratribus, Patri Adriano Podbereski et Raphaeli Korsak, Ord. S. Basilii, Alumnis Collegii Graecorum. Romam. Romae in Collegio Graeco (*sigil. et notae*).

60.

Novogrodek, I . X . 1624

De transitu ad Ritum Latinum, de bonis Archimandriae Kioviensis Pecarensis, et aliis, nec non de Synodis quadriennalibus et imagine S. Josaphat.

APF., *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 347rv.

Ill.me ac Rev.me Domine. D.ne Colendissime.

Illi duo Senatores, ad quos me remisit Serenissimus noster de transitu de Ritu Graeco ad Latinum, intellexerunt bene hoc negotium, et sunt a partibus nostris; R.mus scilicet D. Episcopus Vilnen. et D. Palatinus Vilnen., omnes, puto, male antea fuisse informatos sicut et ipsi erant, scilicet Schismaticis etiam Rhutenis non licere transire, in quo decepti sunt. Fusius ex illis Ill.ma ac R.ma D. V. in proxime futuris Comitiis intelliget, nihil ergo obstabit ad publicandum Decretum Suae Sanctitatis de dicto transitu, quod ut fiat quamprimum, tanquam Unioni rem apprime necessariam, Ill.mam et Rd.mam D. V. obnixe rogo.

Nunc novam rem Ill.mae ac Rev.mae D.V. significo. Archimandritam Piecerensem Chioviensem esse mortuum¹⁸⁹ 8 9bris, proinde Abbatiam illam, qua non tantum Abbatia ulla, sed nec ullus Episcopatus Rhutenus est opulentior vacare; Schismaticus illam tenebat. Nunc ergo animis nunc viribus opus est ut illam obtineamus. Est Bulla fel.mem. Clementis VIII, qui illam perpetuo adiunxit mensae metropolitae¹⁹⁰, sed hucusque ad effectum non est deductum, nec nunc forte deduci potest; satis erit pro nunc, ut aliquis Unitorum obtineat, cum quo facilior est modus agendi, ut det certam partem redditum pro Seminario, aliquid etiam, si videbitur Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae, re communicata cum Serenissimo, pro Metropolita. Reditus fere pertingunt ad 20 millia florenorum. Habent ipsi privilegium liberae electionis et scilicet non tantum Monachi, qui in electione postremas partes obtinent, eligant, sed etiam Senatores et Nobilitas istarum partium, et quidem Dux ab Ostrog¹⁹¹, Palatinus

¹⁸⁹ Hieliseus Pletheneykj (1550-1624).

¹⁹⁰ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 273, nr. 156, sub data 4.III.1956.

¹⁹¹ Constantinus Ostrožskyj (obijit an. 1608). Non obstantibus conaminibus Sanctae Sedis, usque ad mortem in oppositione contra Unionem Berestensem perduravit. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, Romae 1953, secundum *Indicem nominum et rerum*.

Chiovien., acerrimus hostis Unionis extorserat hoc a Rege in quibusdam Comitiis, initio Unionis, et tunc elegerunt ipsum Schismaticum, qui modo mortuus est; sed electiones tales Abbatum, et quidem in meliori forma, habent fere omnia Monasteria latina, et tamen quem Rex pro iure suo Patronatus a Sede Apostolica sibi concessso eligat et praesentat is consecratur in Abbatem, quanto magis id erit et esse poterit cum Schismaticis, apud quos iam nullus est Senator vel ex Nobilibus potentioribus. Sie igitur transeggi cum D. Palatino Vilnen. quem statim adii acceptandi et Nuntio, ad R.mum Episcopum Vilnen.¹⁹² eadem scripsi, ut Serenissimus iubeat Palatinum Chioviensem in Palatinatu Chioviensi omnia bona dicti Monasterii occupare, Palatinum autem Novogradensem hic in Lituania, donec designabit Abbatem; alios Officiales in aliis territoriis, in quibus illa bona constituta sunt, et post Comitia designabit Abbatem, quem ego nominavi per meas literas, quas nunc ad Suam Maiestatem scribo, P. Raphaelem Korsak¹⁹³, sufficientem quoad omnia, cuius avunculus est iudex terrestris Chiovien., homo non medioeris potentiae in illo Palatinatu. Cum hoc Patre nullo negocio conficiemus de dictis pensionibus qualescumque Ill.mae ac Rev.mae D. V. visum erit imponere. Urgeat ergo Ill.ma ac Rev.ma D. V. non tam apud Suam Maiestatem, quam apud R.mum Cancellarium Regni, sed is semper nobis est difficilis, vel apud Vicecancellarium Regni ad quos, ne videantur contemni, et ego scribo; etiam ad D. Vicecancellarium Lituaniae; de Sua Maiestate nihil dubito; scribit quoque D. Palatinus Vilnen., scribit et D. Episcopus Vilnen. et ipsi in Comitiis agent providendi Seminario Rhuteno, quaeso ne illam omittamus. Mittent pecuniam Schismatici, et quidem ingenitem, sed non committatur in Curia pientissimi Regis in Regno Catholicoe tale sacrilegium.

(f. 347v): Pergit Sacra Congregatio de Propaganda Fide examinare meam instructionem et decrevit de quadriennali Synodo a Metropolita et Episcopis Rhutenis celebranda; hoc decretum quandocumque libebit Ill.mae ac Rev.mae D. V. publicare licebit, nunc etiam in funere Sancti Martiris nostri 27 Januarii Polociae a nobis celebrando¹⁹⁴, vel postea.

De imagine eiusdem Martyris missa a me per Rev.mum Dominum Martianum Trisnam, Residentem in Cancellaria Lituaniae, an accepit Ill.ma ac Rev.ma D. V. cuperem scire, et quis modus esset transmittendi ipsam. Interim me meaque humillima obsequia Ill.mae ac R.mae D. V. etiam atque etiam commendabo.

Novogrodeci, 1. 10bris, 1624.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschii, Metrop.

¹⁹² Eustachius Wollowicz (1615-1630).

¹⁹³ Tunc temporis adhuc Romae commorabatur. Discessit e Collegio Graeco die 28.XII.1624.

¹⁹⁴ De hoc funere cfr. epistolam Raphaëlis Korsak, in vol. II, *Epistolarum Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, Romae 1956.

61.

(Novogrodek), 1624

De subsidiis pro Seminario Rutheno, et de modo recuperandi alia bona ecclesiastica Ecclesiae Unitae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 177-178.

Subsidia ex Regno Poloniae pro Seminario Rutheno.

Ab Episcopis latinis petenda non sunt, redderent enim nos, et quod magis est S. Unionem odiosam ipsis; favores autem ipsorum ad promovendam Unionem necessarii sunt. Ex beneficiis ergo Rhutenis ista subsidia quaerenda sunt. Beneficia Rhutena, quae possunt applicari Seminario Rhuteno.

1. Aliquot villae sub Ostrog, antiquitus fundatae pro Episcopatu Luceorieni Rhuteno, ablata a Duce ab Ostrog¹⁹⁵, Schismatico, initio Unionis eo animo, ut Episcopum Luceorien averteret ab Unione.

2. Fundatio Turoviensis. Bona pars Episcopatus Rhuteni Pinscen. per eundem eadem intentione ablata, post mortem autem Ducis ab Ostrog Schismatici successores ipsius, licet Catholici, non tantum non restituerunt ista Unitis, a quibus ab Antecessore ipsorum, ex odio Unionis, ablata fuerunt, sed etiam multas fundationes Rhutenis Schismaticis abstulerunt, qualia sunt:

3. Monasterium Dorohobus, aliquot pagos habens.

4. Foundationes aliquot ecclesiarum Ostrogiensium.

5. Fundatio scholae et hospitalis Ostrogiensis: Oppidum Suraz cum attinentiis.

6. Bona per Palatinum Vilnensem Chodkiewicium¹⁹⁶ sub Bychow Monasterio Pecerensi Chioviensi Schismaticorum erepta, et Canonicis Regularibus latinis data; a quibus nunc possidentur.

7. Monasterium Owruense, quod nunc recens occupavimus et pacifice possidemus.

8. Multa alia per Volhiniam et per alias partes Rhussiae Monasteria Rhutena ablata Schismaticis, quae tenent Domini catholici Ritus Latini, et utuntur ipsis tanquam patrimonialibus.

9. Alia Monasteria, quae sunt iuris Patronatus Regalis, post decesum modernorum possessorum pensionem, qualis imponetur, solvent.

10. Villa Tatarzynowce, quam Duces Zbarasci tenebant et nuper nobis etiam non rogantibus nec scientibus, quod ab Antecessore ipsorum fundata esset pro quadam ecclesia nostra, ex pietate sua restituerunt, et licet volunt ut applicetur ad Monasterium, quod ipsi fundare intendunt in bonis suis ducalibus Zbaraz, adduci tamen possunt, ut ad decennium applicetur Seminario, quam villam nos ipsi nunc possidemus.

11. A statu saeculari expectamus multa adiumenta, ubi viderint initium foundationis Seminarii, et Seminarium iam formatum, nunc autem nullus vult esse primus.

¹⁹⁵ Constantinus Ostrožskyj. Cfr. notam 191.

¹⁹⁶ Joannes Carolus Chodkiewicz, qui obiit anno 1621 apud Chotyn, in bello turcico.

12. In praesenti ab aliquot proceribus habemus nobis concessum, ut coloni ipsorum per Rhussiam solvant ex qualibet mensura agri, quam vulgo vocant Vlokam, unum grossum, quae contributio videtur valde exigua, et proinde contemnenda, sed ubi concedent Episcopi latini ex suis colonis per Rhussiam, qui sunt Ritus Graeci, in temporalibus autem ipsis subiecti... Item si Serenissimus Rex ex bonis mensae Regalis, et ex bonis Reipub. idem concedet, concessum autem et ipsum et Episcopos latinos certum, tanquam rem parvi momenti; ista minuta in unum collecta in magnam excrescent pecuniae summam.

Summa reddituum ex his omnibus decem millia florenorum polonicalium, exceptis his, quae sunt in spe, remaneat medietas pro oneribus illorum locorum, quae vix aliqua sunt, manebunt quinque millia florenorum adminimum pro Seminario.

Ista bona recuperari hoc modo possunt.

Imo: In spiritu lenitatis inducentur Possessores horum bonorum ad restitutionem, qui omnes fere sunt Catholici. Ducissa ab Ostrog, Palatina Volhnen-sis, est matrona pientissima; huius filiae tres, locatae primariis Senatoribus in matrimonium, possident ista bona, notata numero quinario, incipiendo ab uno ad quinque; scribatur ad ipsam Breve Apostolicum, explicetur ipsi per Confessarios, fiat (f. 177v) serupulus, ostendatur quod non possit istas fundationes, licet a Schismaticis factas, transferre in fundationes templorum, Collegiorum, Monasteriorum Ritus Latini, licet a Schismaticis olim fundata sint, quas fundationes pro Latinis ipsa facere intendit, det illa bona Unitis, specialiter autem pro Seminario ex quo pro bonis eiusdem quae in diversis partibus Rhussiae sunt amplissima possint prodire Ministri idonei ad inserviendum subditis ipsius, qui ferme omnes sunt Ritus Graeci. Quod ut ipsi persuadeatur, elegantur tales, qui non sint interessati, hoc est non ii quibus vult fundationes facere. Et ista multum potest apud filias suas, et apud generos. Eadem pia matrona parata erat praesenti Metropolitae, requisita ab ipso, facere unam fundationem in bonis suis Jaroslaviensibus, quam intentionem ipsius mutarunt nonnulli, ut facile credimus, Spirituales, dicentes Unionem esse rem rationis et non aliquid existens a parte rei, quod ipsa obiecit Religiosis a Metropolita missis pro perducenda ad finem hac fundatione. Intelligat tantum bene mentem Suae Sanctitatis, et quod istud opus erit valde meritorium, plurimum boni facere potest, tam per se, quam per filias suas.

Filiae sunt tres, una Palatina Vilnensis¹⁹⁷, cuius maritus nuper mortuus est, et nunc manet vidua, ad istam etiam posset esse Breve Apostolicum, modo confessarii non impellant. Secunda Palatina Chioviensis, cuius maritus Zamoyscius vivit¹⁹⁸, et iste similiter ferme omnia sua bona habet in diversis partibus Rhussiae, ita ut nec vigesimam partem subditorum suorum habeat Ritus Latini, et ad hunc scribatur Breve. Tertia est Coniunx Pocellatoris Regni Poloniae; alii qui rerum potiantur in Volhinia, et habent amplissimas possessiones, et multa Ruthenica Monasteria, quae quando volunt, et cui volunt pro arbitrio suo dant, sunt Duces Zaslavii; Parens est Palatinus Volhniensis, Fi-

¹⁹⁷ Anna Aloysia Ostrožska, filia Alexandri Ostrožskyj. Uxor Joannis Caroli Chodkiewicz, qui anno 1621 apud Chotyn obiit. Inde nominatur Palatina Vilnensis, quia Chodkiewicz erat Palatinus Vilnensis. Cfr. IGN. STEBELSKI, *Chronologia. Dodatek: Genealogia xiazat Ostrogskich*, Vilna 1783.

¹⁹⁸ Thomas Zamoyski, Cancellarius Poloniae (1635-1638).

lius Palatinus Braslaviensis, mittantur et ad hos Brevia¹⁹⁹; et cum Brevibus personae aliquae quae viva voce permoveant; ostendant illos tenere non posse bona ecclesiastica, etiamsi forte Schismatici tenuerint illa. Dicent non esse fundationes in scriptis, respondendum satis esse, quod ab immemorabili tempore possidebantur ista ab Ecclesiasticis; Rhutenos etiam in sua simplicitate manentes non requisiisse a suis fundatoribus fundationes in scriptis. Praestabat ea commodissime Patres Jesuitae, quando id serio demandabitur ipsis a Patre Generali ipsorum, modo nomine Suae Sanctitatis dicatur Patri Generali.

Sunt et alii aeque potentes Duces Zbarasczy; unus ipsorum Castellanus Cracoviensis; alter magister stabuli Regni Poloniae, uterque istorum frequenter solet esse in Italia. et cum Nunciis Apostolicis vivant familiariter, per eosdem Nuncios Apostolicos agi cum ipsis posset.

2do: Secundum medium paulo durius, quod tamen non feriat, sed terrorem solum incutiat; publicare scilicet excommunicationem, quae est in Jure, supra omnes occupantes vel possidentes bona ecclesiastica, sive Latini Ritus, sive Graeci, tam Unitorum quam Schismaticorum.

Utile quoque esset, si publicaretur quidquid ablatum est ab Ecclesiis Rhutenorum, post initium Unionis usque ad hoc tempus, esse restituendum Unitis.

Reliqua perficiet Ill.mus Nuncius Apostolicus in Regno residens, tam quae ad punctum nonum pertinent, quam quae ad undecimum et duodecimum. Aget scilicet tempore sibi oportuno cum Serenissimo Rege, cum Rnd.mis Episcopis Ritus Latini, qui in temporalibus subditos Rhutenos habent, et cum Magnatibus, habentibus subditos Ritus Graeci. Licet autem ista non sint de facto in manibus nostris, sed teneantur a malae fidei possessoribus, per media tamen superius commemorata recipi posse non dubitamus. Illa quae sunt in manibus nostris sunt tantum duo: Monasterium scilicet Ourucense, et villa Tatarzynowce, superius commemorata, quae duo faciunt quingentos florenos.

62.

(Novogrodek), 1624

De comparandis libris PP. Orientalium, de transitu ad Ritum Latinum, de Seminario, de recuperandis bonis ecclesiasticis, de tractatibus cum non Unitis, de uniendo Seminario Rutheno et Moscovitico, de modo et spe uniendi Moscoviam, de principe Vladislao, et aliis negotiis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 185-186.

Copia litterarum scriptarum Ruthenis Alumnis Collegii Graeci Urbis a Metrop. Russiae; videantur verba signata a tergo huius paginae.

Charissimi in Christo Fratres.

Hae literae, quae ibunt per Postam, nihil in se continent de Fratribus quos mitto; Fratri Raphaeli²⁰⁰, ut redeat, concedo, et mitto centum florenos; pro-

¹⁹⁹ In *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, Romae 1953, non inveniuntur.

²⁰⁰ Raphaël Korsak. Discessit e Collegio Graeco die 28.XII.1624.

curate tamen occasionem redeundi cum illis, qui redibunt ex iubileo, et pro illa pecunia emetis aliquod necessarium, quod vobis videbitur; iam habemus S. Basiliū, Nissenū, Joannem Chrysostomum graecolatinos, impressionis Parisiensis; Greg. Nazianzenum nondum habemus; dicitur etiam iam prodidisse S. Dyonisius Areopagitta in duobus tomis, forte prodiit etiam Damascenus, et si qui sunt... Ephrem eiusdem impressionis iam habemus, omnes omnino SS. Patres Graecos huius editionis Parisiensis vellemus habere, si inventaretis modum; potest autem inveniri Cracoviae per quem emamus istos libros nunc et imposterum, et procurare habere notata nomina illorum Patrum, qui iam ex illa editione prodierunt. Jam scripsi vobis de diversis personis, quae esse debent Romae pro iubilaeo ex hoc Regno, inter alios Princeps Vladislaus, etc. etc. Si potestis manere per integrum hyemem ibi et lucrari iubilaeum antequam redibitis ad nos, integrum erit vobis. Commendate Domino Deo illo tempore in illis locis s. omnes miserias et necessitates nostras, et ipsi assumite spem et accincti zelo gloriae divinae, venite ad nos. Ad literas vestras, quas ultimo scribitis, id ferme ad omnia respondi.

Publicatio prohibitionis transitus nondum est facta propter nescio qua verba ambigua, quae dicit Nuncius Apostolicus²⁰¹ esse in illa prohibitione; proinde ad corrigenda ista vel ad plenius explicanda dicit se misisse Romam et expectare responsum. Quisnam sit protector Collegii nostri nec semel mihi scripsistis.

Mitto literas primo ad Nuncium Apostolicum, ut si misit semel, mittat iterum instructionem quae nobis sit in favorem de Seminario Rhuteno; scripsi Rectorem, Praeceptores et alios curatores huius Seminarii debere esse Monachos S. Basilii; pro centum personis requiri quinque millia scutorum; locum antea designavi Vilnam, nunc proposui Minscum, ex eo quia civitas ista quae facile est prima post Vilnam, tota ferme est Rhutena, pauci in ea Latini, Scholae latinae nullae, ubi autem diversae sunt scholae a se independentes, solent esse contentiones, pugnae, et difficulter potest conservari charitas fraterna; Latini enim pro antiqua sua consuetudine depriment nostra, quae nos erigere volemus, et dum crescent res nostrae, putabunt sibi iniuriam fieri sicut experientia notum est, et ibi facile aperiremus omnes scholas, et converteretur ad nos iuventus ex toto illo tractu.

Scripsi etiam literas Romam quas desiderastis in literis vestris, quarum omnium literarum copias transmitto, et si priorum non omnium copias transmisi, inde id factum est, quod putabam vos iam esse in via secundum priores literas meas, dum periclitabatur valetudo vestra, quam, quaeso, diligenter curate. Pro Patribus Carmelitis solum curate, amplius nihil sufficiet hoc in praesentia, postea nos Deus iuvabit, quando crescat numerus. Quod instructio per partes distributa sit, placet mihi, et in reliquis omnibus quicquid e re nostra futuram putabis facite, saltem mihi significate, ut simus uniformes, prout et vos ipsi scribitis, ad quod attentus ero imposterum. Auxilia a Rhutenis pro Seminario etiam nunc misi, tentavi ab Episcopis nostris, valde moleste tulerunt; et revera satis gravati sumus; si tamen id exigetur a nobis faciemus, sed si ista omnia, quae ibi notavi, venient ad manus nostras, habemus numerosissimum Seminarium.

Necesse est ut (f. 185v.) prodeat Bulla vel Breve in quo contineatur quic-

²⁰¹ Joannes Franciscus Lancellotti (1622-1627).

quid interea temporis ablatum est a Rhutenis sive Unitis sive Schismaticis, id restituatur Unitis; statim enim ab initio publicatae Unionis Uniti caeperunt habere ius ad omnia bona ecclesiastica Schismaticorum, proinde quidquid ablatum est a Schismaticis, ablatum est ab Unitis, hi enim sunt veri et legitimi istorum honorum Domini, illi autem malae fidei possessores. Multa inveniremus ablata praeter quae ibi notavi.

In his ultimis Comitiis non fui; constituta enim erant ad unum actum bellii Tartaraei et Livonici, alia omnia exclusa fuerunt. Quod autem in aliis Comitiis, quae praecesserant, inter nos et Schismaticos actum est, forte iam pridem scripsi in aliis literis, inde noti vobis sunt tractatus cum Schismaticis, quorum tractatum summarium vobis mitto.

Coniunctionis Seminarii Moschovitici et Valachici cum nostro Rhuteno, rationes, si exquiret a vobis Ill.mus Protector illarum Provinciarum, hae veniunt in mentem: Prima, ex parte Operariorum, quarum paucitas est, et in illa paucitate plures Superiores, qui sint apti pro hoc officio, forte non invententur; unus autem facilius invenietur; item Praeceptorum scholae minor esset numerus et facile invenietur, ubi coniuncta erunt ista Seminaria; similiiter Repetitorum, Praefectorum cuiusvis camerae, Economorum, etc. etc. Et in summa: virtus unita fortior. Secundo, ex parte Alumnorum valde utile est ut istae nationes sint unitae et unirentur hoc modo sugendo ubera eiusdem matris, sub cura eiusdem Patris et quasi fratres germani; unde unio animorum speranda, communia consilia et auxilia, etiamsi in diversis Regionibus postea manendum erit, omnium erit cor unum et anima una. Tertio, ex parte sumptuum, norunt hoc Patres familias distinctas mensas, focos, domos, distinctam familiam maioribus indigere sumptibus. Quodsi in posterum dividi necesse erit, fieri potest quandocumque necessitas maioris boni et occasiones occurrentes requirent, et hoc semper erit in manibus Ill.mi Protectoris illarum Provinciarum. Erit necessaria renovatio indulgentiarum, sed ista per Fratres scribentur.

Unio in Moscovia facilis introducetur, quam hic in nostram Rhussiam introducta est, modo Deus Opt. Max. collocet in solio illius Imperii Principem Vladislaum, ab illis ipsis electum et acceptatum, in quo ille non deerit sibi; dixi faciliorem esse rationem, ibi enim est regimen despoticum, quidquid Princeps iubet, fit in universo Regno; apud nos autem summa libertas, ne dicam effrenata licentia, quivis sibi absolutus Dominus; modo sciatis agere cum Principe Vladislao per Ill.mum Protectorem Moscoviae, multa bona conficietis, et ut sciatis secretiora: ante annos aliquot rogavit ipse apud Paulum Quintum dispensari secum in Ritu, ut si Dominus Deus concederet ipsum ascendere Thronum Regni illius (tunc enim expeditionem parabat in Moscoviam, quae non successit, sed commissione terminata est, et Severia cum multis praesidiis ad centum milliaria polonica in longum cum triginta in latum iure perpetuo Regno accessit, tota autem Moscovia potitus non est) liceat ipsi esse Ritus Graeci uniti, id ipsi ferme negatum erat. O, si iterum proponeret hanc petitionem, facilis credo concederetur, propter tam immensum locum in Christianitate, et pro salute innumerabilium animarum. Ab illo tempore dictus Princeps caepit favere Schismaticis, licet non aperte, et nunc est in eodem statu²⁰². O, si vellet aliquis ibi rectificare ipsum com-

²⁰² Agitur de expeditione an. 1618 et de pace Divilinensi, qua Poloniae plurimae ceserunt regiones.

modissime posset, forte visitationem Cardinalium non faciet²⁰³, incognitus enim, ut putamus, volet esse; tamen Ill.mus Zoleren²⁰⁴ facile inveniet modos, ut cum ipso ineat familiaritatem. Bona est ista occasio, quae non omittatur, de quo alias scripsi vobis.

Ut Bulla formetur vel Breve prohibitionis transitus scripsi ad Dominum Secretarium Sacrae (f. 186) Congregationis de Propaganda Fide²⁰⁵, credo quod conficiet, vos in memoriam revocate; Bulla Unionis per Fratres mittitur, alia transmittet postea Frater Raphael²⁰⁶, melius recordabitur istorum quam ego, qui cum solus laborem et multis aliis distentus sim, indulgendum mihi est quod obliviscar.

Vita S. Martyris nostri typis editur ab Episcopo nostro Vlodimirensi, et Summo Pontifici dedicatur; credo quod valebit pro autentico testimonio; quod praeterea supererit necessarium, id conficiet, Deo dante, Frater Raphael, ubi redierit; sit ergo instructus quali Processu indiget haec res, quia et mea pensio Luceoriensis hucusque effectum non habuit; ille coram quo recognitionem fecit Episcopus Luceoriensis noster, Nuncius scilicet Diotallevius²⁰⁷, qui etiam expedire confirmationem huius pensionis debuit, mortuus est. Praesens Nuncius²⁰⁸ in actis non invenit; misi chirographum ipsius per Fratres nostros, illud deperditum est, postea obtinui literas ab Episcopo, dum fuit Novogrodeci, in quibus id recognoscit coram Nuncio Apostolico; misi per Patrem Leonem et Patrem Pachomium²⁰⁹, Nuncius dixit ut iurarent esse propriam manum illius Episcopi et modus iuramenti est applicatio manus ad pectus; recusarunt facere dicentes, se non cognoscere manum. Misit postea Nuncius formam qualiter debeat formari hoc scriptum et hoc nescio an inventetur quando erit necesse.

63.

(Novogrodek), 1624

Instructio de modo introducendi decretum Sacrae Congregationis de Prop. Fide, quo prohibetur transitus ad Ritum Latinum.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 227rv, 232v.

Quae Ill.mo Cardinali Bandino proponenda essent de transitu Rhutenorum ad Ritum Latinum²¹⁰.

1º. Dicendum ipsi quod Rex Poloniae uti piissimus et S.R.E. devotissimus nullo modo Decreto S.D.N. contradiceret, nisi haberet suos in hoc Consiliarios,

²⁰³ Princeps Vladislaus anno 1625 iter Romam fecit, ex occasione, ut videtur iubilaei. Hic Rutskyj insinuat characterem privatum huius peregrinationis.

²⁰⁴ Cardinalis Fridericus a Zollern, nom. 11.I-1621, qui tamen iam 19.IX-1625 extra Curiam Rom. obiit. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 14, 54.

²⁰⁵ Tunc temporis et postea dabatur sollemmodo Decretum eiusdem S. Congregationis, de data 7.II-1624.

²⁰⁶ Raphaël Korsak, qui die 28-XII-1624 in patriam Roma reverti iam accingebatur.

²⁰⁷ Franciscus Diotallevi (1614-1621).

²⁰⁸ Joannes Franc. Lancellotti (1622-1627).

²⁰⁹ Fortasse agitur de P. Leone Kreusa, et P. Pachomio Oranskyj, alumnis olim Romanis.

²¹⁰ Cardinalis Octavius Bandini tunc temporis, ut videtur, Russiam sibi commissam in sinu S. C. de Prop. Fide habuit.

privatis quibusdam utilitatibus studentes potius quam commune Ecclesiae bonum prae oculis habentes. Quod nemo magis consideret quam oculi mundi Roma, et tot Ecclesiae, tot Purpurati Patres cum ipso Summo Praesule boni communis Oecono. Consiliarii itaque sunt confessarii Aulae Regiae in Polonia, qui proponunt Regi hoc esse iniuriam Latinorum, eo quod consequatur aliquod Jesuitis detrimentum, cum tot personis pro sua Religione aptissimis privantur, tum per hoc decretum amplius Ruthenorum Ecclesiam sub onere gementem et Operariis destitutam, suis ipsis filiis spoliare probibentur, et ad suam Religionem selectissimos quosque in ingenio, nobilitate et divitiis trahere. Et sic piissimum Regem turbant, et se melius res intelligere quam Ill. mos Patres et tot Romae doctissimos, et ipsum S.D.N. temere praeseferunt. Neque enim credibile est hoc piissimum Regem facere suo instinctu et proprio motu qui primus est S. Unionis Rhutena author, sub quo primum Unio caepit, cuius expensis Episcopi Rhuteni Romam ad Clem. 8 fe.mem. venerunt, qui tot annis Unionem fideliter promovit, et hucusque fere solus Unitos acerrime defendit.

2. Quia numquam auditum est in Regno Poloniae, quod aliquis privatis alterius inductus persuasionibus Summi Pontif. decreto contradicere ausus fuerit. Unde providendum est ne forte hoc exemplo inducti alii Latini, alia itidem Pontifica decreta a Regis et regiorum confessariorum assensu dependere contendant. Admiratione sane dignum est quod nec etiam tempore Schismatis Reges Poloniae ordinationibus Patriarchalibus contradixerint. Ita ut cum Patriarcha Constantinopolit. Hieremias Archiepiscopo quodam Chioviensi edicto suo Patriarchali contradicente, in Regno Poloniae commorante, deposito alium a Rege confirmandum Metropolitam nominaret, Rex nullo modo regimini ecclesiastico sese immiscens, eundem nominatum confirmavit, et consecrare permisit. Nunc vero voluntati Summi Pastoris contravenitur. Hac igitur de causa consultum videretur, ut Sua Sanctitas scriberet Nuncio, ut omnino compescere curet talem audaciam Regemque turbantium temeritatem: Scilicet, dum parvus est hostis interficiendus est, ut nequitia elidatur in semine; omnemque lapidem movendum est, ut huic Decreto universaliter Rex consentiat; quo auditio caeterae nationes schismatico errori immersae tanquam in funiculis Adae, hoc S.R.E. amore in se suosque Ritus ad Primatum S. Petri trahentur.

3. Nec abs re esset si S.D.N. vocaret ad se P. Generalem Jesuitarum et diceret, ut scribat confessariis Regiis in Polonia, quatenus Serenissimum Regem inducere omnino conentur ad consentiendum illi Decreto universali. Cum sit non levus suspicio, quod ipsi in hoc consilium Regi suppeditaverint, Regi inquam piissimo, S. R. Sedi devotissimo, qui nunquam ulli Pontificiae contravenit voluntati (f. 227v). Inducant vero sine ulla prorsus mentione de hac Pontificis informatione, ne ipse Rex excusare illam apud Papam nitetur, et sic aliqua zizania superseminetur aut ipsi confessarii excusationibus, tergiversando, utentur. Neque prius hac suspicione liberandos fore quam cum consensus Regis primum Pontificium decretum in suo vigore permanere iubetur, ne Pontificia voluntas sine gravissimis causis revocari videatur. Nunquam enim, ut dictum est, in Regno Poloniae auditum quod contradiceretur edictis Rom. Pontificis. Neque huic contraveniretur a Rege devoto, nisi mali homines

bono semini malum non superseminarent. Quare pro sua pietate facile suis Patribus spiritualibus consentiet. Si P. Generalis pro sua prudentia se in hoc operam navare promiserit, operam, inquam, cautam prohibendo suis Patribus Jesuitis in Regno Poloniae ne hoc Regi insinuent, sed tamen ad Decretum illud approbandum inducant.

(f. 232v): Quae Ill.mo Card. Bandino proponenda essent de transitu Rhutenorum ad Ritum Latinum.

64.

(Novogrodek), 1624

Instructio pro Nuntio Poloniae de modo subveniendi Seminario Rutheno, nec non de transitu ad Ritum Latinum.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 228rv, 231v.

Quae Nuncio Poloniae²¹¹ scribenda essent de Seminario Rhutenorum.

1. Ut Nuncius Apostolicus agat cum successoribus Ducum ab Ostrog, tanquam ex voluntate S.mi Domini nostri, Patris Pauperum, et bonorum ecclesiae Ostrogiensis, quae Schismaticis abstulerunt, et Latinae Ecclesiae applicare volunt, medietatem applicant Seminario Rhutenorum, medietatem vero alteram restituant Episcopo Dioecesano Rhuteno, nempe Episcopo Luceorien-si²¹², ut scilicet ille provideat per dicta bona ornamento ecclesiae Cathedralis, et aliarum ecclesiarum Ostrogiensium, itemque hospitalis, scholarum, cantorum; ne scilicet (si nimirum omnia illa bona pro Seminario Rutheno destinarentur) Ecclesiae totius spolia sint unius sacelli, quod dicitur, ornamentum. Quod esset non tantum cum notabili scandalo, sed etiam cum insigni cultus divini minoratione. Nullus enim altari serviet, si ex altari vivere non poterit, ac proinde Nobiles illius civitatis tot loca pia et sancta summa cum iniuria vacare permetterentur, quod in odium Pastorum Ruthenorum cedere posset; et dicentes multi, illa bona in usum Pastorum ipsorum cessisse, et ecclesias turpiter derelictas esse. Non omnes quippe capient bona illa totaliter cessisse pro Seminario Ruthenorum. Praesertim cum in civitate etiam Ostrogiensi vel maxime oporteat S. Unionem propagari, tanquam in loco, pro Palatinatu Volhiniensi ex schimate ad S. Unionem reducendo, aptissimo et pro scholis per unitos Monachos instituendis peropportuno, etc.

2. Ut de hoc negotio quamprimum tractet, et S. Congregationi perscribat, ne scilicet praedicti haeredes opinione citius illa bona in usum Latinorum convertant, et sic iactetur melior conditio possidentis; licet Ecclesia Ruthena ad illa bona ius legitimum habere noscatur.

3. Ut de hac re et de aliis ad Seminarii erectionem spectantibus libere et sincere agat Ill.mus Nuncius cum Ill.mo Metropol. Intrinseca enim consilia experti mirum in modum iuvare poterunt.

²¹¹ Joanni Franc. Lancellotti (1622-1627).

²¹² Tunc temporis erat iam Hieremias Počapovskyj (1621-1636).

De transitu Rhutenorum ad Ritum Latinum.

1. Ut Nuncius Apostolicus agat serio cum confessariis Aulae Regiae, ut illi Regem inducant ad Decretum Summi Pontif. universaliter, etiam de Laycis, publicandum. Alias, insinuet, non evitatueros P. Jesuitas sinistram opinionem, quod illi se Decreto Summi Pontificis opposuerint, et supra ipsum suprasederi voluerint, suadentes Regi ut huic Decreto contradicat. Nimirum P. Jesuitae proprio ducti affectu sibi timent, quod per hunc transitum amplius Ruthenorum Ecclesiam sub onere gementem et Operariis destitutam, suis ipsis filiis spoliare prohibeantur, et ad suam Religionem magno damno S. Unionis trahere, trahere inquam persuasionibus et munusculis, quae adolescentes Rhuteni in scholis Societatis versantes maximi faciunt. Hoc tamen fiat per viam secretam, nullam de hoc Serenissimo Regi faciendo mentionem, et ne fiat mentio cavendo.

2. Ut idem Nuncius potenti sua persuasione idem Regi persuadeat, rationes explicet; atque ut hoc exactius facere possit, uberiorem de hoc puncto informationem a Metropolita Russiae accipiat; ea quae in contrarium audit eidem proponat, ut ille in conspectu omnium veritatem elucidet, et pro veritate in conspectu Regum loquatur.

(f. 228v): Neque enim hoc negotium quidquam Regi Regnoque affert detrimenti; immo maximum in Regem Poloniae affectum in Ruthenis excitat. Quomodo enim Rutheni non amabunt Regem, qui se suosque Ritus tantopere amare noscatur. Sane sicut schisma odit Papam falso autemans, quod velit tollere Ritum Graecum, quomodo non indignabitur Regi, quod apertissime in eius annihilationem conspiret. Praeterea Unio non magis Ruthenos S.R.E. fideles reddet hoc adiutore Decreto, quam Polonorum Latini Ritus amantes reddet. Facile scilicet amamus illos, a quibus nihil mali timemus; multa bona speramus. Denique Serenissimus Rex ipse primus est Sanctae huius Unionis author²¹³, sub quo primum tot annis illam fideliter promovit, et hucusque fere solus acerrime Unionem defendit. Ne igitur toto (ut aiunt) devorato bono in cauda deficiat. Hoc decretum S.D.N. editum puro affectu promoveniae S. Unionis in Rhutenis universaliter publicari faciat.

3. Ut idem Ill.mus Nuncius non publicet Decretum factum esse contra solos Ecclesiasticos ruthenorum; sed sicuti modo nihil determinate Varsaviae scitur, ita tantum illud Decretum dicto Metropolitae transmittat, sine ulla nec pro nec contra publica decisione. Ut scilicet hoc ipso non detur occasio suspicandi per unius Jesuitae consilium Pontificium abrogari decretum. (Neque enim credibile est, ut Serenissimus Sigismundus, utpote Rex piissimus et a Patribus Jesuitis tanquam ab oraculo dependens, motu proprio S. D. N. absolutae decisioni controveniat). Nec scandala in Ecclesia Ruthena maius maiusque in dies sumant incrementum. Crederent profecto imperfectiores de Laycis absolute contrariam esse S. D. N. voluntatem, et solummodo decipi a suis Pastoribus, fama iam ex aliqua parte sparsa: Papam Laycis etiam transitum prohibuisse²¹⁴.

(f. 231v): Quae Ill.mo Nuncio Poloniae scribenda essent de Seminario Ruthenorum et de transitu eorumdem ad Ritum Latinum.

²¹³ Sigismundus III (1587-1632). Unio vero locum habuit an. 1595-1596.

²¹⁴ Secundum Decretum de data 7-II-1624, quod Decretum per aliud de data 7-VII-1624 ad solos Ecclesiasticos restrictum fuit.

65.

(Novogrodek), 1624

Aliae rationes et modi prohibendi transitum ad Ritum Latinum, in specie monachorum Ordinis S. Basillii Magni.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 216rv, 219v.

Supplementum ad instructionem de transitu Monachorum Rutenorum ad Ritum Latinum.

Praeter hoc, quod in instructione praedicta dictum est, quod praeiudicium esse videatur S. Unionis in qua salvari possent, hoc etiam est. Quia haec Religio strictior est omnibus aliis Religionibus latinis quas habemus in hoc Regno; perpetuam habent abstinentiam a carnibus, tot ieunia quae servant strictissime; unde qui ex tali Religione molitur transitum, videtur liberioris vitae studio teneri. Ex hac eadem Religione assumuntur personae, ex usu antiquissimo Ecclesiae Graecae, in Metropolitas, Archiepiscopos, Episcopos, Archimandritas, Exarchas, Visitatores Dioecesum cum consensu Episcoporum. Ipsi etiam sunt Praedicatores, Confessarii, Magistri iuuentutis. Per hos fiunt missiones, per hos Episcopi resistunt Schismaticis, Haereticis... Et quiequid est in Ecclesia Rutena boni, illi Ordini post Deum merito adscribendum est. Clerici enim saeculares, cum sint omnes uxorati, antiquissima consuetudine Ecclesiae Graecae ab omnibus dignitatibus ecclesiasticis excluduntur. Alter autem Ordo Religiosorum in toto Ritu Graeco, praeter dictum Ordinem S. Basilii Monachorum, non reperitur. Si igitur ex hac Religione transitus non prohibebitur, multi ex illa tum abstinentiis, et vita monastica infastiditi, tum etiam tot laboribus et persecutionibus Schismaticorum lassati, ad Religiones latinas sese transferent; et sic vel religiosa observantia antiquissima secundum Regulas S. Basilii relinquenda est ut ipsi detineantur in hac Religione, vel si permittatur transitus, spoliatur omni praesidio Ecclesia Rutena, et soli Episcopi in arena decertantes deserentur, etc.

Supponendum autem est hanc Religionem esse S. Sedi Apostolicae vere, sincere et stabiliter obedientem, et quidem hoc comprobasse iam sanguine ob hanc causam ab hostibus Ecclesiae effuso; comprobasse et in dies comprobat per multas tribulationes, quas sustinent a Schismaticis. Prohibeatur ergo transitus ex tali Religione ad aliam.

(f. 219v): Si deve prohibir il transito de Monaci di San Basilio à Latini, o ad altre Religioni, prima, perchè per lo più domandano questo transito per viver con molta osservanza, essendo la Religione di detto Santo stretta per le 4 quaresime, che osserva, e perchè non mangia mai carne. 2º. Perchè la Chiesa Ruthena perirebbe; perchè essendo li Preti secolari uxorati, delli Monasteri di San Basilio si cavano tutti li Superiori ecclesiastici.

Pro Metropolita Russiae.

66.

Novogrodek, Vilna, Varsavia, 1624

*Amplissima dissertatio Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj de quinque
impedimentis Unionis, e parte Schismaticorum, Haereticorum, Catholicorum, ex
transitu ad Ritum Latinum, ex scandalo et ex defectu virium et subsidiorum.
Relatio haec est summi momenti historici nec non unionistici.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 190-209v.

HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, pag. 254-298.

Missa est haec Relatio Rerum Ruthenicarum Ecclesiae Unitae Anno Domini 1624, a Metropolita Russiae, Iosepho Velamin²¹⁵.

Ill.mi ac Rev.mi domini, Antistites S. Congregationis de Propaganda Fide.

Ut primum inaudivimus a S.mo institutam esse Congregationem Vestram Propagandae Fidei Catholicae, incredibile est dictu, quantum gavisi simus²¹⁶. Magna quippe spe tenemur, futurum sub Vestro bene auspicato initio, ut nostri labores promoveantur, et Unio Saneta a Clemente VIII, fel.mem, ad emolumentum gentis Russicae his terris aquilonaribus inserta, vestra cura et solicitudine refloreat. Hactenus enim Schismaticorum coniurationibus, odio implacabili vulgi, persecutionibus, spoliationibus bonorum, mortibus, carceribus, conviciis, turbinum forensium iactationibus, templorum erectione, Haereticorum molitionibus, si non penitus oppressa, at certe suppressa fuit. Nec desunt catholici nominis Proceres, qui haec studia Schismaticorum et Haereticorum qua connivendo, qua iuvando faveant. Reliqui adsunt horum spectaculorum admiratores tam administratores inquam; nam qui vel manum vel linguam serio moveat, vix aliquis; in summa, inter Spirituales soli S. Sedi Apostolicae acceptum referimus, quod adhuc Unio spiritum trahat, plurimum enim eam promovet etiam et maxime per Nuncios suos in Regno residentes. Ex saecularibus solius potissimum hactenus Serenissimi Regis enituit pro nobis constantia, solus sese admodum strenue tum Catholicis quibusdam nobis adversantibus, tum vero Schismaticis, ac statibus diversarum sectarum, pro integritate privilegiorum Unionis opposuit, licet Respublica turbata, ac ipse met vitae vix securus esset, tandemque pervicit, ne quid in praieudieum Unionis pro Schismaticis in Comitiis decerneretur. Ideo et S. Sedi Apostolicae, et Serenissimo finem gratiis agendis nunquam faciemus, idque ut nobiscum faciat S. Congregatio Propagandae Fidei plurimum rogamus.

Et quia putamus interesse eiusdem S. Congregationis Propagandae Fidei scire, quid impedit in unaquaque provincia propagationem fidei, et quid iuvet ad illam propagandam, ideo boni consulet, S. Congregatio nobisque ignoscet, si eiusmodi impedimentis exponendis, vel remediis contra ea sugggerendis, fuerimus vel longiores vel importuniores. Ut enim S. Congregationi

²¹⁵ De hac relatione, cuius exemplar romanum prostat manu R. Korsak scriptum, plura innuuntur in variis epistolis Metropolitae, unde de eius authenticitate nullum potest oriri dubium. Dissertation haec Romanam transmissa et ab Alumnis tunc Romanis, Korsak et Podbereskyj, descripta, porrecta fuit S. Congreg. de Prop. Fide.

²¹⁶ Anno 1622.

Propagandae Fidei interest scire, quid obstet quo minus progressum habeat Unio, ita nostra significare, et quaerere remedia, cum ab omnibus, tum potissimum ab iis qui profitentur propagationem fidei; impedimenta maxima quo minus Unio Rutenorum inter Schismaticos Rutenos, Moschos, et alios linguae slavonicae homines foeciles progressus habeat, ad quinque capita revocari possunt; hoc ordine:

- I. Ad oppugnantes Unionem, tam Haereticos, quam Schismaticos (f. 190v).
- II. Ad Catholicos Ritus Latini frigide defendantes Unionem.
- III. Ad transeuntes ex Ritu Graeco ad Latinum Ritum.
- IV. Ad occasiones, quae in dies subministrantur Ruthenis male opinandi de candore Latinorum in negotio Unionis.
- V. Ad nos, vires scilicet debiles ad promovendum tanti momenti negotium, quae auxiliis indigent.

PRIMUM IMPEDIMENTUM.

Schismaticorum cum Haereticis in oppressionem Unionis comspiratio, non tantum illa generalis, qua omnes consentiunt in unum ad oppugnandam Ecclesiam Christi, sed peculiaris, facta ab ipsis in forma solenni in ipsorum conciliabulis, incipiendo a Turonensi 1595, tunc quando incipiebat Unio, quo omnium Sectarum Haereticarum homines in hoc Regno existentes convenierant. Haec liga strictius postea Vilnae inter Rutenos Schismaticos, et Calvinistas in particulari, primarios huius Regni Senatores, utrinque facta et scriptis adinvicem firmata est. Quae maledicta conspiratio multum nos affixit, dum potentia saeculari, qua pollebant illi Confoederati, Sanctum Dei negotium Episcopis, quorum duos, qui Unioni subscriberant, quorum uterque iam descendit ad inferos, minis et terroribus ab Unione apostatare fecerunt²¹⁷; Cum aliis autem Episcopis, quia id ipsis non successit, bona ipsorum Episcopalia diripuerunt, asserentes illa fuisse fundata ab antecessoribus familiae ipsorum²¹⁸. Unde medietas Episcopatus Luceoriensis, itemque medietas Episcopatus Pinscensis ablata est; nunc per mortem ipsorum iam ad tertios haereses illa bona devoluta sunt, eosque Catholicos, et tamen restituere non volunt. Unius Episcopi, qui redditurus obedientiam Clementi VIII iverat Romam, possessionem invaserunt²¹⁹, pecuniam, et totam supellectilem domesticam, quam habuit copiosam, diripuerunt, et ulterius saevire parati erant, nisi Rex Serenissimus et Senatus Catholicus, qui fervens fuit initio Unionis, opposuerint se ipsis serio, et Deus ipse eliminavit istos; ita ut intra 20 annos, qui ab ista conspiratione elapsi sunt, 6 principales et primariae authoritatis et simul potentiae Senatores, itemque 24 ex Nobilitate, qui communi consensu ad oppugnandam Unionem ex Schismaticis et Haereticis delecti et nominati erant, tam brevi tempore interierint omnes, ut non remanserit ne unus quidem, Unio autem (f. 191) Saneta manet. Et sic hic primus Sathanae impetus abiit invanum.

²¹⁷ Michael Kopystynskyj, Peremysliensis, et Gedeon Balaban, Leopoliensis, Episcopi.

²¹⁸ Agitur de Principe Constantino Ostrozskyj, qui praesertim in Volhinia et Podolia, ubi Eparchia haec extendebat, bona patrimonialia habuit.

²¹⁹ Agitur de Cyrillo Terleckyj, Episcopo Luceoriensi (1585-1606).

Alio igitur medio nos aggressus est, et quidem efficariori, potentia scilicet Civium pecuniaria. Nam licet Cives, sicut sunt longe inferioris ordinis ita minoris potentiae quam Nobiles, tamen modus illorum procedendi contra nos fuit nobis damnosus, qui erat talis. Fecerunt sibi primo in duabus Civitatibus Confraternitates, sub praetextu piorum operum, inscribentes se in Catalogum, et alios sub specioso praetextu piorum operum ad idem inducentes. Condiderunt sibi leges, crearunt Officiales, fecerunt contributionem ex facultatibus suis generalem in principio, postea singulis septimanis semel convenientes contribuunt, et si aliqua extraordinaria necessitas ipsis visa fuerit, extraordinariam contributionem indicunt, in concione ex ambone proprio publicant, aliis quidem persuadendo, illos autem qui confratres sunt obligando, ut tantum dent quantum a Consultoribus conclusum fuit. Tanta est vis harum contributionum, ut sola Confraternitas Vilnensis, quae est caput aliarum, dicit se exposuisse ab initio Unionis ad oppugnandam eam in parata pecunia ad 200.000 florinorum. Est tantus fervor ad malum, et obedientia, ut quandoque publico Confraternitatis edicto quilibet Confratrum vigesimam partem omnium quae possidet dare iubetur, et dat. Unde quandounque volunt, pecuniam ingentem corradunt. Tales Confraternitates iam sunt multiplicatae, per alias Civitates minores, et nunc ultimo Chiovae; et formam quandam novae Reipublicae pestilentissimae crearunt, quae nos multum affligit et Regnum turbat vehementer.

Quando indicuntur generalia Regni Comitia, ipsi etiam clam sua conventicula habent, pecuniam coacervant, ad omnes particulares conventus Nobilitatis, qui 6 Septimanis praecedere solent Comitia generalia, suas mittunt literas et Nuncios cum querelis et invectivis contra nos; habent etiam ex Nobilitate suos ferme in quovis districtu fautores, non tantum Schismaticos, sed etiam Catholicos, qui causam ipsorum agunt strenue, ut scilicet demandetur Nunciis illius districus, ut causam ipsorum promoveant in Comitiis; hoc ubi confecerunt, generalem legatum ad Comitia instruunt, cui praesident Nobiles ab illis pretio conducti, adsunt causidici, et quicquid ad turbas ciendas, et opprimendos Unitos spectat, adhibentur. Ubi venerunt ad Comitia, primum Maresalcum Nunciorum, hoc est directorem ipsorum honorario singulari demerentur, postea Nuncios principaliores, qui maioris authoritatis inter alios esse videntur, liberaliter in illos elargiendo, in partes suas pertrahere nituntur, tandem officiales Regni adeunt etiam et (f. 191v) principaliores Senatores. Nos autem ex parte altera soli comparemus, nullo humano praesidio, solo Divino muniti, et ita horrende iam aliquoties in Comitiis afflicti sumus. Hinc iste secundus modus oppugnandi Unionem maiora nobis damna intulit, quam primus, licet enim personae sint ordinis longe inferioris, quam Nobiles, ut diximus, quia tamen habent modum corradendi magnam pecuniam, et pecuniae obediunt omnia, plurimos Nobiles habent a partibus suis. Item quia iste modus est intra civitates, ubi sunt ecclesiae nostrae Cathedrales, vel Collegiae, et Clerus illarum, Nobiles autem, pro more gentis nostrae, non maneant in civitatibus, ipsi autem maneant, quippe qui mercaturam exercent, et diversa opificia, longe plus possunt inferre damni nobis. Bis certe magno impetu nos erant aggressi.

Primum per conversationem quam habebant in civitatibus cum Clero nostro, et per fraudulentas machinationes suas sub tempus Comitiorum anno 1609,

quando principaliores ex nostris iverant ad Comitia, averterant a nobis Clerum saecularem, non tantum Vilnae, excepto Monasterio SS. Trinitatis²²⁰, sed per alias etiam civitates et oppida magna et incredibili usi celeritate, missis multis sua farinae iunioribus mercatoribus per omnes partes Magni Ducatus Lituaniae. Sic enim discurrebant: Non possumus Episcopos abstrahere ab Unione, abstrahamus Clerum ipsorum, ipse postea Clerus aget contra suos Episcopos, et nos ipsis sumptus et consilia suppeditabimus, et successerat ipsis; abstulerant enim a nobis, hoc est ab Antecessore praesentis Metropolitae, ecclesiam Cathedralem, tam Vilnae quam Chioviae, et Collegiatas Novogrodeci, Minsci, Grodnae etc. immo Curiam ipsius Vilnae occupaverant; quod postea magnis cum impensis, turbatione, vitae discrimine, et amissione manus Antecessor praesentis Metropolitae recuperavit²²¹, alia modernus, alia needum recuperata sunt. Interim tot artibus ad forum saeculare avocabamur (praesertim tune, quando Tribunal Lituanicum maiori ex parte erat haereticum, propter Directorem qui erat haereticus), condemnabamur; secutae post in nos conspirationes Civium Schismaticorum, ut Monasterium occuparent violenter, quod per dolos suos habere non poterant; unde civitas tota nocte erat in armis. Horum omnium erat spectator R. D. Petrus Arcudius, Theologus Ill.mi Card. Burghesii, ille ore tenus referet, quanta ista tempestas fuerit²²².

Alter impetus, primo deterior, hoc est anno 1620; cum intellexissent abstrahendo Clerum a nobis nihil se proficere potuisse, videbant enim illos perfidos qui ad partes ipsorum transierant, partim a nobis fuisse ejectos, et alios in locum (f. 192) ipsorum suffectos, partim in gratiam praevia poenitentia receptos, excogitarunt modum ipso Diabolo sugerente, quo ante biennium nos horrende oppugnare caeperunt; creationem scilicet tot Episcoporum, et Metropolitae, quot sumus in Regno nos Uniti²²³; rati per hanc viam S. Unionem funditus evertendam iri, si scilicet illi Pseudo Episcopi occuparent Cathedras nostras, et quidem falsis ipsorum de nobis relationibus plebs tota proponendum crediderat, nos scilicet in Comitiis, in quibus tune fuimus, exauthoritatos, et ipsos suffectos esse, quod brevissimo tempore promulgarunt per Universum Regnum tam verbo in concionibus, quam literis et Nunciis suis, in omnes partes Regni missis; etiam passim, et quidem ab omnibus obedientia ipsis deferebatur, Synodos Chioviae celebrabant, et 4 Religiosos nostros ex ecclesia Cathedrali extractos, compendibus vincetos carceri manciparunt. Quod quia non usque adeo successit, eam enim quam potuimus curam in comprehendis his ipsorum factionibus adhibuimus, quae adhiberi in hoc negotio humano modo poterat. Ad ultimum opposuerunt potentiam nobis Cosacorum, qui tunc numerahuntur 80000. Ut autem facilius postea Cosacorum vi contra nos uti possent, Pseudo Metropolitae cum quibusdam primariis Ecclesiasticis, quod nunquam antea auditum fuit, insinuarunt se in Concilia Cosacorum; habendo enim locum in Consilio ipsorum, quicquid libebat facile persuadebant; hoc etiam non difficulter persuaserunt, ut nomina sua scriberent in Ca-

²²⁰ Ubi tunc temporis Archimandrita erat ipse Josephus Rutskyj.

²²¹ Hypatius Potij (1600-1613).

²²² Petrus Arcudius, qui fere ad annum 1611 apud Metropolitam commorabatur, electionem Seminarii procurando. Romam reversus obiit an...

²²³ Consecrati fuerunt in toto 6 Episcopi et Metropolita.

talogum Confraternitatis Chioviensis²²⁴, ea intentione, ut quicquid statuerent Seniores Confraternitatis, illi ad effectum deducerent. Et ita ad diversos Regni Senatores suos Nuncios miserunt; cum Senatoribus autem haereticis clandestina consilia per Nuncios, citro ultiroque missos, moliri caeperunt, ad conventus Nobilitatis districtuales, qui Comitia praecedunt, ut pro ipsis intercederetur, miserunt; tandem ad Comitia legatum in amplissima forma Cosaci, ipsis instigantibus, expediverunt, proponendo sua merita, et in praemium horum primum quod petebant erat: Ut Uniti degradarentur, et qui erant recens Consecrati, ad Episcopatus evehentur. Et licet hoc, per Dei gratiam, et inexpugnabilem fortitudinem Serenissimi Regis nostri non obtinuerint, tamen obtinuerunt hoc, ut ad futura Regni Comitia controversia ista indecisa maneat, et in illis Comitiis futuris certo determinetur.

Hoc impedimentum ex parte Schismaticorum facile tolletur, si Confraternitates istae malignantium, quae sunt seminaria omnis turbationis tollentur. Media autem quibus tolli possint nos Ill.mo Nuncio Apostolico, in Regno residenti, suggeremus. Cosaci etiam facile acquietabuntur, si Pseudo Metropolita et eiusdem farinae Episcopi (f. 192v) autoritate publica condemnabuntur, et punientur ipsi et complices ipsorum. Quodsi Domini Senatores et Officiales Regni voluerint, in proximis Comitiis fieri potest. Cosaci enim fere sunt Athei, et non curant religionem et antea nunquam curabant; unum ante biennium curare coeperunt; quando noviter Consecrati eos subinde instigare coeperunt; si isti non instigabunt Cosacos, quiescent illi, non instigabunt autem si ab illis amovebuntur. Quod facile fiet si Domini Senatores et Regni Officiales volent. Sicut factum est, quod factu impossibile videbatur, cum in initiosis Unionis Nicephorus quidam Graecus²²⁵, qui ut turbaret Unionem venerat ex Graecia, abstractus est a latere potentissimi tunc Ducis Ostrogii et Palatini Chioviensis, et ad perpetuos carceres in Prussiam ablegatus. Quando enim piae memoriae Card. Maciejovius²²⁶ Ser. mum Regem iuvabat, et alios Episcopos ac Officiales Regni ad id inducebat, facta sunt omnia; his omnibus interfuit supra nominatus D. Petrus Arcudius. Quod vero ad patrocinium Haereticorum attinet, fatemur, quod in Conventibus Nobilium multum possint Haeretici; nullus tamen ex adverso negaverit, multo plus et sine ulla comparatione posse Catholicos, modo velint esse animosiores, et ferventiores, vel si essent aequi animosi et ferventes ad bonum, prout sunt Haeretici ad malum, reprimenter omnes impetus illorum facillime; in Comitiis etiam nec hiscere audent iam pridem Schismatici, si non indulgeretur ipsis a Catholicis.

Unum adhuc superest medium, quod a quibusdam primariis Senatoribus in his ultimis Comitiis primum Serenissimo Regi postea nobis proponebatur. Schismaticos iam esse tassatos in via quam ambulant, iam etiam se toti Regno in dies reddi ob suam importunitatem odiosiores vident, vellent aliquo ho-

²²⁴ Confraternitas Epiphaniae Domini, fundata anno 1616, ab anno 1620 gaudebat iure stauropiegiae. Influxum habuit in renovationem Hierarchiae non unitae an. 1620. Secunda medietate saec. XVII influxum suum in vitam spiritualem Ucrainae perdidit.

²²⁵ Partem habuit in Synodo Berestensi appositionis ad Unionem cum Sede Apostolica Romana, missus, ut videtur, a Patriarcha Constantinopolitano ad instantiam Principis Constantini Ostrozskij.

²²⁶ Cardinalis Bernardus Maciejowski, Polonus, Ep. Cracoviensis, nom. Card. die 9.VI. 1604. Obiit extra Curiam Romanam an. 1608, die 19 Januarii, Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, pag. 7, nr. 41.

nesto modo acquietari. De articulis autem fidei nulla iam in hoc Regno apud doctiores Schismaticos est dubitatio, etiam forte de primatu Papae, licet adhuc de isto articulo in particulari decertavimus cum ipsis per libros, quos ab ipsis lacessiti iam conscripsimus 6 hoc triennio²²⁷; sed ad ultimum libellum hucusque nondum responderunt, et ut audivimus respondere non cogitant. Remanere ergo videntur soli respectus humani, qui in hominibus, quibus non est adeo cordi salus animae, multum possunt; durum scilicet esse deserere Patriarcham, quem defenderunt hucusque tam strenue; suadebant ergo illi Senatores, ut mitteremus aliquem ex nostris, hominem pium, doctum, et in rebus agendis dextrum ad Patriarcham Constantinop. qui manendo aliquantisper ibi, et intellecta prius dispositione ipsius proponeret, ut ipse suis Schismaticis in Russia, ex quibus nullum percipit fructum (non permittuntur enim tam facile et publice intrare Graeci Regnum, sicut antea passim (f. 193) permittebantur), persuaderet, ut consentiant nobiscum acceptando Concilium Fiorentinum quod ab utraque Ecclesia celebratum est, nullam faciendo mentionem illius in particulari; et quia pecunia multum potest ibi, velle nos ipsi Patriarchae offerre pro una vice notabile honorarium, insuper postea eos, qui venient pro elemosinis ad nos, venient autem iam libere, velle nos iuvare quilibet pro posse. Et nisi hoc fecerit, interiturum Ritum Graecum in Russia, nos enim cum Ecclesiis episcopalibus, et Clero nostro itemque cum Monasteriis commigraturos ad Latinos; et alios, qui venire nobiscum non volent, vi tracturos. Vel si remaneremus in Ritu, nunquam tamen cogitandum ipsi esse, ut quoad Reges regnant catholici in hoc Regno, et quoad erunt Uniti in numero licet pro exiguo futuros Episcopos obedientiae ipsius. Adiungi potest etiam respectus praesentis servitutis Turcicae, propter quem Moscis difficilis erat aditus Constantinopolim, ideo nostra aetate a quodam Patriarcha obtinuerunt, ne ipsorum Metropolita pro confirmatione mittat Constantinopolim; quanto magis nobis id tribuendum est, qui continui sumus huic hosti infessimmo genti nostrae, sicut et omnibus Christianis. Discutiat ergo hoc etiam medium S. Congregatio, nos interim adhuc expiscabimur ab illo Duce, qui nunc Constantinopoli a Regno Poloniae legatione functus est, itemque ab aliis rerum peritis. Sed etsi omnibus id videbitur faciendum, tamen non aggrediemur antequam id a S. Congregatione probari intelligemus, et per Romam prius hunc nostrum mitteremus, ut S. Congregatio unum etiam adiungat ex parte sua pro auxilio, et consilio, et quod magis est, ne in talibus a minus peritis erretur.

Nec hoc omittendum putamus, quod in praeteritis Comitiis a Republica propositum est medium pacificationis nostrae cum ipsis, Synodus scilicet²²⁸; hanc ipsi non acceptarunt, insulsas adferendo excusationes, disputare se scilicet nolle nobiscum, Synodos autem sine disputatione esse non posse; item Synodos esse necessarias illis, qui dubitant in fide, se autem non dubitare; praeterea se timere potentiam Catholicorum; item, si esset Synodus, deberet praesidere Patriarcha Constantinopolitanus, et nullus a Summo Pontifice; praeterea, ut nullus ex Latinis interesset.

²²⁷ An. 1621-1623. Praesertim agebatur tunc de validitate consecrationis episcopalis Kiovienis an. 1620, et Episcorum legalitate.

²²⁸ Proxima vice de hac Synodo agitur anno tantummodo 1629.

SECUNDUM IMPEDIMENTUM

Catholici Latini Ritus saeculares fere omnes, et maior pars Ecclesiastico-rum, non tantum non iuvant nos in promovenda Unione, sed favent Schismaticis, aliqui aperte, clam aliqui, vel aliis modis impediunt nos in promovenda Sancta Unione (f. 193v). In Comitiis certe vix unum vel alterum invenire possumus patronum, qui serio causam nostram agere velit; immo, quando prodimus in publicum, inehuntur contra nos, quasi nos opprimeremus Schismaticos, et turbaremus pacem Reipublicae, non posse propter nos quiete transigi Comitia, ut accomodemus nos illis querelis Schismaticorum, etiamsi falsissimis, facile credunt, nostram defensionem vel non audiunt, vel si audiunt difficulter audiunt. Notum hoc erat satis abunde R.mo Diotallevio, Eprscopo S. Angeli, qui per 8 fore annos munus Nuncii Apostolici obibat in hoc Regno²²⁹. Vedit ipse quantam iniuriam patiamus a Catholicis in hoc Regno, doluit, et multis id Senatoribus exprobravit. Credo ipsius informationes in hoc negotio facile haberi posse Romae, praesertim apud Ill.mum Cardinalem de Torres, ipsius successorem. Sed quia sua D. Ill.ma brevi tempore commorata est in Polonia, nec ulla Comitia fuerunt sub ipsa, nec nos propter distantiam locorum adire poteramus ipsam, ideo a nobis informari non poterat. Sed est, ut arbitramur, Romae Dominus Farfanelli, qui fuit Auditor piae mem. Domini Diotallevii, illi nota sunt omnia. Certe, nisi nos Divina clementia extraordinariis auxiliis iuvisset, et idem Nuncius Apostolicus paterne nos fovisset, et rem nostram serio apud Dominos Senatores egisset, quandoque nocte intempestiva, vel summo mane adeundo illos, cum magno licet incommodo suo, non minori etiam molestia illorum, abiecerissemus forte animum, et Unio ruere debuisse. Cum lachrymis revocamus nobis in memoriam fervorem Catholicorum initio Unionis, praesertim Episcoporum, prae aliis Card. Maceiovii, qui transigebant omnia nostra negotia, nobis non laborantibus, quandoque nec scientibus. Iniqua supervenerunt tempora, in quibus nos, per nos ipsos, nostris impensis et laboribus, sudantes fere sanguinem, debemus peragere sine auxiliis eorum, qui nobis auxiliari, tanquam in communi Ecclesiae negotio, ex iustitia etiam, non tantum ex charitate tenerentur. In quo magis nos affigit, quod in Comitiis licet aliquando loqui volumus, ut reprimamus adversarios, illis datur copia loquendi contra nos publice quidvis in facie Reipublicae, nobis denegatur; de quo cum expostulamus, causam reddunt, quod nec simus Senatores, nec Nuncii Terrestres, quibus tantum solis est libera vox publica in Comitiis. Nos igitur, si volumus loqui, ut loquamur vel per Senatores, vel per Nuncios; isti autem non loquentur, vel quia sunt bene informati de rebus nostris, vel quia nolunt, dicentes se satis habere quod agant sine nobis, vel se nolle invidiam sibi in aliena causa (quasi vero Unio Catholicis sit causa aliena, et non communis nobiscum) conflare, vel premittunt et non praestant. Et ita Schismatici scribunt contra nos Constitutiones, et legunt publice nemine repugnante, cum magna iniuria nostra, et, quod maius est, Ecclesiae S. et Sedis Apostolicae; semper enim in talibus Constitutionibus continetur aliquid quod noceat Unioni, sed quia id scribitur a Schismaticis caute ne intel-

²²⁹ Franciscus Diotallevi (1614-1621).

ligatur, Domini Catholici non advertunt nisi post (f. 194) Comitia, quando non datur iam facultas corrigendi. Facimus quidem nos post Comitia protestationes, sed istae vel nullum, vel vix aliquem valorem obtinent. Dum examinamus causas huius tepiditatis, invenimus istas.

I. Malum quoddam internum, politicum scilicet, tineam rerum publicarum, et vermem insensibiliter consumentem Regna. Quo malo non tantum nos preminur, sed et universus status ecclesiasticus Ritus Latini. Sed quia R.mi Episcopi Ritus Latini sunt Senatores, et praeterea potentes, defendunt sua, nos autem, si destituimur eorum praesidio, omnibus iniuriis hominum et temporum exponimur et opprimimur.

II. Antiqua Latinorum in hoc Regno aversio a Rutenis et contemptus ipsorum, quem illi habuerunt, dum essent Ruteni in Schismate, remanet ergo nunc eadem; non omnes quippe sunt Theologi, etiam ex Ecclesiasticis, qui bene intelligent posse stare unitatem fidei cum diversitate Ritus, et nos iam esse diversos ab illis Rutenis. Apud alias autem non est error in intellectu, sed in voluntate, quod scilicet ad hoc negotium non afficiantur.

III. Non desunt, et quidem ex Ecclesiasticis maioribus et minoribus qui sunt Pastores animarum, ex ipsis Episcopis, denique etiam ex multis Religiosis, qui dicant quisque, nobis audientibus, melius esse destruere Unionem quam promovere illam. Haec cum audimus, dolore dissolvimur, quod non tantum Schismatici sint hostes Unionis, sed etiam fratres nostri, eiusdem Matris Ecclesiae S. filii. Quomodo ergo consistemus, si tam a sinistris, quam a dextris sint adversarii nobis? Et revera talia verba digna sunt seria animadversione Suae Sanctitatis. Quis unquam Catholicorum diceret melius extra Ecclesiam esse, quam intra Ecclesiam? Item quare membra debent contrariari capiti? Si Summi Pontifices, qui sunt Caput Ecclesiae, approbarunt Unionem Rutenorum, et nunc approbant, defendunt, promovent, quare membra non idem faciunt, sed e diametro contrarium faciunt! Et ne hoc gratis dicere videantur, quadruplici se moveri ad id ratione asserunt.

1. Ex quo coepit esse in Regno Unio, cooperunt esse turbationes tam in Comitiis quam extra. RESPONDEMUS: turbationes semper in Ecclesia fuisse, sed ab Haereticis, a Schismaticis, a Ministris Satanae. Ergone deseriri debet causa religionis, et cura animarum? quin immo eo gratius Deo opus est, quo maiori odio Daemon prosequitur illud: Beatitudo est pati persecutionem propter iustitiam, docente Magistro veritatis, cui ipsi obedire deberent.

2. Aiunt illi, quod post Unionem Schismatici magis redditii sint inimici Ecclesiae quam fuerint ante. RESPONDEMUS: erat odium, sed occultum ante Unionem, non se probebat tantum, quantum nunc, fortis armatus in pace possidebat eos, propterea quies videri poterat. Ubi autem Daemon de sua possessione expelli (f. 194v) coepit, instigare suos, in furorem agere, turbas et tumultus excitare, modo per hanc modo per illam viam aggressus est. Sed hoc magis commendare, quam in odium Unionem vocare deberet. OBIICIUNT: Antea Ruteni convertebantur ad Ritum Latinum, et fiebant Catholici, nunc non convertuntur. RESPONDEMUS: nec Summus Pontifex intendit id ut Rutheni convertantur ad Ritum Latinum, sed permanendo in suo Ritu fiant Catholici, et hoc est esse Unitum.

3. Afferunt, non procedere Unionem. RESPONDEMUS: procedere per Dei gratiam, plus quam meremur apud Dominum Deum; 20 enim anni sunt et aliquot et iam omnes Episcopi (sunt autem 7, cum suo Metropolitanus qui est octavus, uno solo Leopoliensi excepto, qui est nonus) sunt veri Catholicci, S. Sedi Apostolicae obedientes, magni semper erat momenti habere sua capita Ecclesiae, Clerus illorum sequitur illos, primo autem regularis, hoc est Monachi D. Basilii, quod omnibus constat; Clerus etiam saecularis in simplicitate sua sequitur suos Pastores, veniunt ad Synodos, quae quotannis celebrantur, ab ipsis consecrantur, per Parochias locantur, Chrisma accipiunt, Visitationibus subiacent. Congregatio Vilnensis S. Basilii tam bene procedit, ut incipiat habere Theologos in lingua graeca et latina peritos, quod nostra et Patrum nostrorum memoria in Russia visum non est. Ex statu autem saeculari Senatores unitos habemus 3, unum scilicet Palatinum, duos Castellanos; Schismatici autem nec unum habent. Non deest Nobilitas et quidem ex primariis. Sed etsi nec hoc esset, 20 anni non est saeculum, praesertim in tot contradictionibus, cum tot impedimentis, nullis vero vel paucis humanis adiumentis. Quid mirum quod Unio ulterius non processerit! Immo, Divinae providentiae non humanae industriae vel potentiae adscribendum est, quod Unio tot machinis oppugnata non sit expugnata.

4. Plurimi sunt qui dicunt melius esse, ut in Ecclesia Dei sit unus Ritus quam ut sit multiplex. RESPONDEMUS: Hoc non contineri expresse nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in SS. Patribus, nec est ulla determinatio Summorum Pontificum, quin immo in contrarium ista omnia facile inveni- rentur. Ipse enim Christus Dominus Ecclesiam suam talem esse voluit, ad quam per diversitatem linguarum cunetarum gentes in unitatem fidei congregarentur, in qua facile continentur diversitas Ritus; ex ista autem multiplicitate linguarum usus Ecclesiae afflatu Spiritus S. delegit certas principaliores, quae aliarum quasi matrices essent, et illas in se eminenter continerent. Una autem ex illis est lingua Sclavonica a Sanctissimo Pontifice Adriano hoc privilegio donata, ut in illo sacrum Missae officium et aliae Laudes Divinae decanta- rentur. Testis horum locuples est B. Cyrillus, qui nobis ex lingua graeca in nostram nativam transtulit Liturgiam (f. 195) et totum Divinum Officium, et ipse primus Romae in S. Petro Missam nostram Ruthenam celebravit, licet et tunc contradicerent plurimi tanquam rei novae, sed authoritas supremi Pastoris contradictiones sustulit. Totam hanc Historiam fuse habemus descriptam in libris nostris ruthenis, et diem obitus huius Sancti celebramus, sicut et Dioecesis Gnesnensis, et tota maior Polonia celebrat, et officium particulare S. Cyrillo et Methodio recitat. Corpus huius Sancti est conditum Romae in Ecclesia S. Clementis. Qualia tunc motiva fuerunt B. Papae Adriano decernendi taliter, eadem et forte maiora nunc manent. Tolli ergo non debet. De lingua autem graeca et eius ritibus, ex qua nos ritus nostros hausimus, nemo dubitaverit, quam ipsa aeterni Patris sapientia peculiariter honoravit, dum illam esse unam ex tribus in titulo Sacratissimae suae Crucis voluit. Sicut hanc igitur velle abolere magno esset totius Christianitatis damno, ita et illam, quae duea quoad ecclesiastica pro una reputantur, et Ritus sunt iidem.

Dixerit quis, unitatem fidei in diversitate rituum non facile posse retinieri. At contra: posse fidem fluctuare in Ritu eodem, patet in Haeresibus recentioribus in Occidente, et antiquioribus in Oriente; sicut e contra potest retinieri

in ritibus diversis fides eadem, et eorum de quibus in Actis Apostolorum, qui erant Parthi, Medi, Aelamitae, et in omni natione quae sub Coelo est, cor unum erat, et anima una. Et S. Basilius, Epist. 70 ad Episcopos Italiae, et alia Epist. itidem ad Occidentales, de suis temporibus testatur. Sed etsi vel maxime in hoc Regno abolere Ritum Graecum vellent, non possunt. Solos enim Nobiles trahere ad Ritum Latinum possunt, Rusticellos, quorum sine comparatione ferme in infinitum maior est numerus, nunquam; et tamen salus illorum curanda est, ut in eodem Ritu manentes discant fidem catholicae, et sint in gremio Ecclesiae. Sed etsi Rusticelli etiam trahi ad Ritum Latinum possent, tollere tamen Ritum Graecum a Ruthenis non expediret, propter magnam et certam spem in vastissimo et populo satis Imperio Moschovitico, qui omnes sunt Ritus Graeci, et iisdem libris sclavonicis, quibus nos, utuntur in Sacris, et sunt ferme eiusdem linguae nobiscum; ut nihil dicam de Bulgaria, et Servia, itemque de Montanis Hungariae²³⁰ et Transilvaniae, licet et illi his convenienter cum Moscovitis; nihil etiam dicam de Valachia, et Moldavia, licet et ibi lingua sclavonica maiori ex parte Officium Divinum peragant. Sed etiamsi nec ista spes esset, tolli non deberet, quia ad id ut ad unitatem Ritus in tam amplio Regno populi adducantur, longo opus esset tempore. Interim infinita multitudo hominum in pertinacia sua morientium descendet ad Infernum, qui per Unionem manendo in Ritu suo salvari poterant (f. 195v). Iam quae esset prudentia propter accidentale amittere essentiale? Hae omnes rationes nunquam Deum et animas pretiosius ipsius sanguine redemptas amanti persuadere poterunt, melius esse sine Unione quam cum Unione.

Quaerunt Catholici, quid ad promovendam Unionem facere possunt. RESPONDEMUS: posse illos facere duo, et utrumque Unioni valde necessarium. Primo, ut eam defendant in Comitiis; secundo, ut procuret illam quilibet domi suae. Quoad Comitia: Non permittant Nuncii ulla Constitutiones scribi de Religione Graeca; quaecunque hactenus scriptae sunt (scriptae sunt autem 4), in praeiudicium Unitorum scriptae sunt, prout examinanti patebit; rationem in promptu habebunt, si dixerint se esse ad Comitia a Fratribus suis ex districtibus missos propterea, ut omnium ordinum et statuum iura sarta et tecta conservent, proinde etiam Unitorum, qui sunt incolae huius Regni, fratres ipsorum, membra huius Reipublicae, prout ipsi sciunt. Lex Polona est: Neminem captivabimus nisi iure victum, quanto magis condemnabimus. Proinde si volunt Schismatici, ut tollantur Uniti, non per acclamations, ut assueverunt in Comitiis, non parte absente prout faciunt in Consessu Nunciorum, ubi nullus ex nostris Episcopis adest, ob causas legitimas nec tumultuarie ut solent in conclusione Comitiorum; sed agant via iuris ordinaria, citent Unidos, producant contra illos sua iura, producant vicissim Uniti sua iura, iudicet Rex cum Senatu et Deputatis Nunciorum, prout moris est iudicare in Comitiis, cognoscent iura utriusque partis, quae erunt priora, secundum illa conservetur illa pars, penes quam sunt talia iura, altera autem pars perpetuo sileat, et non amplius turbet. Si taliter dicent Nuncii, optime fungentur officio suo, inquantum sunt Nuncii, et maiorem hoc favorem Schismaticis facere non tantum secundum (f. 195) conscientiam, sed etiam secundum statutum politicum, et secundum iura Regni non possunt. Scimus quidem quod

²³⁰ Hodie Ucraina Carpatica, cum Eparchia Mukachoviensi et Prjasivensi.

istud iudicium non pertineat ad Comitia nec quoad personas nostras ecclesiasticas, quae iuri Comitiorum non subiacent, neque quoad bona ecclesiastica, utri scilicet parti competant, neque quoad actionem, hoc est ad Unionem, quia nec haec ad iudicium ipsorum pertinent. Tamen forte rationem cognitionis iurium, quae emanarunt a Regibus Poloniae, iudicari possunt, utri parti serviant ista iura. Qua in re tam audacter procedimus, quia scimus penes nos esse iura, penes illos autem nulla vel valde debilia. Licet ergo facta cognitione iurium nostrorum nullum decretum ferrent, tamen habebunt occasionem aquissimum imponendi ipsis silentium, ostendendo quod cum defendant nos, defendant non personas sed iura nostra, quae emanarunt (f. 196) a Regibus Poloniae et Magnis Ducibus Lituaniae et Russiae, quae sunt data Unitis non Schismaticis. Praeterea R.mi Domini Episcopi Senatores huius Regni habent semper familiares suos clientes et amicos inter Nuncios, quando isti contradicunt, nihil possunt alii concludere, etiamsi aliquot tantum toti Congregationi Nunciorum contradicere vellent.

Quo autem ad privatas ipsorum possessiones, hoc dicimus: si vellet Catholici latini, intra unum annum vix alicubi in toto Regno Schisma appareret. Quod sic probo. Libertates Nobilium in hoc Regno tales sunt, ut in bonis suis sint Domini absoluti, et possint facere quicquid ipsis videtur; praesertim in rebus ecclesiarum Ruthenorum, in quas maiorem potestatem sibi usurpant, quam in ecclesias latinis. Potest ergo uno verbo sine ulla difficultate quilibet Nobilis, tanto magis Senator, ex bonis suis patrimonialibus Sacerdotes schismaticos eliicere, et unitos introducere, et tunc in Palatinatu Chioviensi, Voliniensi, Podoliensi, ubi maxime viget nunc Schisma, et multa sunt ipsorum Monasteria, vix aliquid remaneret de Ministris Schismaticorum. Nec possunt Domini illorum bonorum a suis subditis, vel a quovis hoc nomine citari ad ius, quia non habent Schismatici talia iura. Ex Divina enim Providentia factum est istud, ut omnia iura et immunitates, ecclesiis et Antistitibus illarum Ruthenis, datae sint his, qui erant in Unione; quod satis abunde in proxime praeteritis Comitiis, anno 1623 celebratis, ipsis Schismaticis audiensibus, et contradicere non valentibus, probavimus.

Dicunt isti Domini timere se potentiam Cosacorum; sed quare non timent alii qui hoc faciunt, faciunt autem multi et satis aperte, non tantum Viri, sed etiam aliquae Viduae Ordinis Senatorii, et a Cosacis, nec hae, nec illi quicquam passi sunt. Praeterea si non volunt, vel non audent aperte, faciant occulte, et facere sine ullo strepitu possunt, prout quidam Primarii, qui populosas civitates, et amplissimas facultates in illis partibus habent nobiscum egerunt, et transegissent, si tantum numerum operariorum et talium tunc habuissemus, quot et quales ipsi desiderabant. Cognoscebat ipsi exacte quod subditi ipsorum non discurrent de articulis controversis inter Catholicos et Schismaticos, sed suos Parochos sequerentur, dummodo in ecclesiis de ritibus exterioribus nihil mutaretur; et nunc quandocunque volunt illi Domini facere ista possunt. Ut autem velint inducendi sunt suaviter ac potenter per R.mos Dominos Episcopos huius Regni, qui tam ex eo, quia sunt Principes senatus, quam inde (f. 196v) quia sunt Pastores ipsorum, possunt et tenentur hoc in ipsis efficere. Iuvabit ut per Dioeceses publicari faciant, vel per concessionatores tam in civitatibus, quam per Parochias in villis declarari excommunicationem Bullae Caenae Domini, in quam incurront non tantum illi, qui pro-

movent Schismaticos, sed etiam qui fovent, vel non impediunt cum possunt. Item ut confessarii suis poenitentibus id studiose inculcent. In quo moneantur Religiosi huius Regni, PP. Societatis Jesu, PP. Dominicani, PP. S. Francisci de Observantia, hae enim Religiones circa curam animarum ut plurimum in hoc Regno occupantur. In particulari autem possunt scribi Brevia ad Reverendissimos Episcopos, Vilnensem, Luceoriensem, Premisiensem, Chelmensem, Camenecensem, Chioviensem²³¹, quorum Episcopatus plurimos, et quidem maiori ex parte habent Ruthenos. Episcopi autem Vilnensis²³² studium in promovenda Unione laudandum est; multum enim nos iuvat, et est magnae authoritatis non tantum in Lituania, sed etiam in Polonia. Iuvabit vero multo plus, ubi hoc studium Suae Sanctitati, et S. Congregationi gratum esse intellexerint.

TERTIUM IMPEDIMENTUM

Qui transitum Ruthenorum promovent, publicae utilitatis argumento potissimum nituntur. Aiant enim concedendum esse transitum Ruthenis ad Latinos, ut secure consulatur saluti spirituali Ruthenorum, apud quos ob inopiam Pastorum idoneorum est periculum ne invalide administrentur Sacra menta. Ut istis sufficienter respondeamus, ostendemus huiusmodi licentiam transeundi ad Latinos non esse bono Unioni ipsi, non utilitati rei Christianae, esse Latinis ipsis noxiā, nobis damnosam, transeuntibus superfluam, ibidem ad rationem, qua se moveri ad talem transitum asserunt, respondebitur.

NON ESSE BONO UNIONI.

Patet inde, quia est contraria Unioni. Nam Unio ex natura sua partes quas unit in sua integritate conservat, non interimit, alioquin non erit Unio, sed alterius partis artificiosa destructio; ita se res habet tam in naturalibus quam in moralibus. Hanc Ecclesiasticam Unionem in particulari inter Graecos et Latinos in eo sitam esse (f. 197) iudicarunt antiqui Christiani, ut unus quisque in Ritu suo permaneat sub obedientia Summi Pontificis. Et hic fuit semper veterum quoque gravissimorum Ecclesiae Pastorum, Romanorum Pontificum sensus; quod colligitur ex Bullis nonnullis et capitulis in Jure Canonico; sed clarius ex Leone nono, in Epistola ad Michaelem Caerulearium, quam recitat anno 1053 verbis istis Baronius: Cum intra et extra Romam plurima Graecorum reperiantur monasteria, sive ecclesiae, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione sive consuetudine, quin potius suadetur et admonetur eam observare. Scitur namque quia nihil obstant saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quae potest, uni Deo commendat omnes. Quin etiam edicto publico utriusque Ecclesiae in Concilio Florentino praecipitur expressis verbis, ut unusquisque Sacerdos in suo Ritu serviat Christo Domino. Si de Sacerdote ita conclusum est, cur idem intelligi non debet de plebe! Intellexerunt illi Sanctissimi Patres vim et pacta Unionis exigere ab

²³¹ Omnes Episcopi Latinorum, qui habebantur in terris Ucrainae et Bielarusiae, quae tune sub dominio erat Regum Poloniae.

²³² Eustachius Wollowicz (1615-1630).

utraque parte hoc ipsum. Unionem enim inire est non solum non prohibere Ritus, sed etiam ad illos non prohibendos se ipsos obligare, nec solum non impedire illos, sed etiam obligare se ipsos ad non impediendum, sed potius promovendum. Practicatur hoc forte et nunc hodie in Collegio Graeco Romano nostro; certo tempore practicatum fuit, et quidem ex instituto b.mem. Greg. XIII, Fundatoris dicti Collegii, ut Alumni, postquam finiverunt studia, etiam si sint saeculares faciant solenne iuramentum de promovendo Ritu Graeco, et de non transeundo ad Ritum Latinum. Denique Paulus V Papa Breve de hoc suum edidit, quod hic inseri integrum libuit, estque tale.

PAULUS PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam. Solet circumspecta Romani Pontificis²³³ providentia, si quae aliquando super literis ab Apostolica Sede emanatis dubia oriantur, suae declarationis oraculo tollere, et alias providere, prout temporum et personarum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Alias siquidem fel. record. Clemens PP. VIII, Praedecessor noster, bo.mem. Michaelm Archiepiscopum et Metropolitam Chioviensem, et Haliciensem, ac totius Russiae²³⁴, et cum eo plerosque eius compровinciales Episcopos, et alios tunc expressos, una cum omni eorum clero, et populo nationis Ruthenae seu Russiae, quae cum Romana Ecclesia non communicabat, sed Graecorum Schisma sequebatur, intra gremium Ecclesiae Catholicae, et Unitatem S.R.E. uti membra sua in Christo sub certis modis, et forma recepit, univit, adiunxit, (f. 197v) annexuit, et incorporavit, prout in dicti Clementis Praedecessoris sub plumbo desuper, sub data Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDXCV, X. Kal. Jan. Pontificatus sui Anno quarto expeditis literis, plenius continetur. Cum autem sicut Venerab. Fratris Josephi, Archiepiscopi moderni Chioviensis et Haliciensis nomine²³⁵, nuper expositum nobis fuit, non desint qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem inducti, sibi persuadeant Romanam Ecclesiam per Unionem praemissam eorum Ritus et Caerimonias in Divinis Officiis et Sacramentorum administratione tollere et extinguere voluisse, unde scandalum multorum provenire dignoscitur, ea propter nos ex pastoralis Officii debito, inimico homini, bono semini superseminandi zizania occasionem auferre, et errorem huiusmodi ex mentibus hominum evellere, ac scandalis occurrere volentes, nec non literarum praedictarum tamquam praesentibus pro expressis habentes, suppositionibus dicti Josephi Archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes Sacros Ritus et Ceremonias, quibus rutheni Episcopi, et Clerus iuxta SS. Patrum Graecorum instituta in Divinis Officiis, et Sacrosancto Missae sacrificio, caeterorumque Sacramentorum administratione aliisve sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per Unionem praemissam tollere aut extinguere, Ecclesiae Romanae intentionem, mentem, et voluntatem non fuisse, nec esse, neque id dici, aut censeri potuisse, nec posse, quin immo dictos ritus eisdem Ruthenis Episcopis, et Clero ex Aposto-

²³³ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 359, nr. 255, de data 10-XII-1615.

²³⁴ Michaël Rahoza, Metropolita Unionis Berestensis (1588-1599).

²³⁵ Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637).

lica benignitate permissos, concessos, et indultos esse sicut ex literis praefatis, et Concil. Florentino appetet, et ex instituto Collegii Graecorum Urbis nostrae nec non Alumni de Ritibus huiusmodi servandis, sicut accepimus, iuramentum praestant, tenore praesentium decernimus, et declaramus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die decima Decembris M.D.CXV., Pontificatus nostri Anno undecimo.

S. Cobellutius.

Ex dictis satis abunde constat non fuisse nec esse mentem Summorum Pontificum tollere Ritum Graecum, potius illum promovere. At si licet cuivis transire de Ritu Graeco ad Latinum, interire necesse est Ritum; quod sic probatur. In scholis Latinorum 200 fere iuvenes nobiles Rutheni quatuor annis transeunt ad Ritum Latinum, in aulis et militia fere totidem (f. 198). Iam quaero: post decennium quid remanebit ex Nobilitate apud Ruthenos? quomodo ergo non interibit Unio, si non erunt qui servent et defendant Unionem? Dices: Manebunt Rustici. Contra. Ruet nihilominus Unio, quia Rustici non defendent Unionem a Schismaticis; viles enim sunt, et mancipiorum instar maiorem depressionem a suis Dominis sustinentes in hoc Regno, quam alibi in toto Orbe terrarum. Neque ipsi permanebunt in Unione, sicut enim facile fiunt Uniti, ita et Schismatici, propter suam simplicitatem, incapacitatem et animum abiectum. Unde quae pars esset potentior (potentior autem esset Schismaticorum in qua essent Nobiles) illam sequerentur. Item Schismatici assumpserunt sibi Comitia pro potentissimo et unico medio ad opprimendam Unionem. Quae ut habeant pro se ordinant omnia alia media, de quibus in primo impedimento dictum est. Jam si non habebimus Nobiles unitos, quis nos defendet, supposito etiam quod Latini defenderent? Statim enim Latinis respondebunt Schismatici: Quid vobis cum Ruthenis? Vos inimici estis non tantum nostri, sed ipsorum etiam, quos defendere contenditis, Unitorum, dum Ritum ipsorum tollitis, non defensores ergo estis Unitorum, sed destructores. Longe vero defensionis diversa erit ratio, si Schismaticis Nuncius obiciemus unitos Nuncios. Et haec est principalis ratio propter quam Schismatici, ducti zelo retinendi Ritus suos, fugiunt Unionem, in qua vident esse portam apertam, ut exeat ad Latinos, et esse clausam ne veniant Latini, et sic interrituram Unionem. Non equidem negamus Suam Sanctitatem pro potestate sibi a Christo concessa posse concedere Ruthenis, ut sine peccato transeant ad Latinos Ritus. Verum rogamus, ut consideret an hoc expedit facere. Multa potest tollere Sua Sanctitas, multa instituere, sed quia non expedit non facit. Prudentissimi quoque suadent, quae protinus auferri non possunt, committenda esse tempori ipso, optimo magistro, ut emendet.

Secundo. Quia ista licentia transeundi est et erit semper nutrix dissensionum, odiorum, querelarum inter nos et Latinos. Quo enim fieri potest ut sit amicus Ruthenus Latino? ille, quanta vi poterit, ad suos Ritus pertrahere conabitur, hic quanta vi poterit retinere. (f. 198v) Quomodo etiam Unionem et pacem colet Latinus cum Rutheno? ille, ut pertrahat Ruthenum ad suos, vituperabit caeremonias Graecorum; hic ut retineat in suo Ritu Ruthenorum, laudabit suos ritus ac latinos improbabit. Ita ex alieno incommodo suum quis-

que commodum parabit. Cum his inquam comparationibus, quae semper solent esse odiosae, cunsensio animorum consistere nullo modo poterit; inter illos nihil in commune consuli, nihil ad omnium salutem referri poterit, nulla totius corporis Ecclesiae cura istiusmodi hominibus erit, hoc solum utile cuique erit, quod alteri nocebit.

Et veremur vehementer ne imbecillitate humanae inconstantiae eo res deveniat aliquando, ut liberos, propinquos et affines suos Rutheni non amplius mittant ad scholas Latinorum vel conciones, ne mox ab inuente aetate Ritus Latinos imbibant. Hoc autem si fuerit, non video quomodo pacem internos colere poterimus. Magna enim est vis et magnus ut religionis ita et Ritus. Exemplorum instar sint Ordines Religionum, zelantes quique pro suo instituto, et pro sententiis theologicis sui Ordinis Doctores. Etsi existentibus sub iisdem Ritibus non licet uni Ordini alterius Ritus vituperare, vel personas passim admittere ad suum, incolumi amicitia, quin protinus eam dissolvi necesse sit, quid mirum, si idem defectus et eadem imbecillitas reperiatur inter duos dissidentes in Ritibus? Quid quod sicut licentia ita et transitus ipse sine contemptu (qui plerumque etiam solet esse causa dissensionis) sanctionum a Sanctis Patribus Graecis institutarum ac receptarum non potest esse? Maiorum instituta tueri, sacris ceremoniis retinendis Sapientis est; et patrios Ritus deserere ac violare ubique gentium nefarium habetur. Unde concludo, licentiam transitus dare Rutheno ad Latinos Ritus nihil est aliud, quam pacem et unionem animorum tollere e medio, intestinorum odiorum et dissidiarum ac querelarum materiam perpetuo ministrare, alere, fovere. Quod experientia multis iam notum est. Erant enim aliqui in quibus multum laboravimus ut converteremus a Schismate, postea, ubi facti sunt Catholici, et erant valde necessarii ad promovendam Unionem, abstracti sunt a Latinis cum magno dolore nostro, damno Unionis, et exprobratione Schismaticorum. Cum ergo semel constituti ae omnium consensu probati Ritus nostri sint, ne posthaec vituperentur et contemnatur. Per vos, SS. Patres, Custodes Sacrorum, cendum ut omnes aditus odiorum et querelarum intercludantur, et praesidia Unionis muniantur.

NON ESSE LICENTIAM TRANSEUNDI UTILITATI REI CHRISTIANAE PROBATUR (f. 199).

I. Quia res catholica inter Ruthenos eiusmodi licentia pessumit, et detrimentum maximum patitur, accedentibus in dies nobilioribus filiis ex nostro Ritu ad Latinum. Aqua vino admixta reddit illud moderatius. Sie in Republica atque adeo in ipsa etiam Ecclesia Nobiles admixti plebeis, temeritatem reverentia sui reddunt moderationem; et ut compertum est omnibus Ecclesiam stare cum religione plebeiorum, tum maxime Nobilium, atque eam Ecclesiam firmam esse fortunatamque, quae plurimos habet ex potentioribus Sectatores. Ita nemo negabit ad propugnandam conservandamque in hisce septentrionis partibus inter Schisma et Haereses Christi religionem permagni interesse, si habeamus multos ex Unitis nobiliores, quorum exemplo converventur Uniti, et abhorrentes ad Unionem vel revocentur vel comprimantur. Nam sicut in temporali Republica homines nobiles ac perdivites utilissimi prae aliis iudicantur, ita in Ecclesia, quia sunt veluti capita, quae alia membra dirigunt, velut ossa fortissima, quae mollem carnem plebeiorum hominum fulcunt atque sustentant. Apud Hierem. Treno 1: cum populus iudaicus raptus

in captivitatem babylonicam desperaret se ad antiquam libertatem redditum, causam suae desperationis reddit in hunc modum: Audi, inquit, cur putem me in pristinum statum non restituendum, quia omnes magnificos meos Dominos de medio mei, qui erant quasi vinculum connectens membra Reip. et quasi basis et firmamentum eius, unde auxilium aliquod sperari potuit, ablatos cerno. Ita nunc Graeci, et nos paulo post dicemus, vel iam dicere possumus: Homines non habemus, qui rem christianam inter Ruthenos promoveant; a Latinis deserti sumus, ut plurimum, iuventus nobilis, splendor et praesidium nostrum, ademptum est nobis per scholas et in scholis.

II. Quia impedit conversationem Schismaticorum, qui maxime hoc retardantur ad ineundam Sanctam Unionem una nobiscum, quod putent illam nihil esse aliud quam rete Ruthenos a Graecis Ritibus pertrahendi ad Latinos, vel sucum quendam et speciem Unionis, ut tandem gradu facto Latini evadant. Et certe, quamdiu haec licentia durabit, frustra volumus ut reliqua turba Schismaticorum in septentrione ad Unionem redeat. Semper enim nobis invitabibus ad Unionem respondebunt, sicut nunc respondent: assecurate nos si accesserimus ad Unionem, nos et liberos nostros tuto permansuros in Ritibus Graecis. Iam si ferretur Decretum, nullum praetextum haberent permanendi in suo schismate, et nos molestandi haec sua responsione, sicut nunc habent.

ESSE LATINIS IPSIS NOXIAM LICENTIAM TRANSEUNDI AD LATINOS RITUS PATET.

I. Inde quia plurimum detrahit nomini et existimationi Latinae Ecclesiae, atque adeo ipsius fidei catholicae dignitati. Cum enim passim nostri Ritus homines ad Ritus Latinos admittantur, quantam putat dari occasionem obteretandi longe lateque diffusae latini nominis celebritati, adversariis tam nostris quam Latinorum? dum subito crebris fama rumoribus, falsa involvens veris, totam per Russiam, indeque per Moschoviam vulgat, deceptos Pastores Ruthenorum a Latinis et per Pastores ipsos Ruthenos, qui sub splendido praetextu Unionis sensim sine sensu minuuntur ac perdunt, transeuntibus contra pacta Unionis iisdem indulgentia Summi Pontificis ad Ritus Latinorum. Fama malum vires acquirit eundo. Providendum ergo Beatitudini Suae ne hac concesione publica Latinae Ecclesiae existimatio amplius laedatur, laceretur, et in odium maius ac maius veniat.

II. Quia per illam magnum scandalum datur a Latinis Unitis Ruthenis pusillis, etsi sit illud forte passivum solum. Querentur enim illi perpetuo, ignes subiicientibus Schismaticis, fidem semel datam violari, se contemni, quod Latinis non detur transitus ad nos, Ruthenis detur ad Latinos, praecognitam habent opinionem, Unionem, quae utrique parti non est aequalis, non esse Unionem, sed unius potius partis oppressionem. Quid est, inquit, aliud Ruthenum ad suos Ritus suspicere, et Latinum ad nostros transire prohibere, quam nostra suffodere, ut ait Tertullian., ut vestra aedificetis? Atque hac durante transeundi licentia desperant meliora, ut solent, miseri: quod metuunt nimis, nunquam amoveri posse nec tolli putant. Prona est timori semper in peius fides. Inde turbatio. Seinditur incertum studia in contraria vulgus. Ex eodem fonte oritur livor, perpetuae querelae, aversio quaedam animorum. Odimus accipitrem quia vivit semper in armis. Huic illorum opinioni praecognitae difficile est satisfacere. Si respondemus quod non sit aequalis transitus nostrorum

ad Latinos, et illorum ad nos, quia in transitu ad Latinos nullum est periculum salutis, immo plurima auxilia animarum ad salutem, in transitu autem Latinorum ad nos est periculum, ob defectum idoneorum Pastorum, non, inquam, vulgus hoc capit, potiusque exacerbatur, quam placatur. Quomodo, inquit, tot saeculis aequalis ratio esse potuit, cur sicut Latinis non licuit decreto Canonum ad nos, ita nobis ad Latinos transire?

Vehementer obsecramus SS. Patres, ut S. Congr. paululum apud se consideret, quidnam sit omnium Ruthenorum animos a S. Sede Apostolica alienari; quid Unionem (f. 200) reddi odiosam, quam facile levitas ingenii humani, maxime laesi, migrat in hostem; quid aperiri ianuam Schismaticis nobis sub-sanandi; quanta pietatis ruina inde sequatur; quam acerbum sit ab his, quorum nos fidei credidimus, sperni, et tot damnis, quae infra enumerabimus, affici: quam durum pati sibi extroqueri de manibus tantam multitudinem quasi praedam partam tot annis, tot laboribus. Haec, inquam, consideret, et simul auxilium impendenti periculo ferat, nec rem non tam Ruthenam quam catholicam pessumire sinat. Interim uno verbo sit dictum a nobis permodum corollarii, supposita vulgi pertinacia: Nunquam est fidus affectus inter partes in Ritibus dissidentes, si non sit ius aequale adeoque leges, ut Summi Pontifices transire ad alterutram partem sanctissime prohibuerint.

ESSE DAMNOSAM NOBIS EX MULTIS LIQUET.

1. Ex hac facilitate transitus a Ritu ad Ritum quae istis paucis contigerunt mensibus aperiemus. Sub tempus proxime praeteritorum Regni Comitiorum aliqui ex Monachis S. Basilii, et quidem Superioris ipsorum et alii cum illis, qui videbantur doctrina aliis praeccellere, turbarunt vehementer Monasteria sibi vicina, consultantes immo concludentes transitum ad aliquam Religionem unam vel diversas Ritus Latini; quod primum processit ex pusillanimitate, putabant enim in dictis Comitiis Unionem pessumituram; post Comitia autem, quando intellexerunt nondum esse res nostras pacatas, pertaesи continuarum a Schismaticis, quibus nos affligunt molestiarum, et quia diminuebatur numerus Unitorum ex transitu libero, nec auxilia a Latinis videbant, in eodem proposito confirmati sunt; et quidem hoc clam facere conabantur. Sed res prodiit in publicum, tam per literas quibus aliorum Monasteriorum Monachos in suam societatem pertrahere nitebantur, quam per scriptum inter Fratres sparsum, quibus ad id faciendum ipsi movebantur rationibus. Eo res devenit, ut petierunt admitti ad unam Religionem Latini Ritus, praevia dispositione Suae Sanctitatis, quod ipsis ab illa Religione denegatum est. Confugerunt ergo ad alios, in quibus habent sibi addictos, qui promittunt dispensationem a Sua Sanctitate pro ipsis se obtenturos; si hoc ad effectum dederent, adferrent ruinam Unioni maiorem, quam si universam suam potentiam evomeret infernus contra illam; et quidem persenserunt id Schismatici, et eosdem Religiosos (f. 200) hortati sunt, ut potius migrant tempestive ad Latinos, antequam per vim eiificantur ex Monasteriis. Plurimis ergo evenerat id ex pusillanimitate, nonnullis ex desiderio vitae laxioris; cum enim vigeat in hoc nostro Ordine perpetua abstinentia a carnibus, ad quam et ipsi Episcopi obligati sunt, praeligunt sibi potius esse in quavis Religione Ritus Latini; et iam de facto a Patribus S. Francisci Conventualibus aliqui eorum erant acceptati. Aliqui etiam, quibus gravis est obedientia et premit metus disciplinae

claustral, nisi mitius agatur cum illis, statim minantur transitum. Gravia haec sunt nobis et valde damosa, nunquam anim disciplinam religiosam, nisi huic libertati transitus occurratur, retinebimus, vel laxatam in statum pristinum restituemus.

II. Haec licentia est damosa; est enim ruina templorum nostrorum, quia non sint qui veniant ad solennitatem, Ruthenis partim transeuntibus ad Latinos, partim in Schismate remanentibus; ipsa tempa inornata iacent, cum a quibus ornari debuere non visantur. Ornat scilicet ex suo pauperculus Pastor an Colonus sive Rusticus manens in Unione, vix cibario atque pane abundans et aquae potu; ornarent autem Nobiles, si non transirent, si non pietate, saltem pudore dicerent: Ut ego volutor in serico, altaria autem Dei mei tam pannosa? Atque hinc etiam Sacerdotis maiestas eo deieicit, ut pannosus ille incedat, alias mendicet, cui malo antea occurrebatur opulentiorum liberalitate; ut enim Sacerdotem latinum nimiae opes invidiae, ita nostros inopia nimia contemptis obiicit.

III. Quia est ruina iurisdictionis nostra. Est enim licentia haec transundi in primis valde onerosa Pastoribus nostris. Persuadeat Sua Sanitas singulis annis Nobiliores adminimum 200 transire in toto Regno, Plebeios si non plures saltem totidem: post aliquot annos quae tandem nostris Pastoribus oves remanebunt? Infinitum solum non exhaustur. At Rutheni cum sint pauci, praesertim ex Nobilibus, facile exhaustur, et nunc fere sola restat turba, servitiis exercendis colendisque agris deputata, vel saltem cum tam paucis Nobilibus, ut temporis anteacti collatione nulli censeantur. Quomodo Patres habebimur sine filiis, ut verbis utamur Optati: Principes sine tyronibus, Magistri sine discipulis, antecedentes sine sequentibus, inquilini sine domo, hospites sine hospitio, Pastores sine grege, Episcopi sine populo? Aliis transeuntibus ad Latinos, aliis remanentibus in schismate, aliis ad partes Hæreticorum abeuntibus! Quomodo nobis illud quadrabit Actorum 20: attendite vobis, (f. 201) et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo? Esto nos adhuc habeamus aliquos; at qui nos sequentur quid hebebunt? Bonus autem civis non modo cogitat quam civitatem habeat, sed qualem relinquat. Quomodo Concilii Tridentini decretum observabitur, Sess. 24, Cap. 13: de reform., ubi ait: In his civitatibus et locis ubi nullae sunt Parochiae, vel Parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, Episcopi pro tutiori animarum eis commissarum salute distincto populo incertas ac proprias Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochium assignabunt, qui eas cognoscere valeat. Si cuique Rutheno arbitratu suo integrum erit Ritui nostro valedicere, certe nullum populum, quem regamus, habebimus certum. Non complectetur Ecclesia nostra misera oves nisi instabiles et vagas, de quarum manendi in Ecclesia nostra vel abeundi voluntate quicquam certi statuere possimus, soli Latini in hoc gratis erunt foelices.

Magnum inconveniens et pessimum Ecclesiae regimen putant Doctores esse, si omnibus liberum esset eligere confessarium et subiicere se cui quis vellet. Multo certe maius inconveniens est dare licentiam relinquendi Ritus suos, et subiiciendi se cui velis. Ideo quantum ex Historiis et Decretis

colligitur, nunquam ita factum est in Ecclesia. Hinc Concil. Trident., Sess. 14, Cap. 9: de reform. ait: Iure optimo distinctas fuisse Dioeceses et Parochias, et unicuique gregi proprios adhibitos Pastores, et inferiorum ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur etc. non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint. Porro haec licentia transitus hanc distinctionem semel factam penitus tollit, et confundit. Est eadem licentia multum contraria convenienti regimini animarum. Quomodo poterimus munere nobis iniuncto fungi et baculo pastorali quem ferimus? Quomodo oves ad bona pascua adducemus, et renitentes revocabimus censuris et aliis poenis ecclesiasticis? Simul enim ac hoc fecerimus aut transibit aut minabitur transitum.

IV. Putamus notum esse Romae, quid ante paucos annos fel. mem. R.mo Hypatio Pociey, Metropolitano nostro²³⁶, uni ex authoribus huius S. Unionis evenerit Vilnae in Lituania ab uno siccario schismatico, qui ausu nefario seeleratas in ipsum iniecerat (f. 201) manus, amputatis tribus digitis manus, quam, ut iectum gladii vibratum in caput averteret, obiecerat. Quid item accedit praesenti Metropolitae Leopoli in Rubra Russia, ubi per pulsum campanae seditio in plebe facta, gladii vibrati, bombardae contra ipsum directae erant. Quid Episcopo Polocensi²³⁷ moderno Mohiloviae in Alba Russia, ubi appropinquenti ad civitatem, dum visitaret suam Diocesim, portae sunt clausae, tormenta bellica obiecta, et plebs armata famulos iam raptabat, et Episcopum aditu prohibuit. Quid item primo Authori Unionis, Michaeli Rahozae²³⁸, Metropolitae, qui in civitate ducali Slucensi lapidibus impetratus, et ferme obrutus erat, nisi illum Rhoeda, qua vehebatur, texisset. Unde etiam a Domino illius loci in memoriam huius facti paena pecuniaria in singulas domos imposita est, quam nunc etiam Dominus loci, licet sit Haereticus, qui successit in illa bona, exigit ad ipsis fideliter.

Fingat iam animo omnes Nobiliores transisse ad Latinos Ritus (quod certe brevi fiet, nisi Sua B. iverit obviam) et solos remanere Schismaticos; quid fiet, quaeso? nonne omni humano praesidio destituti, per omnia dura hactenus, et aspera exerciti, misere vexati, et fessi, Schismaticorum et Haereticorum manibus et crudelitati exponemur? Cum vellet Deus Iudam hostili pede conculari, eripiebat illi de medio fortis et electos omnes, praesidium et decus, qui futuri videbantur hostibus obstaculo, in quod festinantium ivere pedes et impingerent. Ut ergo estis in religionem catholicam, et in pietatem eximie affecti, ita et illos, qui religionis et pietatis causa multa subeunt, non permittatis pede Schismaticorum et Haereticorum conculari, quin potius illos toto animi conatu defendatis et adiuvetis; adiuvabitis autem, si eos nobis relinquereis, quis nobis sint scutum contra illos.

V. Quia Schismaticorum et Haereticorum ludibrio relictii sumus cum irrisione. Videntes enim Schismatici et Haeretici quasi opibus quibusdam iuvenibus spoliari nos a Latinis exultant et insultant cum magno plebiculae scandalo. En, inquiunt, quibus confidebant, cesserunt in praedam et filiis suis repente

²³⁶ Ann. 1600-1613.

²³⁷ Agitur de Archiepiscopo Polocensi Josaphat Kuncewycz. Relationem suam, ut videtur, scripsit Metropolita adhuc ante tragediam Vitебscensem, in qua Servus Dei Josaphat morte martyrum accubuit, die 12 Novembris 1623.

²³⁸ Ann. 1588-1599.

orbat sunt. Omnia bona vobis cum Unione adventura sperabatis, iuventutis retentionem in vestris Ritibus, contra Haereticorum fraudes privilegia canonis et fori, immunitatem ecclesiasticam, securitatem bonorum vestrorum; sed quam falsi sitis videtis, immo novissima vestra peiora prioribus. Eripientur vestri filii a Latinis sub pulchro nomine Unionis, unum aperte vobis proponitur, alterum celatur (f. 202). Proponitur vobis esse Graecorum bonas caerimonias et sanctas, posse vos in illis permanere sine ullo salutis dispendio, unicuique iura sua integra et inviolata se relicturos. Speciosa sunt haec; at quae celantur sub hoc specioso nomine videtis. Hocne est Unionem habere, et non potius insidias occultatas fovere? Apagete cum hac Unione, latet anguis in herba. Quam dolemus miseram vicem vestrarum, vel hoc solum nomine quod ab iis hoc patiamini, quorum fiducia nos deseruistis, et Vestrum Patriarcham, a quibus nunc nihil opinantes spoliamini, et opprimimini, et quidem eo magis dolemus quod hoc non advertatis! Sed bene est, quod huius vestrarum secessionis Deus poenas exigat per ipsos vestros amicos. Hae, inquam, et his similes voces multum nos affligunt, et pusillos turbant. Sua Sanctitas ora impudentum hominum liberali edicto claudat, et occasionem harum vocum tollat, omnibusque his malis nostris occurrat, quae si pullulent, necesse est rerum perturbationes excitari, etsi quam maxime in concordiam velis eos redigere.

ESSE LICENTIAM PRAEDICTAM IPSIS TRANSUENTIBUS SUPERFLUAM ET NON NECESSARIAM PROBATUR.

Ut ostendamus transitum Ruthenorum ad Ritum Latinum ipsis transeuntibus esse superfluum, simul ad rationem, qua se moveri ad talem transitum asserunt, respondebimus. Motivum propter quod transeunt Rutheni uniti ad Ritum Latinum non est id quod asseritur a defendantibus hunc transitum, inopia scilicet idoneorum Pastorum, sed multa alia. Pueris scilicet et adolescentibus, qui in scholis Latinorum versantur, a condiscipulis irrisiones, a Praeceptoribus persuasiones, et munuscula, quae ipsi maximi faciunt. Confiteri etiam debent ex Regulis Scholarum Patrum Societatis Jesu singulis mensibus, et confitentur ibidem in Collegio et sic assuescunt ab ineunte aetate ad Ritum Latinum; et tamen in iisdem civitatibus sunt ecclesiae nostrae, et in iis confessarii uniti, in fide non suspecti. Ad hos igitur pro confessione et Communione remitti deberent, prouti de facto fit Vilnae. Adultis non coniugatis est motivum aula et militia, ubi vel non sunt, vel raro sunt Sacerdotes Rutheni uniti. Sed his nos concedimus, quando petunt facultatem a nobis, ut confiteantur apud Sacerdotes latinos, et communicent, ubi non habent copiam proprii Sacerdotis uniti, tantis per donec redeat quilibet ad locum suum, et ad Sacerdotes suos; sed quia parcissimi sunt qui pro hoc faciendo a nobis facultatem accipiunt, propterea postquam semel confessi sunt et communicarunt apud Latinos, deserunt Ritus suos. Provindendum (f. 202) ergo esset, ne ulli liceat confiteri apud Latinos sine facultate Ordinariorum loci unitorum. Calendarii diversitas multos Unidos astraxit a Ritu Graeco. Nostri enim Antecessores, qui renovarunt Unionem, non conformarunt se Ecclesiae Romanae in Calendario, consulendo plebi infimae; in quo etiam indultum est a Clemente VIII. Cuius Calendarii diversitati et nos cuperemus auferri, sed putamus nondum expedire, praescinderetur enim spes ad conver-

sionem simpliciorum Schismaticorum, quin immo daretur occasio aversionis totalis a nobis. Illis, qui inserviunt Dominis latinis, concedimus absolvere festa secundum Calendarium noviter correctum; et qui non potest habere propriam culinam, nisi Domini sui latini, ut observet ieunia Latinorum, quoque ipsis inserviunt, et haec est praxis nostra, quam examinari et approbari si est bona, prout nobis videtur, cupimus.

Aliis motivum est vigor ieuniorum in Ritu Graeco, quem ut fugiant, transeunt ad Latinos. Sunt enim praeter ieunium Quadragesimale, tria alia; sed in his facilius dispensamus Saecularibus. Aliis mera offensa contra nos. Quod contigit cum aliquot, specialiter autem cum uno, qui fuit primarius in magistratu civitatis Vilnensis, et ad Unionem promovendam valde necessarius; nullum hic habuit confessarios unitos Vilnae, et nunquam conquestus est, nec conqueri potuit de hoc, sed quia paulo mitius processimus in absentia ipsius cum Schismaticis incarceratedis in Praetorio Vilnensi, offensus nobis deseruit nos. Unde Schismaticis data est magna occasio effutiendi quaeviis contra Unionem; praeterea deseruit hie quando fuimus in arduo certamine contra Schismaticos, et nullus ipso fuit tunc magis necessarius. In quo non satisfiebat nobis, immo Ecclesiae Dei a quibusdam Religiosis Latini Ritus, qui non tantum permiserunt hoc facere ipsum tali tempore, sed etiam ut faceret incitarunt. Obsecramus igitur ut praeterita corriganter, et occurratur imposterum ne fiat quid simile. Si necessitas viserit transire aliquem ad Ritum Latinum, non fiat hoc pro arbitrio illius, qui transit, nec alterius personae quae illum acceptat, sed cum facultate Summi Pontificis, quae facultas obtineatur ex accepta informatione a Nuncio, qui tanquam propior cognoscet causam huius transitus sitne legitima vel non sit, accepta notitia a Metropolita Rutheno. Monachis autem unitis totaliter claudatur via ut praescindatur occasio variarum turbationum et dissolutionis religiosae disciplinae, nisi ipse Metropolita pro dispensatione intercesserit. Ut autem satisfiat illis, qui asserunt necessarium esse transitum ob inopiam idoneorum operariorum apud Ruthenos, ista dicimus.

(f. 203) I. Concedat Sua Sanctitas Religiosis solis auxiliaribus Latinis, de quibus supra, generalem facultatem audiendi confessiones Ruthenorum passim, aliis autem Latinis tantum in articulo mortis, etsi placet etiam in gravi necessitate, qualis est annua confessio, supposito difficiili accessu ad suum Ministrum idoneum. Sicut apud Latinos quando Parochus est ignoras seu ineptus ad Sacramentum confessionum administrandum, ad summum se habent oves eius tanquam carentes proximo iudice in hoc foro, non autem tanquam omnino carentes proprio Pastore, et ideo tenentur semper licentiam eius postulare. Quanto magis id asserendum est de Ruthenis nostris, qui volunt transire ad Latinos propter Pastores ineptos nostros ad Sacramentum hoc administrandum.

II. Confirmetur praxis Episcoporum unitorum de qua supra, secundum quam quovis Unito concedunt uti consiliis et auxiliis spiritualibus apud Latinos, dummodo ab ipsis tanquam a Pastoribus suis petant facultatem, et tunc nullum plane timendum est periculum animae ob inopiam indoneorum Ministrorum. Quodsi hoc fecerit Sua Sanctitas, utriusque parti satisfacet. Satisfaciet Latinis illis, qui desiderium iuvandi omnes atque ad Christum producendi habent, quo erga Ruthenos populos tanto ardenter inflammantur,

quanto eos vident reliquis ob defectum idoneorum Pastorum miseriores. Quam sitim explore poterunt in primis christianam doctrinam eos docendo, illorum excipiendo confessiones, etsi opus fuerit baptisando, aut ministrando illis Sacramentum Eucharistiae, in aliis iuxta suum Ritum relinquendo illos, quoad festa scilicet, ieunia, officia Divina et caetera, quae ad Ritum pertinent, idque eo usque, donec apud Ruthenos erit sufficientia Pastorum idoneorum. Cessabunt quoque ex parte Ruthenorum illa omnia incommoda, quae supra numeravimus. Reddet eos benevolos ut recte de Latinis sentiant. Excitabit in illis tanta sua benignitate incredibilem laetitiam, erga omnes Latinos mirabilem affectum. Claudet ora obtrectantium Sedi Apostolicae et Unioni. Auferret occasionem turbandi oviculas sibi unitas. Quae sine Dei offensa, et Fratrum iniuria possunt omitti, omittantur prudentissime a sapiente et provido Reipublicae religiosae administratore. Haec licentia, ut patet, potest omitti sine Dei offensa et Fratrum iniuria. Rogamus igitur, ut non amplius locum in Ruthenis habeat.

(f. 203v) Nec ab hoc consilio avocet Suam Beat. quorumdam inanis turbatio, et vana prorsus cogitatio, ne forte ad pristinos redeamus mores, quod aliquando usu venit Graecis. Quamdiu enim affectum paternum in se experientur Rutheni Sedis Apostolicae, quamdiu penes Serenissimos Reges Poloniae, et Magnos Ducees Lituaniae erit Ius Patronatus in beneficia ecclesiastica Ruthenorum, quamdiu liberalitas Sedis Apostolicae in fovendis et educandis iuvenibus Ruthenis partim Romae, partim in aliis locis durabit, omen Deus hoc a nobis avertet, nec ulla unquam timenda erit secessio. Ex iis enim iuvenibus, qui liberalitate Suae Bnis educantur, aliqui eligentur ad Metropolitani officium, aliqui ad alia officia, iis autem permanentibus necessario alii permanebunt in Unione. Ut interim taceam aliorum, qui in Religione sunt institutionem, qua paulatim imbibunt hunc affectum, ut potius mortem eligant, quam Unionem deserant. Porro iuventutis quam fecerit fundandam eam vos perpetuo structuram reliquae aetatis existimate. Nec solum nostri Rutheni in semel data fide et obedientia permanebunt, sed spes est magna ut illos etiam, qui nondum sunt sub obedientia Suae Sanctitatis, perducant, et postea ipsam Moschoviam. Tantummodo Sua Sanctitas aperiat in hoc viscera suae charitatis.

QUARTUM IMPEDIMENTUM

Primum: Praeposterus quorumdam Latinorum catholici nominis- sensus, quo licitum sibi persuadent bona Ecclesiarum nostri Ritus vel convertere in suum usum, vel applicare ad usum Ecclesiae Ritus Latini, propria autoritate. Quod in multis locis factum est, et nunc fit. Immo auferuntur integra Monasteria in quibus assumant suos famulos, equos etc. Monachis autem dant quae volunt. Propterea plurima Monasteria desolata, in quibus nec ullus Monachus reperitur. Denique in ipsos Episcopatus ius sibi vindicant. Abstulerat Dux ab Ostrog, archischismaticus ex odio Unionis, medietatem Episcopatus Luceoriensis itemque medietatem Episcopatus Pinscensis, Metropolitae etiam nonnihil; ipse mortuus est et filii ipsius. Omnia bona eius devenerunt in alias familias, quarum omnes sunt Catholicci, restituere autem non volunt, iura sibi supra illa bona monstrari deponunt, quae aliqui nostrum non

habent, ex eo quod in (f. 204) antiqua illa simplicitate apud Ruthenos non scribebantur fundationes et privilegia, qualiter nunc scribuntur, nisi inscribatur in Codice Evangeliorum, qui ex usu Ecclesiae Graecae semper est supra altare; et hoc semper Christiani firmum et ratum habebant; talibus inscriptiōnibus in Evangeliiis robus ablatum est in Comitiis Anni 1607, ad instantiam horum Dominorum; idque propterea, ne iure ipsos de his bonis convenire possimus; de possessione tamen illorum bonorum, quae tenuit Ecclesia, omnibus constat, et maxime illis Dominis catholicis modernis, malae fidei possessōribus. Faciunt illis aliquando scrupulum confessarii; sed parum, ut videmus, proficiunt, quia hucusque tenent et disponunt de illis prouti volunt.

His scandalis occurret Sanctissimus: 1º. Sua sententia decretoria, ut sine consensu Sedis Apostolicae nullus audeat vel usurpare sibi, vel applicare ad usus Ecclesiae Ritus Latini bona ulla Ruthenorum. Qui secus faceret, censuram incurrat, soli Pontifici reservatam, tam is qui applicat, quam is qui acceptet. Sedem autem Apostolicam rogamus, ut non prius consentiat, quam informationem acceperit a nostro Metropolitano de eo negotio. Item si iniungat Nuncio Apostolico, ut ii qui usurparunt hactenus et acceptarunt citentur ac iudicentur ab illo, et si deprehesi fuerint habere bona Ritus Graeci, maxime post Unionem factam, restituere cogantur. Sunt quidem prohibiciones antiquae Ecclesiae, ne bona usurpentur ecclesiastica a Laicis; sed cum plerique sint qui putent bona Ecclesiae Ruthenorum non numerari inter bona ecclesiastica, propterea magno bono Unionis fieret, si saltem declararentur esse talia bona, ac prohibeantur acceptare Praelati pro usu Ecclesiae Latinae.

Secundum: Erroneum quoddam iudicium, quod non tantum sacerdotes, sed etiam Episcopi legitime consecrati, eo ipso, quod sint Ritus Graeci, licet alias sint catholicissimi et laborantes usque ad sanguinem pro Ecclesia Dei et autoritate Sedis Apostolicae, inferiores tamen sint Sacerdotes Rutheni quam Sacerdotes latini, et Episcopi Rutheni, quam Episcopi etiam titulares, qui nec Senatores sunt, nec ullam iurisdictionem spiritualem habent in hoc Regno, sed Vicarii tantum sunt in spiritualibus Episcoporum, habentium iurisdictionem. Cui malo hoc est quoad Suffraganeos Episcoporum latinorum occurrere iam dignata est Sua Sanctitas.

(f. 204v) De Sacerdotibus quod ita sit, probatur; pereutiuntur enim a quovis sine ulla religione excommunicationis. Ab ipsis Dominis, hoc est qui habent Ius Patronatus illius Ecclesiae, cuius ipsi sunt Parochi, trahuntur ad ius, iudicantur, condemnantur, carceribus et aliis poenis afficiuntur. Multi Nobilium eo impietatis deveniunt, ut laborare eos tanquam proprios Colonos faciant, et nisi faciant, puniunt taliter, qualiter ipsi volunt. Ne igitur sacerdotes Ritus nostri a Laicis iniuria afficiantur, consultum esset si declarabitur illos etiam in illo canone: Si quis suadente etc., contineri. Tenuissima provisio Sacerdotum saecularium nostri Ritus magnum est inter alia impedimenta, quod Unio non procedat. Non facile emergunt quorum virtutibus obstat res angusta domi.

Propterea non audent cum illa libertate, qua deberent, peragere munia parochialia, insurgere fortiter contra schisma, responsum habentes Dominorum, in quorum bonis manent, itemque Parochianorum, ex quorum oblationibus et elemosinis vivunt. Provisiones ipsorum tales sunt, ut ipse suum agrum, si quem habet, colere debeat, et vere in labore vultus sui comedere

hoc modicum panis; unde nec ad libros, ut possint docere alios, nec ad Officium Divinum, ut illud absolvant, p[ro]ae isto labore possunt vacare.

De Episcopis et ipso Metropolitano notum est, illos autoritatem publicam vel modicam vel nullam in hoc Regno habere. A Comitiis enim palam excluduntur, nec ipsis licet in propria causa ed defendendam suam innocentiam, etiam tunc quando accusantur publice tanquam turbatores pacis publicae, quiequam dicere, et magnae id debilitati ducitur, si cui nostrum permittuntur aliquot verba. A Conventibus autem Nobilium vel abesse debent, ne dishonorarentur, dum locus ipsis sessionis non conceditur etiam ab ipsis Catholicis; et si absunt, cum damno Unionis absunt; tunc enim quidlibet statuitur contra Unidos, nemine repugnante; vel si locum honoratum pro suo statu in talibus Conventibus habere volunt, obsequiis suis, precibus, et ferme precio emere illam gratiam coguntur. In Comitiis, dum adsunt, adesse autem procurant licet cum magno dispendio facultatum et valetudinis sua, debent stare post terga Senatorum, inter Canonicos et alios Sacerdotes Ritus Latini, cum magna indignatione et vilipendio status sui hierarchici, cum irrisionebus et exprobationibus Schismaticorum et cum magna aversione pusillorum a S. Unione.

(f. 205) Commodissime possent occurrere istis inconvenientibus Episcopi latini, si nostros Episcopos honorarent ut Fratres suos, vel ad minimum si honorarent ut suos Praelatos, qui non sunt Episcopi; secus autem sit; si venit aliquis Canonicus Praelatus ad Episcopum, praefertur Episcopis Ruthenis in mensa et aliis sessionibus, ipsis ita volentibus, et iubentibus; si vero ex necessitate aliqui veniunt ad ipsos Episcopi nostri facilius quivis ex Clero latino, etiam inferiori admittitur, quam ipsis, licet Episcopi sint eiusdem Ecclesiae Catholicae. In quo frequenter rumpuntur interiora nostra, non propterea quod aegre feramus, sed quia homines sumus, humani nihil a nobis alienum putamus. Non etiam omnes perfecti sumus. Satis est quod hucusque talis indiscretio non aversit nos a S. Unione. Nec avertet, Deo propitio, unquam, etiamsi tanquam purgamenta omnium reputabimur. Saltem laborare pro Unione in Comitiis difficile est sine ipsis, per ipsos enim omnia peragere, proinde adire ipsis et alloqui debemus.

Committatur ergo a Sua Sanctitate Nuncio Apostolico, ut procuret apud Episcopos latinos honorem congruum Episcopis Ruthenis, secundum quod videbitur ipsi magis expedire ad Dei gloriam et Unionis incrementum. Si enim honorabunt nos Episcopi latini, honorabit nos etiam Clerus ipsorum, honorabit status ecclesiasticus, et saecularis; nunc autem vident nos parvifieri, propterea aliqui non reputant nos pro veris Episcopis sed pro quibusdam Chorpiscopis, vel alieuius ordinis inferioris; et propterea in communi colloquio non vocent nos Episcopos, sed Vladicas, et Sacerdotes nostros non dignantur titulo sacerdotis sed poporum. Iste contemptus eo usque deverit, ut in libris contributionum Regni ab anno 1575 scribi caeperit, ut Sacerdotes Rutheni, licet nulos subditos habeant, sed ipsi agrum colant, solvant tantum, quantum solvunt Rustici Nobilium. Et, quod detestabilius est, ibidem additum est, ut etiamsi nulos agros habeant, quos colant, tamen ratione Officii Divini et administrationis Sacramentorum solvant certum censem, qualis tunc imponitur. Quod nec de Ministris Haereticorum unquam scriptum in hoc Regno reperitur; quasi vero isti pauperes

Sacerdotes deterioris conditionis esse deberent, quam illi in hoc Regno Ministri Haereticorum; et qua conscientia ab administratione Sacramentorum exigunt census a Sacerdotibus? Horum absurdorum causa fuit schisma, quod tune vigebat anno 1575; sed nunc, per Dei gratiam, est Unio, et habemus iura tam antiquiora post Concilium Florentinum unitis concessa, quam recentiora sub Clemente VIII, dum renovabatur Unio, quod in omnibus libertatibus et immunitatibus debemus paria habere cum Clero latino, talia etiam Privilegia a Regibus habemus.

(f. 205v) Hinc emanarunt multa alia nobis iniuriosa et valde damnosa. 1º. Si vacat aliqua Parochia, ille qui non vult subesse Episcopo suo Ordinario in Unione existenti, sine consensu, immo sine scitu ipsius currit ad Cancellariam Regiam obtinetque Privilegium advitalicium poponatus, hoc est sacerdotii (sic enim tempore Schismatis in contemptum vocabantur); obtento tali Privilegio, non vult subiacere Episcopo, etiam ad ius saeculare citari non potest, ubi Privilegium Regium intercedit, iudicio autem ecclesiastico non obedit. Huic facile occurretur, si Regentes Cancellariae, qui sunt Spirituales, attendant, ne hoc in posterum fiat; facient autem libenter, moniti a Nuncio Apostolico. Hinc etiam manat, quod Parochi latini accipiant Decimas a Ruthenis, etiamsi ibidem sit Parochus Ruthenus ordinarius ipsorum; alicubi iidem Parochi accipiunt Decimas ab ipsis Sacerdotibus Ruthenis. Praetendunt quidem quasdam excusationes, si tamen ponderantur, videntur esse levis momenti. Maioris momenti certe nostra iura, quippe innixa iuri divino, ut quaevis Ovis agnoscat suum Pastorem, vocem eius audiat, et illum lacte suo pascat, et lana cooperiat, non alienum, quicquid secus fit, videtur praeter ius divinum fieri et violenter.

De omnibus his miseriis siluimus hactenus, tum ut paci ac fraternae charitati consuleremus, tum ut committeremus temporis ipsi, optimo magistro, ut emendet. Sed demum praecipuis quibusque amissis per transitum ad Latinos, et spoliati omnibus ornamenti, caepimus advertere omni humano auxilio nos destitui, radices malorum pullulare, et incrementum in dies accipere. Unde veluti veterno experrecti sentimus unde excidimus, et praeteritum statum cum praesenti conditione comparantes, ipsa recordatione conturbamur, et compellimur obviare, ne ulterius malum serpat; ad vos, SS. Patres, configimus, ac per vos ad pedes Bnis Suae prosternimur, implorantes auxilium in his miseriis nostris.

QUINTUM IMPEDIMENTUM

Coniunctio intima praesentis et subsequentium Metropolitarum cum Nunciis Apostolicis in hoc Regno ad progressum Unionis est vehementer necessaria; quia enim solus Metropolita immediate subest Summo Pontifici, alii autem Rutheni Episcopi ipso mediante, stringatur is vinculis firmissimis, qualia, ut plurimum, sunt vincola amoris. Opere pretium etiam esse putatur, ut huic Metropolitae liceat sibi assumere Coadiutorem, quod iam concessum habet a Praedecessore Suae Sanctitatis, vivae vocis oraculo, eandem a praesenti Sua Sanctitate petit confirmari. Necessitas est (f. 206) non tantum debilitas valetudinis praesentis Metropolitae, quia iam ferme paraliticus est, sed etiam, ut vivente praesenti notitiam et autoritatem sibi comparet, ut eo

facilius adire Senatores et Officiales Regni, ipsum denique Serenissimum pos-
sit, et illis per se non per alios necessitates suae Ecclesiae proponere. Quod
iam nobis concessum est ex benignitate Suae Maiestatis, semper enim conce-
ditur privata audientia non tantum Metropolitae, sed etiam nostris Episcopis.
Denique Coadiutor propterea necessarius est, ut Schismaticis omnis spes pre-
scindatur futuri Metropolitae schismatici.

Metropolitae magnae sunt expensae et quidem tales quales alii Antece-
sores ipsius non habebant. Modica autem subsidia, quibus non tantum autho-
ritatem suam tueri non potest, sed etiam ea quae sunt necessaria muneri suo
praestare. Oportere igitur videtur, ut Episcopi Rutheni iuvent ipsum. Ab
uno habet pensionem, ab alio etiam habet in spe, ut habeat illam etiam ab
aliis in posterum, qui post mortem presentium succendent, et ut habeant etiam
post decessum moderni Metropolitae successores eius. Tempore schismatis sta-
tutum est, ut quolibet triennio apud Ruthenos celebrentur Synodi Episcopales,
et celebrabantur, et quidem cum utilitate; in illis enim praeter alia Unio
S. coepit initium et incrementum; post factam autem Unionem nec semel
fuit; et quia non fuit, consilia et auxilia quae ad res gerendas necessaria sunt,
in unum conferri non poterant. Unus utrumque brachium oneri subiiciebat,
et sub pondere gemebat, alter nec digito tangebat, unde uni huic fuit iniuria,
Semel praesens Metropolita convocaverat omnes Episcopos, non venerunt nisi
3, et istorum aliqui volendo celeriter, hoc est una die omnia absolvere, et ad
sua remeare, dicentes se magnis premi necessitatibus, teneri non poterant, et
ita discesserunt, rebus infectis. Necessarium ergo esset huic inconvenienti oc-
currere. Praeterea quia necessitates occurunt tales, pro quibus symbolum
pecuniarium necessarium est a Metropolita et ab omnibus Episcopis, omni-
bus modis subterfugiunt ut pro quantitate reddituum quilibet suorum dent
certam quotam, dicendo se non habere tales redditus, licet certo sciatur quod
sint. Ante paucos annos magnum accidit inconveniens: dabant donativum Reip.
ad avertendas tempestates, quae tune inguebant, Episcopi latini, debebamus
dare et nos; illi convenerunt in unum, nominavit quilibet pro ratione redi-
tuum suorum, et dederunt sua sponte; nos convenire non poteramus propter
dicta incommoda, et ita in Comitiis scripta est Constitutio in praeiudicium
immunitatum ecclesiasticarum, ut nostri Episcopi Rutheni et Clerus ipsorum
dent donativum tale quale volebant Saeculares, et debebamus cum magna ce-
leritate (f. 206v) persolvere, erant enim paenae in non persolventes consti-
tutae. Putaremus igitur bonum esse ut noster Metropolita moneatur de cele-
brandis Synodis episcopalibus (Diocesanae enim non omittantur) quilibet
triennio, prouti statutum erat, in loco in quo Metropolita assignabit. Duratio
item Synodi una septimana assignetur. Praeterea pluralitas votorum concludat,
Metropolitanus autem habeat duo vota, poena in inobedientes statuatur, et
modus executionis.

Metropolita hucusque et ut plurimum solus ad singula Regni Comitia
veniebat, quae de iure quovis biennio instituuntur, sed annis praeteritis ferme
singulis annis. Alii Episcopi, licet moneantur a Metropolita ut veniant, excu-
sant se hoc vel illo modo, et manent domi cum commoditatibus suis, excepto
uno vel ad summum altero, hisque pauperioribus, qui venire solebant, sed
et illi non semper. Hinc emergunt ista incommoda. 1º. Enervatur Metropolita
tam quoad expensas (unius enim anni redditus in Comitiis consumere debet),

quam quoad sanitatem; cuius tamen vita ad bonum universale, caeteris partibus, magis est necessaria, quam aliorum inferiorum; 2º. Putant Regnicolae unum Metropolitam verum esse Unitum, videndo ipsum in singulis Comitiis, alias minus, colligentes id ex absentia illorum; 3º. Ita ipsi tenentur defendere oves suas a lupis sicut Metropolita; Pastores enim ovium sunt, locus defensionis in generalibus Comitiis, ubi iura alia statuantur, alia abrogantur, et quo semper veniunt Schismatici ad evertendam Unionem.

Aliqui Episcopi Rutheni comedunt carnes publice, quod vehementer offendit non tantum Schismaticos, sed et ipsos Latinos. Schismatici autem abstinentiam a carnibus in Episcopis ferme pro articulo fidei reputant. Dicunt se id facere propter infirmitatem, et se habere in hoc dispensationem a Metropolita. Metropolita vero respondet: se dispansasse tanquam cum infirmis; posita tamen hac cautione, ut comedatio ipsorum sit sine scandalo pusillorum. Si hoc ipsi non servant, sed publice in conviviis vescuntur carnibus, non est culpa Metropolitae sed ipsorum. Incommode praeterea huic adiunctum est, quod Monachi, qui cum illis versantur, eodem modo libere et publice sicut et ipsi carnibus vescuntur, et sic male audit Unio, et propterea simpliciores avertuntur ab ipsa.

Postquam diximus de Episcopis, dicendum erit de ipsorum Clero. Iste est in dupli differentia, regularis et saecularis. Ad reformationem Cleri saecularis fere nullum hucusque modum inveniebamus. Incapacitas enim ipsorum et exigui reditus, et quod sint coniugati, fuerunt nobis ad id mixto impedimento. Ad solum ergo Clerum regularem, qui in Ritu Graeco, ut iam dictum est, principalem locum obtinet, caepimus attendere. Nunc in talem formam, qualis modo est, taliter redegimus.

(f. 207) Praesens Metropolita, veniendo ex Collegio Graeco Romano, induxit in animum iuvare Ritum Graecum catholicum pro posse suo, secundum quod iuramentum Romae ad ipso praestitum exigebat²³⁹. Quocirca peragravit nonnulla principaliora loca Russiae, ipsam etiam Moschoviam, et Metropolim eius Moscuam adiit, invenit, non posse sese alio modo iuvare, quam si fieret Religiosus in Ritu Graeco, quod antequam agere aggressus est, ivit Romam, et post multa cum multis viris spiritualibus colloquia, constituit cum viro singularis sanctitatis et doctrinae, P. Petro, Carmelita Discalceato²⁴⁰, et Generali eiusdem Ordinis, sciente et consentiente Summo Pontifice Paulo V, initio Pontificatus eius, ut ille Pater quatuor sui Ordinis Religiosos mitteret cum ipso in Russiam, qui Ritum Graecum et habitum S. Basilii susciperent, et essent Magistri nostri in via spirituali, et reformatores Ordinis S. Basilii, tunc valde deformati. Facto tali pacto ivit in Lituanię, et Vilnae accepit habitum S. Basilii in Monasterio SS. Trinitatis cum aliquot aliis²⁴¹; ita mansit Novitus cum illis Novitiis, conformando se observantiae religiosae Religionum bene formatarum Ritus Latini, cum quibus ipsi existenti saeculari necessitudo interveniebat, et cum quibus etiam tunc Vilnae conversabatur. In

²³⁹ Rediit in patriam anno 1603. Iterum Romam profectus est anno 1606, ut Sedi Apostolicae programma suum iuvandi Ritum Graecum proponeret. De his cfr. A. G. WELYKIJ. *Joannes Velamin Rutskij in "exitu viarum"*, in *"Analecta OSBM"*, vol. I, Romae 1949, pag. 9 sq.

²⁴⁰ Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

²⁴¹ Anno 1607, mense Septembri, ut traditur. Cfr. supra, *Documenta biographica*.

particulari autem cum Religione Societatis Jesu, cui multum nos debere profitemur, ab illis enim consilia et auxilia bene formanda vitae spiritualis abunde nobis subministrabantur, antequam Roma acciperemus illos Patres; sed quia non reperiebantur tune in Religione PP. Discalceatorum Poloni, nisi forte unus, tantisper differebatur haec missio. Interim dictus Pater moritur, nos etiam apprehenderunt multae calamitates externae a Schismaticis, et internae a nostris Monachis antiquioribus, quibus postquam hoc propositum nostrum innotuit, hoc nomine apud nostros Unitos Ordinis Senatorii, et apud Antistitem nostrum nos in suspicionem vehementer vocarunt, quasi subvertere Ritum Graecum hoc artificio vellemus, et ita passim hoc nomine a nostris met condemnabamur. Non potuimus ergo fieri votorum nostrorum compotes, et propterea non urgebamus hanc missionem Roma. Efficimus nihilominus tantum, ut submoveremus antiquiores, et omnes novi mansimus cum nova forma vivendi, vel satius antiqua, sed in Ordine S. Basilii intermissa. Ingrediebantur interim ad hoc Monasterium nostrum taliter formatum invenes plurimi, potissimum autem studiosi ex (f. 207v) Scholis PP. Jesuitarum, quos procedere in studiis in iisdem scholis iubebamus, liberos faciendo ab occupationibus monasticis, ita in corpus quoddam centum circiter coaluimus, et multiplicari Monasteria cooperunt.

Putabamus autem nos cum auxilio spirituali PP. Jesitarum posse satisfacere nobis; sed postquam aliqui, qui pro regimine huius Religionis vehementer erant necessarii, facti sunt unus Metropolita et nonnulli Episcopi²⁴², nec erant alii, qui tam commode ipsis in regimen aliorum succedere posset; alii enim vix studia finiverunt, alii et fere reliqui omnes illa continuauerant, qui attingerent annum 40, etiam ex illis qui finiverunt studia, pauci. Magnam igitur ex hoc tempore sensimus et nunc sentimus in Monasteriis nostris regiminis difficultatem. Jam enim et illa externa, quae diximus nos habuisse a PP. Jesuitis adiumenta cessare coeperunt, non culpa ipsorum, qui iuvare etiam nunc parati sunt, sed iuniorum nostrorum, qui putant interna Religionis propria hominibus alterius Religionis patere non debere. Porro, etiamsi adeset hoc adiumentum, si non sit internum, non multum nos iuvabit, hoc est si informatores nostri, et duces vitae spiritualis non manebunt continuo in Monasteriis nostris intime conversando cum fratribus, et omnia habendo communia cum ipsis, habitum scilicet religiosum et Ritum, nihil solidi efficient. Certissimum hoc est, et experientia iam nobis notissimum. In habitu autem alterius Religionis, et cum observatione Ritus Latini manendo, etiamsi facerent *miraacula*, nihil efficient, immo in multas nos difficultates coniicient, non tantum apud Saeculares, sed etiam apud Fratres nostros, si viderent capita suae Religionis non esse homogenea sibi.

Modus ergo bene formandi, stabiendi, et propagandi Religionem S. Basilii, quae hucusque unicum fuit in Russia medium ad promovendam Unionem, idem est quem Deus monstravit antequam inciperet ista nostra nova Monachorum S. Basilii Reformatio²⁴³, et qui iam fuit plurimis viris spiri-

²⁴² Ipse Josephus — Metropolita, Josaphat — Archiep. Polocensis, Helias Morochovskyj — Ep. Volodimiriensis, Leo Kreusa — Archiep. Smolensensis, Antonius Sielava — Archiep. Polocensis etc.

²⁴³ Anno 1617, in Capitulo Novogrodoticensi. Cfr. M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, Romae 1949; IDEM, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954.

tualibus, et ipsi Vicario Christi, ut diximus, probatus, ut quatuor adminimum ex Ordine PP. Carmelitarum Discalceatorum, quos deligeret R. P. Generalis dicti Ordinis ex illis qui notitiam habent rerum nostrarum, et manserunt in Polonia, veniant ad nostrum Metropolitam, et ipse communicato cum iisdem consilio assignabit Monasteria et occupationes, sed veniat in habitu S. Basilii. Liturgiam vero possunt celebrare graece vel slavonice, pro eodem enim id apud nos reputatur, etiamsi vero (f. 208) illam nesciant, hic discent brevi tempore. Cur ex hoc Ordine tale subsidium petamus, non multiplicabimus rationes²⁴⁴. Connaturalius certe est, ut Monachi, Monachos doceant monastichen, ut informent Monachos S. Basilii tales Monachi quorum Religio affinis est Regulae S. Basilii, ut instruant Monachos Ritus Graeci illi, qui et ipsi cum iis commune habent abstinere a carnibus in perpetuum, quod ut diximus pro essentiali perfectione religiosa apud nostros habetur. Hoc unum urgemus, quod istud iam a nobis propositum, et ab ipsis acceptatum est, consentiente Summo Pontifice. Testes mihi erunt locupletes R. di PP. Carmelitae Discalceati antiquiores horum concii; putamus illos istorum omnium recordari. Maxime vero R. P. Paulus, modernus sui Ordinis Generalis²⁴⁵, et praedecessor ipsius R. P. Mattias; et P. Angelus, Procurator Generalis eiusdem Ordinis. Nullam porro in tali missione putent se habituros difficultatem. Metropolita est caput huius Religionis in Russia, dictae autem Reformationis parens, quaecumque ordinabit fient; sunt et complures alii Patres dictae Religionis, zelatores observantiae religiosae, succendent Deo auspice omnia bene. Praeterea de hoc medio scient pauci ex nostris, et ii tantum, qui vehementer desiderant, et quidem quamprimum hoc videre, aliis autem non est necessarium id scire.

Paucitas idoneorum operariorum in Clero saeculari premit nos vehementer, eoque magis quod novam nobis obtulit messem Dominus messis, Ducatum scilicet Smolensensem et Severiae, nuper a Moscis recuperatum, qui Ducatus tam late patet ut in latum ad 200 milliaria Italica se extendat, in longum autem ad 500. In his initiis, dum nostri eo colonias ducunt, invitarunt nos et frequenter invitant, persuadentes nobis nullo negotio Unionem eo inferre nos posse, ubi nulla adhuc est prava dispositio, et multae sunt ecclesiae ac Monasteria, quae Moschovitae dereliquerunt, et nunc manent desolata. Acceptaret plebecula cum gudio quemcunque mitteremus; sed quia etiam pro nostris Dioccesibus non sunt, nec modum ad multiplicandos illos tam in numero, quam in perfectione muneric sacerdotalis hucusque habuimus. In hoc igitur iuvari a S. Congregatione de Propaganda Fide suppliciter, humillime, et per viscera misericordiae Dei petimus, ut providere dignantur hic in Russia, in loco qui nobis commodior videbitur, numerosum aliquod Seminarium. Quod erat quidem promissum a Clemente VIII tune, quando a nobis reddebat ipsi et Successoribus eius (f. 208v) obedientia, et iam certa pecunia, pro qua hic in Regno emi aliqua bona debebant, erat assignata; prout recordantur aliqui nunc etiam in Urbe residentes, ad quos magis hoc tum spectabat; in particulari autem R. D. Petrus Arcudius²⁴⁶. Sed mortuo Summo

²⁴⁴ Cfr. discursum Raphaëlis Korsak, in *Epistolae Metropolitarum Kiovienium Catholicorum*, vol. II, nr. 2.

²⁴⁵ Paulus Simon. Cfr. supra, nota 129.

²⁴⁶ Cfr. *Indicem nominum et rerum*. Modo speciali Seminarium hoc fere proximum erat, ut in operam educatur circa an. 1600.

Pontifice, dicta promissio finem suum hucusque sortita non est. Nos autem non videmus, quo alio modo in multiplicando Clero, sed et Religiosis iuvari possimus. Si essemus sufficientes per nos procurare talia Seminaria ab initio Unionis parum hucusque remansisset de schismate, sed non potuimus; tum propter nostros exiguos reditus, tum propter bona nobis partim ab Haereticis initio haeresis, partim a Schismaticis initio Unionis, partim a Catholicis Ritus Latini ablata; tum propter tenuissimos reditus Cleri nostri; tum denique ob defectum illorum, qui suis ad tam pium opus iuvarent nos elemosinis. De Schismaticis enim clarum est, quod non tantum non dabunt, unde putant rebus nostris accessionem futuram, sed fame perimere vel omnium rerum necessiarum indigentia cuperent nos affligere. Catholici latini dicunt se habere proprias Ecclesias, et illis se satisfacere debere. Rutheni vero catholici longe pauciores sunt, quam ut talia operari possint.

Audimus vestrum zelum SS. Patres in Propaganda Fide. Facitis pro terris infidelium multa bona, propter lucrum animarum liberaliter effunditis opes vestras in auxilium ipsarum, nescientes quem effectum liberalitas vestra inde referet, et referet forte saepenumero pro uvis labruseas. Apud nos, ut certo credimus et promittere audemus, certam esse spem, ut istud benedictum semen elemosinae vestrae in nobis insignem fructum faciat. Circumspicite vastitatem Provinciarum, et multitudinem in ea populorum Ritus Graeci. In hoc Regno numeramus ad octo millia Parochiarum, in istis omnibus est magna fames, nec est responsum paucitatis et aptitudinis Operariorum, qui frangat egenis panem, interim misere pereunt quos Jesus Christis pretiosissimo suo redemit sanguine. Hic iam iacta sunt fundamenta, superaedificari per vos facilius poterunt parietes, quam alibi ex fundamentis erigi. Nec solum nostram Russiam hoc salutari medio iuvandam iri putate, sed numerosissimas alias, de quibus supra facta est mentio, gentes: Valachiam scilicet, Moldaviam, Bulgariam, Serviam, Rasciam, partes Hungariae et Transilvaniae; denique vastissimas Provincias, quae titulo Magni Ducatus Moschoviae comprehenduntur, cum quibus omnibus communem, et in paucis differentem linguam habemus, libros autem et linguam literalem, qua Saera peraguntur, eandem et in nullo differentem. (f. 209) Porrigite ergo nobis auxiliatrices manus vestras, qui aliunde auxilium post Deum habere non possumus.

Utilitates istae sunt. Introducetur per hoc Seminarium Clerus saecularis caelebs, quod a plurimis non modo annis, sed saeculis in Ritu Graeco auditum non est, et tamen a multis desideratum est et nunc ab ipsismet Ruthenis, Unitis praesertim, unice in votis habetur. Successu temporis res procedet ultra, ut habeamus Clericos etiam religiosos, quod nec cogitatum forte est unquam in Ritu Graeco. Non tamen propter ea timenda est aliqua difficultas. Multa enim a nobis tempore Unionis facta sunt, quae primo vehementer a Schismaticis improbabantur, nunc autem probantur, immo ipsi apud se idem facere coeperunt. Idem fieret de Clericis religiosis. Quanto autem bono fidei catholicae id fieret, dici vix potest. Isti Clerici non coniugati taliter formati collocarentur a nobis in Episcopatibus nostris penes ecclesias Cathedrales per civitates, et Collegiates, per oppida, quia maiores communiter habent provisiones et commoditates, quam aliorum nostrorum Parochorum. Ex his essent Visitatores ecclesiarum per villas et Sacerdotum in illis. Magnum hinc profecto accederet S. Unioni stabilimentum, et ornamentum. Hinc mittentur

Scholarum magistri per particulariora loca Russiae ad instruendam iuuentutem in literis simul pietate et fide; quod praestarent ipsi commodissime et suavissime ratione status sui. Ibi parati essent Sacerdotes quando petuntur a diversis Dominis, petuntur autem in dies, cum quibus facilius tunc transigi posset de meliorandis fundationibus, si viderent digniores, quam fuerunt ante. Ex iisdem Clericis implerentur Monasteria Monachis bonis, et plurima alia bona ex tali institutione Alumnorum in omnes partes Russiae possent emanare.

Hoc ergo iterum inculcamus, ut Seminarium pro Ruthenis quamprimum SS. Patres providere, et dictos PP. Carmelitas ad iuvandam Reformationem Ordinis S. Basilii mittere dignemini. Qui in habitu nostro monastico veniant ad nos, alant capillos capitis et barbae, itemque Ritu Graeco peragant omnia; et offerant se in hoc prompter Domino Deo, etiamsi necesse fuerit ad finem vitae ipsorum. Certissime promittere possumus, quod brevi tempore per hoc medium ruet schisma in universo Regno. Quid ergo restat, quam ut ad effectum perducatur? perducetur si Sua Sanctitas mandabit et in iis in quibus propter tot maximi momenti causas dispensandum erit, dispensabit.

Quae omnia ut consequamur, ad pedes vestros, Cardinales Amplissimi, provoluti suplices oramus, verbis quae ex abundantia cordis procedunt; ut verbis non nostris, sed S. Patris nostri Basilii, quibus in simili necessitate, scribingens ex sua Graecia ad Episcopos Italiae et Galliae, utebatur.

(f. 209v) Porrigite manum in genua depressis, commoveantur erga nos fraterna vestra viscera, profundantur commiserationis lachrymae; dimidium orbis errori immersum nolite contemnere, ne feratis ut fides apud eos extinguatur, apud quos primum eluxit. Sic Basilius. Et primum quidem apud Ruthenos eluxit fides catholica non schismatica, per viros catholicissimos, licet genere Graecos, sed S. Apostolicae devotissimos, Methodium et Cyrilum. Sunt et alia verba eiusdem S. Patris in alia Epist. ad Occidentales scripta, vehementer et ista accomodata praesenti petitioni nostrae. Obsecramus ut vel nunc tandem manum Orientalibus porrigatis Ecclesiis, quae iam velut in genua depressae inclinant; ac viros aliquos mittatis, qui illas de praemiis admoneant, quae patientiae ac passionibus pro Christo toleratis reservantur. Haud enim tantum habet efficacie sermo consuetus, quantum vox peregrina ad consolandum deiectos valet, praesertim si illa adferatur a Viris, qui cum primis Dei gratia instructi esse cognoscuntur, quales vos cunctis mortalibus praedicamini, quod in fide illibati permaneatis, et Apostolicum depositum illaesum servetis. Ita alloquebatur Antecessores vestros Pater noster, et obtinuit quod petiit. Obtineamus et nos, filii eius, cum ore Patris nostri alloquimur vos: Vos zelatores Fidei Catholicae, Vos Columnas S. Ecclesiae, Vos Lumina Christianitatis. Ecce in manibus Vestris stabilimentum Unionis et interitus Schismatis. Jam igitur sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri in manibus vestris, videntes reposita esse talia nostra bona in illis, speramus illa benignitate vestra infallibiliter nos accepturos. Deus Opt. Maximus dirigat omnia Consilia vestra, ut vergant ad maiorem gloriam ipsius, exaltationem S. Ecclesiae, et universalem utilitatem totius Christianitatis.

67.

Minsk, 1623-1624.

Relatio Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitae Kiovensis de vita et martyrio Josaphat Kuncewycz.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 337, fol. 235-238v.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, Nr. 6 (1923), pag. 307-312 (f. 236v-238).

SKRUTEN J., *Prima biographia S. Josaphat* (in « Analecta OSBM », Ser. I, Sec. II, vol. I, fasc. 2-3).

WELYKYJ A. G., *S. Josaphat-Hieromartyr.*, vol. I, Romae 1952, pag. 8-17.

VITA ET MORS ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS RUTHENI A SCHISMATICIS OCCISI
ANNO 1623²⁴⁷.

Josaphat Kuncewicz, Archiepiscopus Polocensis, erat vir ab adolescencia²⁴⁸ sua cum adhuc in saeculo degeret, singularis in Deum religionis et vitae probitatis; assiduus in ecclesia S. Trinitatis Unitorum Vilnae nullum ex Officiis Divinis, quae singulis diebus in illa ecclesia more monastico peragebuntur, Matutinum etiam, quod ante diluculum decantatur, non omittebat. Et licet ab hac ecclesia Schismatici illo tempore, quo incipiebat Unio, abstraxissent fere omnes, ut die etiam festo vix 20 personae sexus utriusque in dicta ecclesia numerarentur, et ex Clero unus tantum erat Monachus, titulo Archimandritae insignitus²⁴⁹, nullum habens penes se Monachum. Unde magna erat in monasterio solitudo, in ecclesia vero et venientibus ad eam desolatio; e contra, apud Schismaticos magnifica multitudo hominum, quam ecclesia²⁵⁰ capere non poterat, ornamenta ecclesiastica splendida, et alia, quae homines allicere naturaliter solent, in magna copia. Nihilominus bonus iuvenis, ab ipso Deo immediate edoctus, neque enim tunc qui eum doceret ea quae erant Unionis ex Unitis Vilnae reperiebatur ullus, ab ecclesia non discedebat. In dicta igitur ecclesia ipse erat Cantor, ipse Lector, ipse denique non infrequenter Campanator, quae omnia libenter praestabat et gratus, et cum dispendio suarum occupationum, quibus distinebatur, inserviens cuidam Civi Vilnensi, Mercatori²⁵¹. Non tantum domi sed etiam in officina mercatoria lectioni librorum spiritualium intentus erat, magis quam ut ad emendas merces invitaret transeuntes, quod in modo est mercatoribus.

Unde secutum est quod anno 1604, viginti et aliquot annos natus, monasticam vitam sub Regula S. Patris Basilii in Ritu Graeco catholico Vilnae ad ecclesiam SS.mae Trinitatis amplexus fuerit. Cuius eiusmodi quidem fecit

²⁴⁷ De auctore huius « relationis » una est hodie doctorum sententia, ex contemporaneis testimoniis bene probata. Secretarius Congregationis, Fr. Ingoli eam adscribit Metropolitae. Cfr. *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 308, nr. 5; Et ipse Metropolita Rutskyj in Processu anni 1628 dicit: « nec illa repetam, quae in prima relatione mea, statim post necem illius a me scripta, ad S. C. de Pro. Fide transmissa... ». Cfr. Processus anni 1628 et anni 1637. In A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, Romae 1953, et vol. II, Romae 1955.

²⁴⁸ Natus anno circiter 1580, Volodimiriae in Volhinia.

²⁴⁹ Samuel Sienezyllo (1604-1609), qui ob schisma a Metropolita Potij depositus fuit suo officio.

²⁵⁰ Ecclesia et monasterium S. Spiritus Vilnensis, ex ligno, postea vero ex muro constructa an. 1605, sumptibus Confraternitatis non unitae eiusdem nominis.

²⁵¹ Hyacinthus Popovyc, civis et Consul Vilnensis.

initia, ut per aliquot annos non alio potu quam naturalis aquae uteretur; nec fortassis toto vitae suae tempore ab hoc coepto destitisset, ni obedientem defectus graves ventriculi, qui e potu hoc suborti erant, et Superiores eius, quibus haec omnia probe innotuerant, cohibuissent. Si cohibuerunt tamen, et non ad maiores, ac multo plures corporis mortificationes, ut cilicia, disciplinas, ieunia et vigilias, quibus toto postea vitae suae tempore usus est, stimularunt. Accessit ad haec quod in continua semper fuerit meditatione de Divinis, non minus autem in librorum lectione, qua tantum profecit, ut brevi tempore cum omnium aedificatione et stupore, populo ex ambone praedicare caeperit. Quod autem longe maiori admiratione dignum est, haec eadem assidua lectio librorum non aliorum quam sclavonicorum et polonicorum, (cum latinam linguam vel aliam quamquam praeter suam vernacula nullam caluisset), id effecit, quod tantam acquisiverit peritiam oppugnandi et confutandi errores Schismaticorum et Haereticorum, tantum donum cum ipsis conversandi, ut Theologus licet doctissimus in hac parte cum ipso comparari vix aliquis potuisset, nullus Haereticus aut Schismaticus resistere. Atque hinc processerat, quod a Catholicis flagellum Schismaticorum et Haereticorum, a Schismaticis vero loco Josaphat, mutato nomine Duszochwat, quod raptorem animarum vulgo significat, meruerit appellari. Jam vero tam foelicis vir fuit ingenii ut subtilissimas quasque theologicas difficultates, quales sunt circa mysterium SS.mae Trinitatis, et alia huiusmodi, facilius ipse potuerit capere, quam subtilissimus quisque eidem explicare. Quid vero de mirabili memoriae illius foelicitate dicere quis sufficiat? qua id solum non tenuit, quod nusquam legit, vel audire ab ullo potuit. Chronica alia vel omnium librorum, praecipue vero SS.m Patrum dices thesaurum.

Neque his tantum singularibus animi a natura sibi concessis contentus fuit vir dotibus, ad omnia bona natura comparatus, insuper ipsis assiduum in omni genere virtutum iungebat exercitium, quo tantum profecit, ut facile omnium iudicio dignus sit iudicatus qui poneretur in candelabro, ut luceret omnibus. (f. 235v) Hinc postquam modernus R.mus totius Russiae Metropolita Josephus ex Archimandritia Vilnensi in Metropoliam assumptus est, ille quoque in locum ipsius successit. Et quia tunc dictum Monasterium in initio adhuc Reformationis erat, nec nisi iuvenes tantum Monachos, ac proinde ad gubernationem Monasterii aliasque res gerendas neendum sufficienter idoneos, quique studiis et scholarum frequentationi dabant operam, continebat, Monachi autem antiqui non reformati licet ad haec omnia invenirentur aptissimi, quia tamentiam liberiori vitae assueti erant, non recipiebantur, Vir praedictus non Archimandritae solum officium, sed etiam Concionatoris ordinarii, et Confessarii publici Monachorum, Monialium et Saecularium utriusque sexus, in ecclesia Protopsaltis, et Oeconomi domi, per annos aliquot maxima omnium in omnibus cum satisfactione officia sustinebat; pauperum et viduarum, pupillorum et a potentioribus oppressorum erat certum perfugium, in componendis discordiis dexter et foelix, in cura animarum vigilansissimus.

In ipsis initiis Congregationis nostrae, in qua duo tantum erant Sacerdotes, ille Diaconus tunc existens collegit multos rusticos in foro, et duxit pro confessione ad Monasterium; unus Sacerdotum abfuit, alter qui erat praesens excipere confessiones tam multorum nolebat. Bonus Diaconus totus re-

solutus in lachrymas, hunc et illum ex Fratribus, qui ne quidem Diaconi tunc erant, orat ut rogent cum ipso Sacerdotem, et lachrymis suis obtinuit, ut audiret eorum confessiones dictus Sacerdos.

Multorum postmodum filiorum effectus est Pater, quos ex Schismate ad Ovile S. Petri reduxit. In laboribus adeo indefessus, ut conditionem humanam superare videretur. Non rarum ipsi erat 6 continuis horis sedere in confessionibus et ordinarium a 3a hyeme, aestate a 2 post medium noctis hora surgere, et per campanam domesticam omnes excitare etiam tunc, quando erat Superior. Incipiendo autem ab illa hora in continuis occupationibus esse usque ad noctem profundam erat ordinarium. Antequam excitaret alios, semper praecedebat disciplina; et hoc, inquantum notatum est, fere singulis diebus erat ordinarium. Excipere confessiones hominum erat ipsi singularis delectatio. Unde per viam, quo cumque discendebat, ubicumque noctabat, vel subsistebat in meridie, aliquorum confessiones excipiebat, aliquando integras domos eorum apud quos hospitabat; Cauponum etiam, qui alias difficulter confessiones sibi persuadent; quandoque etiam eos quos ad pocula sedentes, et genio in tabernis indulgentes inveniebat, a poculis abstrahebat, et bonis documentis intinctos et contritos in domos proprias remittebat; unde praeter solitum morabatur in via, alios data pecunia inducebat ad confessiones.

Semel ob difficultatem traiectus in flumine principaliori Lituaniae dicto Chrono, lingua nativa Nemen commorari debebat una die et amplius, glacies enim disslovebatur, nec transiit per se praeebatur, vel curne vel navigio. Multos ibi homines reperit, multi postea, antequam transitus pateret, supervenerunt, tantum laboravit in illis, ut omnes confiterentur. Nec transire voluit, donec omnium confessiones finiret, huic quippe intentus obliviseebatur omnium aliorum, quae ipsi in hac via peragenda erant.

Et tandem cum iam ductos sicut palma effloruit, et plurimos laborum piorum fructus protulit, e vivis decadente Gedeone, Archiepiscopo Polocensi²⁵², idem vir in locum demortui, in Archiepiscopatum scilicet plane desolatum, tam in spiritualibus quam in temporalibus post annos 15 et amplius vitae sua Monasticae abhinc ante quiquennium suspectus fuit²⁵³. Est hic Archiepiscopatus in Alba Russia in confinibus Moschoviae, Archiepiscopatus dictus, non quod Archiepiscopus eius Episcopos aliquos sub iurisdictione sua habeat (talis enim qui ipsi subsit est nemo) sed quod ab antiquo primum locum post Metropolitanum Archiepiscopum inter alios Ruthenos Episcopos habuerit. Satis ampla est huius Archiepiscopatus Dioecesis, continetque in se inter alias plures minores, istas tres civitates praecipuas, Polociam scilicet (a qua et nomen habet) Vitepscum et Mscislaviam, quae omnes ab antiquiore tempore titulo Palatinatus a Serenissimis Poloniae Regibus sibi indito gaudent. Per hanc universam suam Dioecesim vel maxime in praecipuis eius civitatibus reperit Antistes late grassantem pestem Schismatis, et Deo auxiliante intra duorum fere annorum spatium (f. 236) ea qua pollebat in hac parte industria et dexteritate sic omnium animos et ingenia coepit, ut vix tantum aliqua Schismatis manserint vestigia. Reperit quoque Clerum omni ex parte inordinatum et informem; ecclesiam Archiepiscopatus sui Polocensem Cathedram, S. Sophiae nuncupatam (ut multas alias per universam Dioecesim eius

²⁵² Gedeon Brolnykyj (1601-1618).

²⁵³ Anno 1618. Primum Coadiutor cum iure successionis.

missas faciam) fere collapsam. Et illum quidem, Clerum scilicet, per Synodos quos annis singulis cogebat, et per visitationes locorum et ecclesiarum in illis, quas in propria persona non sine maximo incommodo valetudinis peragebat, nullis parcendo laboribus reformavit. In defendendo patrimonio Ecclesiae suae, et in iis, quae per diversos ex Nobilibus ablata erant, bonis Ecclesiae recuperandis fuit tam vigilans et felix, ut medietatem Episcopatus a multis annis ablatam, per annos 5, quibus Episcopatu*m* praefuit, iure mediante receperit; ad quod alias non videbatur aptus, quippe totus speculationi deditus. Praedia Episcopatus valde desolata instauravit; domos et integras Curias aedificavit; in primis autem ecclesiam Cathedralem tam ingentibus sumptibus in tam eximiam pulchritudinis formam, cuius modo est, a fundamentis fere ipsis erexit, ut vix triplo maioribus illius Archiepiscopatus annuis redditibus tam brevi tempore tantam molem instaurari posse quispiam crederet.

Haec vigilantissimus Antistes cum ageret, Erro quidam, Patriarcham Hierosolymitarum se vocitans²⁵⁴, in fines Regni Poloniae ex Moscovia venit. Pseudometropolitam pro Metropolia Chioviensi²⁵⁵, et Pseudo Episcopos pro omnibus Episcopatibus nostris Ruthenis, quos nos Uniti legitime tenemus, singulos pro singulis, nominatim, inter caeteros autem et pro Polocensi Meletium Smotricium creat. Is confestim per totam Polocensis Archiepiscopatus dioecesim ad recens adhuc ad Unionem conversos, et neandum perfecte in ea firmatos scribit literas, exhortando et iubendo, ne suo Pastori, alias legitimo, tanquam illegitimo, Haeretico, Papistae, praestent amplius obedientiam, sed sibi potius, vere orthodoxo et legitime a legitimo Pastore ordinato. Mittit cum his Ministros Sathanae, Monachos quosdam, et saeculares sacerdotes qui rudem plebeculam novi Episcopi publicatione interturbarent, et ab obedientia veri Pastoris avocarent. Neque irritus fuit conatus eorum namque omnes fere (tunc bono Antistite Varsaviae in Comitiis Ecclesiae et Unionis firmandae gratia commorante) per totam Dioecesim turbarunt; omnes ab Unione ad Schisma, veluti canes ad vomitum redierunt; vix aliquis mansit, qui sequeretur David, omnes post sybam abierunt; omnes Smotricio obedientiam praestitere, eum in Episcopatum ad se venire desiderantes, hunc pellere constituentes. Audit triste nuncium Antistes, accursit ad ovile, et a lupis devastatum, et dispersum invenit. Quid tandem? magnanimus animo non cadit. Verus Pastor non deserit oves, sed quaerit, deperditas repetit, ab initio quod iam finiverat orditur, et per civitates Dioecesis suae iterum discurrit, exhortatur, monet, revocat errantes, pertinaces edictis regalibus redire cogit, lupum Smotricium, procul, ne ipse in Ovile irrumpat, arcet. Sed his omnibus lassatus, licet Polociae, ubi sedes ipsius Archiepiscopalnis est profecit multum, in aliis tamen civitatibus et praecepit Vitepsei parum, quin immo quod nusquam alia civitas attentare fuit ausa, haec sola contra omnem spiritualem et saecularem totius Regni potestatem attentavit; Synagogas duas scilicet, omnes enim alias ecclesias Uniti tenebant, exstruxit, in quas Sacerdotes schismaticos ab illo Pseudo Episcopo Smotricio quasi ordinatos introducit, qui populum contra legitimum Pastorem turbaverint, et Unionem labefactantes in Schismate continerent.

²⁵⁴ Theophanes. Anno 1620 Moscovia rediens Kioviae constituit Hierarchiam non unitam pro omnibus Eparchiis unitis.

²⁵⁵ Hiob Boreckyj (1620-1631).

Hoc audito, infractus laboribus et imperterritus contra tot pericula, Antistes promovere visitationem Ecclesiae instituit, et Vitepscum inprimis ad inobedientes et rebelles suas oves, volens eas ad ovile suum iterum reducere, profiscitur. Venientem laeti et gratulanter Cives suscipiunt, (sed falso) constituant eundem quarundam inter se dissensionum arbitrum; laborat in hoc libens Vir, semper alias in pacificando faeciliissimus, ut vel hos animos sibi infensos reconciliaret. Ipsi vero quid interim? Mortem pacificatori suo intentant, et quem semper habuerunt schismaticae suae pravitatis oppugnatorem acerrimum, hoc diabolico modo e medio tollere cogitant. Instruunt igitur Sabbatho XI Novembbris Sacrificulum Baal, Sacerdotem suum schismaticum²⁵⁶, qui contumeliose convitiis insectetur Antistitem, ubicunque eius familiam obviam haberet. Hunc in modum intra (f. 236v) se cogitantes: Quod, inquiunt, possibile non est, ut huiusmodi convicia et contumelias famuli Episcopi contra Dominum suum iactas patienter ferant, sed procul dubio illum Sacerdotem, sic malis verbis eos tractantem, vel ad carceres, qui sunt in domo episcopali rapient, vel verberibus aut aliqua alia contumelia afficiant: quodsi fecerint, nos quasi Sacerdotis iniuste percussi, vel incarcerated iniuriam vindicantes in episcopalem domum irruemus, et ipsum Episcopum, veluti pacis publicae violatorem, hac occasione, ne nos amplius cum sua Unione infestet, opprimemus. Et quidem sic apud se statuentes tota nocte ante diem Dominicam, quae erat XII Novemb., nihil de hoc ipsorum nefando consilio sciente Episcopo, pro hoc perpetrando facinore se praeparabant. Et summo mane. ante diluculum, quando religiosus et sanctus Antistes pro Matutino ad ecclesiam ivit, dictum suum Sacerdotem ut ei condicto quod cum ipsis habuit, occasionem tumultus daret, ante domum Episcopalem mittunt, qui iniuriouse satis Antistitem, absentem licet, et famulos eius, qui tunc domi erant, tractavit. Et diu quidem tolerata fuit haec ipius insolentia. Tandem ab aliquibus raptus est, et non in carnere, sed in culina reclusus. Fit subito tumultus; campanas ubique pulsant modo peculiari qui vim denotat; irruunt in Curiam Episcopi, absente Episcopo; oppugnant eam; sed a familia Episcopi fortiter reieci sunt. Quaerit adhuc in ecclesia Antistes quaenam sit causa huiusmodi campanarum strepitus et tantae commotionis in populo. Et Sacerdotis comprehensionem esse intelligens, eundem dimitti sine mora iubet; ipseque (erat autem ea die pontificaliter celebratus) ex ecclesia domum suam per medios hostes transiens reddit; transeuntem ne tetigerunt²⁵⁷; domum autem vix ingressum maximo cum impetu aggrediuntur Curiam episcopalem, a qua per familiam Episcopi etiam tunc repulsi fuissent, habebant enim sclopeta; sed quia misit ad eos Episcopus, ut non globos sed chartam exploderent, vel si globos supra homines dirigerent non intra eos, videntes invasores charta non globis rem peragi, tanto ardentius insistere caeperunt; ac in primis portam maiorem in ingressu domus effrigentes, famulos Episcopi, qui violentiae eorum se opposuerant, invadunt et plerosque eorum tum bombardarum globis traiiciunt, tum gladiis gravissime vulnerant, et pellunt. Duo qui defendebant maiorem portam globis traecti, et isti non sperantur supervicturi²⁵⁸,

²⁵⁶ Helias, Sacerdos schismaticus Vitebsensis.

²⁵⁷ Furor populi nondum plene excitatus fuit.

²⁵⁸ Nemo illorum mortuus est ob vulnera accepta.

Duo vero piae omnibus aliis maxime gladiis vulnerati et fustibus gravissime caesi, qui vivunt quidem sed non sperantur diu vici. Archidiaconus Dorotheus²⁵⁹, hic ter fustibus, positus in terra, verberatus; primum in atrio, post occisum Archiepiscopum, eo usque donec ab immanibus illis hominibus, si digni sunt nomine hominum, putaretur mortuus; sed quando notatus est ab aliquibus quod viveret, extractus in aream, caesus iterum eodem modo usque ad mortem; sed et tunc a curiosis observata sunt signa vitae, caesus ergo in caemeterio tertio gravissime, nec reliquissent ipsum, nisi putassent iam vere expirasse. Miraculo certe ab omnibus adscribitur, quod vivat, naturaliter enim supervictorum nullus, qui vidit eum, dixit. Alter Emanuel Cantacusaenus²⁶⁰, Superior domus, natione Graecus, ex Ill.ma familia Constantinopolitana Cantacusaenorum dieta, qui post captam Regiam Moschoviae a Serenissimo Rege Poloniae Sigismundo III cum Patriarcha Moschoviensi, viro optimo, Ignatio nomine²⁶¹, itidem natione Graeco, multis relictis possessionibus, quas Avunculus eius Graecus ex familia nobilissima Rali (qui oppressus a Turcis in Moscoviam transierat) ipsi reliquerat, ultiro in has partes venit, et nobiscum per annos iam circiter 13 commoratus est. Vir omni ex parte omni laude dignissimus, ante omnia autem optimus Catholicus, de quo indubitatim a fide dignis habemus testimonium, quod sit vere ex illa Imperiali olim Cantacusaenorum familia. Hi, inquam, duo, ad conclave iam Antistitis appropinquanti bus sicariis, in atrio ipso restiterunt, tandem ab iisdem circumventi sunt, et gravibus ac pene innumerabilibus vulneribus sunt affecti.

Ad tam crudelem inflictionem vulnerum et clamorem familie suae Antistes ex oratione, quam in quodam penetrali domus illius provolutus in terram tunc faciebat, uno penes se relieto, tanquam ex sommo quodam expergescens, e conclavi ad sicarios prodit, et ut innocentibus famulis suis pareant, se ipsum furori ipsorum obiicit. (f. 237) Primum ergo signo Crucis signavit eos, postea dixit, cur sic affligitis meos famulos, homines innocentes. Si aliquid habetis contra me, adsum. Obstupuerunt omnes, et cessatum a caede quasi per moram unius Pater noster; nullus enim ausus est loqui, nedium manum mouere ex circumstantibus. Duo tandem, vi facientes sibi viam, de foris irruunt sacrilegi parricidae, et omnibus aliis relictis in solum Antistitem manus iniciunt. Unus ex ipsis fuste praeusto in fronte Pontificem supra oculum percutit, adeo ut pedibus consistere non volens, in parietem primum post in terram conciderit. Secundus securi oblonga Berdysz vulgo dicta caput sacrum dissecat. Denique alii omnes qui prope aderant, quibuscumque armis usi fuerant, totum corpus Antistitis confoderunt et contuderunt, caput vel maxime, ut vix aliqua forma hominis in facie remanserit. Neque hic finis immanitatis fuit; cum enim putantes esse mortuum, manus ab ipso amovissent, et ad alias furorem suum convertissent, movit Episcopus manum, forte ut signaret se signo S. Crucis; in instanti arripiunt ipsum scelerati homines, extrahunt ex atrio in aream, et ibi dupli globo bombardae in capite traiectus est, postea

²⁵⁹ Dorotheus Lecykovyč, Archidiaconus, Basilianus. Cfr. eiusdem depositiones in secundo Processu beatificationis an. 1637. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. II, Romae 1955.

²⁶⁰ Cfr. ibidem eius depositiones.

²⁶¹ Ignatius, Patriarcha Moscoviae (1605-1606). Hic a polono exercitu in captivitatem ductus, amplius in patriarchatum suum non rediit, sed Vilnae remansit.

miris modis fustibus pulsatus, sed in ictu bombardae exspiravit. Erat autem Canis Antistitis, qui latratu et morsu suo a corpore Domini sui istos sacrilegos arcebat, hunc quidam ex ipsis arreptum, et corpori superimpositum in partes dissecuerunt, et sanguine canino in maius ludibrium s. corpus defoedarunt. Post haec illum extra Curiam in viam publicam extraxerunt, et ibi relicto sacro corpore iverunt ad suppellectilem episcopalem quam diripuerunt, similiter ex penuariis, ex cellariis autem multas tonnas mulsi et cervisiae extractas in aream domus exportarunt, atque ipsi in terra considentes biberunt; quodlibet dolium evacuatum cum summis clamoribus e monte altissimo, in quo Curia episcopal isita est, in fluvium detrudebant. Interim cum impii homines genio indulgent, corpus S. Martyris ad omnes irrisiones et opprobria expositum fuit in via publica, ad quod accurrentes non tantum viri, pueri, sed etiam feminae et vetulae pedibus calcabant, barbam et capillos capit is evellebant, in faciem spuebant, supra s. corpus sedentes vinum, quod ipsi vocant crematum, bibebant. His et aliis modis usque ad satietatem debacchati sunt in Sanctum Episcopum et discesserunt.

Et ecce supervenit nubes atra a fluiolo Vidbla, et stetit supra corpus S. Episcopi, in cuius nubis medietate apparuit radius lucidus. Quo spectaculo permoti plurimi accurrebant ad dictum locum, non tam Episcopum occisum spectantes, quam illum radium, qui elevando se paulatim, ascendit sursum, et evanuit.

Tandem accurrerunt, evacuatis doliis, helluones temulent; tunc denudarunt corpus venerandum usque ad cilicium; et cilicium indusii loco inventientes, Episcopum se occidisse non credunt, sed alium quempiam Monachum, ducentes Episcopum tenuibus indusii ex telo facto uti consuevisse. Adducunt ergo nonnullos eius famulos, quos captos tenebant, quaerentes ex ipsis, num Dominus ipsorum esset, quem occiderunt, et quem cilicio induitum invenerunt; affirmant famuli non alium nisi Dominum esse, eumque semper tota vita sua tali indusio uti consuevisse. Non credunt uni, vocant alium, et iterum alium, pulsant baculis ut dicant veritatem, quibus constantes et uno ore Dominum esse suum dicentibus, non credunt nihilominus, sed pavimentum totum, quod in conciali eius tabulis stratum erat, eruunt, et sub ipso Episcopum quaerunt minime credentes eum a se occisum esse. Tandem cum iam alicui ex ipsimet vere Episcopum esse quem occiderant cognovissent, alligato fune ad pedes Martyris per plateas civitatis sacrum corpus, solo cilicio tectum, contumeliose trahebant, ut totum nudum penitus oculis spectantium obiiceretur. Ac denique ad supercilium eiusdem montis alti et valde ardui, ut nullus per illum ascendere vel descendere possit, et ex quo antea dolia evacuata, ut dictum est, deiiciebant, ex eodem S. Martyris corpus deiecerunt, clamantes: firma te, Episcope, firma te; et ut in lingua nostra vulgari dicitur; Teneas te. Post montem illum per sinuosos anfractus eentes ad ripam fluminis Duna, quod est unum ex maioribus et navigabilibus huius Regni fluviosis, impositum in seapham, non contenti profunditate quavis, quae ubique est in hoc flumine, in locum quem sciebant esse profundissimum deportarunt, atque appenso cilicio, quod lapidibus sacci in modum repleverant, ad collum Martyris, et uno grandi lapide ad pedes, submerserunt propterea, ut nullus inde postea extrahere corpus Martyris posset. Redeentes turmatim ad Curiam episcopalem, omnia devastarunt, fenestras vitreas comminuerunt, fornaces diruerunt,

mensas, fores, scamna, vasa lignea omnia secuerunt, et nihil plane intactum reliquerunt; quibus omnibus confectis quilibet triumphans domum suam se recepit.

Magistratus Castrensis et alii pii magnam fecerunt diligentiam per 5 dies ut corpus s. invenirent, et quia ipsi locum determinatum non sciebant, corruptis illis, qui praesentes erant submersione, investigabant, sed et hoc modo inveniri non potuit, donec, ut dicitur, lumine fulguris instar ex aquis emicante divinitus locus indicatus, ex quo ad perpetuam Schismaticorum confusionem, omnium autem Catholicorum laetitiam, sexta a submersione die extractum est, et honorifice in ecclesia arcis murata per Magistratum Castrensem collocatum.

(f. 237v): Inde, octiduo post, per Clerum ecclesiae Cathedralis Polocensis et Nobilitatem illius districtus secundo flumen Duna vectum, comitante magna caterva hominum, infoelicitatem huius civitatis deplorantium, inter quos plurimi ex illis, qui ipsi necem intulerant, erant. Hoc etiam non minori admiratione dignum est, quod minister haereticorum Calvinistarum cum suis asscelis idem sacrum corpus deducebant cum magna scantione doloris ex ecclesia ad navigium. Denique Iudaei, Iudeae, senes, iuvenes et pueri ipsorum ex dominibus suis certatim prosilientes occurrerunt S. Martyri fletibus effusissimis condemnantes infoelices Christianos; iidem famulis Episcopi vulneratis omne genus obsequii impendebant, edulia parando, condimenta et bellaria ipsis offerendo, idque totum gratis et cum affectu. Movebat plurimum res ista frigidos Christianos, etiam illos sacrilegos, ut compungerentur. Tandem Polociam advectum. Cui occurrit ingens hominum multitudo, omnis aetas et sexus in lachrymas effusus, planetu et ciulatu implens aera. Praeferebantur S. Martyris corpori instrumenta martyrii eius, cilicium, lapides et funis, quo per plateas raptatus, et in flumen demergendus ligatus erat. Nullus erat qui siccis hoc spectaculum intueretur oculis, scindebantur corda omnium, nullus Schismaticorum tunc vel hiscere audebat. In ecclesia Cathedrali, ab eodem fere a fundamentis erecta, collocatus, et omnibus ad videndum expositus ferme per 10 dies; nullus aspectu eius satiari poterat, nullum horrorem aspicientibus etiam illis qui exhorrescunt corpora mortuorum, dabat; color faciei erat rubeus. Multa contigerunt circa mortem et post mortem Sancti Martyris, quae adhuc exactius examinanda sunt, illud quod certo liquet, hic ponitur²⁶².

Discendens Polocia Vitepsicum, quasi a Deo praemonitus, districte praecepit, ut ante redditum ipsius sepulchrum in ipso templi pariete excaveretur. In via et Vitepsci quotidianus ipsi et frequentissimus sermo de morte erat usque ad fastidium audientibus. Unde dum semel ad caenam cum gustu et diutius, quam ferre potuerant aures audientium, de morte loqueretur, tandem Archidiaconus ipsius prorupit in haec verba: semper D. V. de morte loquitur, adminimum permittat nunc nos comedere.

Eadem die, et ferme hora qua S. Martyr occubuit, a Polocensibus (quae civitas distat Vitepsco 24 leucis Polonicis) visa est columna lucida supra Vitepsicum. Quod plurimi homines se vidisse sub iuramento affirmant.

Post submersionem Martyris, postquam parricidae redierunt ad domos suas, Magistratus Castrensis timens ne noctu irruerent in ecclesiam Curiae

²⁶² Potius quaedam sunt signa quam miracula. Miracula vera et probata postea subvenierunt. Cfr. documenta beatificationis publici facta iuris in A. G. WELYKYJ. *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, et II, Romae 1952, 1955.

episcopali adiunctam, et in ea diriperent res ecclesiasticas, descendit eo. Cista in qua res ecclesiasticae erant, clavi propria illius cistae nullum impedimentum habente, et ab eo qui illam solebat operire nullo conatu aperiri potuit; tandem sic clausam duobus satellitibus ad arcem ferendam dederunt. Hi satellites dum transibant locum, in quo S. Martyr raptus fuit, et in quo loco per horam iacuit, ac sanguine terram respersit, excidit cista e manibus eorum parte superiori versus terram; ultro sine manibus se aperuit. Ex qua exiliit calix et stetit rectus in ipso loco in quo fuit sanguis, sicut solet locari in altari, et penes ipsum patina, stella, et Crux, quodlibet in suis locis. Obstupuerunt omnes, et ipse Vicepalatinus, licet Haereticus Calvinista, confessus est hanc veritatem, et nunc dicit coram omnibus, et cum ipso erat magna multitudo hominum.

Polociae infans duorum annorum, dum nullus adhuc sciret de nece sui Episcopi, expergefactus a somno ante diluculum dixit suo Patri: Occisum esse Deum. Vox ista risum movit audientibus. Cum idem ingenuinaret puer, vix alias loqui potens, quaesitum quisnam esset ille Deus, qui occisus est, respondit: Is qui ecclesiam aedificavit. Nec hoc habuit pondus apud Parentes, licet inteligerent quod puer loquebatur de ecclesia Cathedrali, paulo ante mortem ipsius finita, nisi post aliquot horas, quando rumor volitare caepit Archiepiscopum Polocensem esse occisum. Vivunt Parentes pueri, et omnibus ista palam dicunt. Alia quae a multis referuntur, visiones scilicet diversarum personarum, non plane examinata sunt.

(f. 238v.): Vita e Mors D. Josaphat, Archiep. Polocensis.

68.

Vilna, 30 . IV . 1625

De Seminario, et de indulgentiis et altaribus privilegiatis.

APF, Scritt. rif. n. Congreg. gen., vol. 337, fol. 355.

III.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Bonum quidem est si Reverendus P. Generalis Societatis Jesu serio mandavit suis, ut ipsi ab occupatoribus bonorum Ecclesiae Ruthenae cura sua vindicent ut Seminario Rhuteno applicant; sed in longum abibit; hoc autem negotium non patitur moram; orabimus Deum Opt. Max. ut negotium suum promovere dignetur; ego etiam ex parte mea manus applicabo, quod etiam III.mae ac Rev.mae D. V. cordi sit nihil dubito.

Breve pro Altari privilegiato perlatum est ad me, aliud tamen Breve prorogationis Indulgenciarum ad aliud decennium pro ecclesia nostra Zirovicensi, in qua est imago B.mae V. miraculosa, non est allatum; sed nec testamentum piae memoriae Patris Adriani²⁶², qui ad feliciorem vitam translatus est cum magno nostro merore prope Gradiscam Civitatem Carniolae. Iuvet

²⁶² Hadrianus Podbereskyj, Alumnus Coll. Graecorum (1621-1624). In patriam rediens obiit in itinere, condito prius testamento Romae.

igitur nos in his nostris miseriis constitutos. Etiam atque etiam rogo, ut transmittatur supplicatio a Sua Sanctitate subscripta pro formando a nobis processu vitae et mortis sanctae mem. Patris nostri Archiepiscopi Polocensis; cuperem ut prima occasione transmittatur. Interim me meaque omnia gratiae et patrocinio Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillime commendō.

Vilnae, 30 Aprilis 1625.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

69.

Novogrodek, 19 . VII . 1625

De Alumnatibus ruthenis in Collegiis Pontificiis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 261rv.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Quae ab Ill.ma ac Rnd.ma D. V. in litteris scribuntur et in Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide, nuper accepto, continentur, praestare diligenter curabimus. Unum punctum in Decreto S. Congregationis expressum, quoad numerum Alumnorum scilicet, difficultatem nobis parit. Ego enim a Paulo V, Pontifice Maximo, obtinui locum in Seminariis Pontificiis²⁶⁴, in Vilnensi quidem pro sex nostris Alumnis Rhutenis, pro totidem personis in Brunsbergensi; in Viennensi vero pro duobus, eodem modo in Pragensi pro duobus, atque in Olomucensi Seminario duo esse debebant, praeter Collegium Graecorum in Urbe, ubi pro quatuor locus antea erat concessus. Petii, ut mihi hoc in scripto daretur, sed piae memoriae Cardinalis Justinianus²⁶⁵, qui ex commissione Summi Pontificis, negotia nostra Ecclesiae in se susceperebat, superfluum esse dixit, neque Cancellariam onerandam censuit, praesertim cum multa alia beneficia a Summo Pontifice acceperim in scripto; satis itaque sufficere, si id ipsum Patri Generali Soc. Jesu significaret; quod et fecit; Patrem Generalem Claudium Aquavivam adiit, et totum negotium illi exposuit, ex quo tempore statim Patres Soc. Jesu practicare caeperunt. Et in Seminario Viennensi habui duos, in Pragensi duos, in Olomucensi nullus erat ex nostris, in Vilnensi vero aliquando sex, quinque aliquando erant Alumni, prout ratio temporis exigebat; totidem et in Brunsbergensi Seminario alebantur. Nunc pro anno sequenti pro quatuor Alumnis in Vilnensi, pro quatuor in Brunsbergensi Seminariis Patres Jesuitae locum concesserunt; si viderint istud Decretum, retractabunt hanc suam voluntatem. Supplicamus itaque Ill.mae ac Rev.mae D. V. ut Ill.ma ac R.ma D. Vesta committat hoc negotium Ill.mo Nuntio Apostolico, ut ille numerum certum assignet, et nos sciamus imposternum, quot Alumnos mittere debeamus, hucusque enim quot ipsi volebant Patres Jesuitae, tot ex nostris suscipiebant, decem communiter in his duobus

²⁶⁴ Tempore suae commorationis romanae anno 1615-1616.

²⁶⁵ Obiit fortasse ante an. 1623.

Seminariis Vilnensi et Brunsbergensi alebant, nunc octo tantum habere volunt; Deus Opt. Maximus retribuet hanc gratiam. (f. 261v) Et nos omni genere obsequiorum hoc et alia beneficia in nos collocata Ill.mae ac R.mae D. V. promereri conabimur. Quam ut Deus Opt. Maximus Ecclesiae suae et Reipub. Christianae diutissime servet incolumen, etiam atque etiam precamur.

Datum Novogrodeco, die 29 Iulii, Anno 1625.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiov. totiusque Russiae.

(*Retro, fol. 265: notae satis copiosae Secretarii*).

70.

Cholm, 2 . IX . 1625

De provisione Ecclesiae Chelmensis.

APF, *Scritt. ref. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 10rv.

Ill.me ac Rev.me Domine. D.ne Colendissimte.

Propter pestem passim in hoc Regno grassantem non potest mihi esse frequentior communicatio, prouti vellem et deberem, cum Ill.ma ac Rev.ma D. V. Mittam tamen ad summum post duos menses unum ex meis qui resumet omnia ab illo puncto in qui a me cessatum est. Nunc consulto mitto unum est Familiaribus meis ex occasione mortis Athanasij Pacostae²⁶⁶, Episcopi Chelmen. Rhuteni, pro cuius funere et ordinatione huius Episcopatus veni ex Lituania 70 leucis, ne Pseudoepiscopus Chelmen., qui ab illo falso Patriarcha Hierosolimitano consecratus est in Episcopum cum tot aliis²⁶⁷, invaderet bona episcopalia, prouti satagebat; sed nihil, Dei auxilio et D.ni Capitanei huius loci, efficere potuit. Possidetur ergo possessio huius Episcopatus, quae unica est, nomine Capituli, sed quia id debile est, constans ex aliquot personis iisque pauperibus et vulgo contemptis, propterea meum praefeci illis bonis, licet in hoc Magistratus Castrensis Capitanealis faciat mihi difficultatem; ille enim mallet possidere et omnia quae in praedio sunt consumere; qualis erit huius negotiū exitus nondum scio.

Dum irem Chelmam, allatae mihi sunt litterae ab Ill.mo Domino Vicecancellario Regni intercessoriae pro quodam Nobili districtus Chelmen. servitore et factore censorum bonorum Ill.mi Ducis Christophori Zbarascij, ut promoverem ipsum per litteras apud Serenissimum nostrum in Episcopatum Ruthenum Chelmen. Iverat enim is ipse ad Curiam, habendo commendatitias Ducis, Domini sui. Ill.mi Episcopi Chelmensis et Nobilitatis huius districtus, sed cum his omnibus videtur nihil effecisse apud Suam Regiam Maiestatem; ad me videtur esse remissum totum et meam de ipso expectari informationem, prouti haud obscure innuitur in literis Ill.mi D.ni Vicecancellarii ad me datis. Nunc si ipsum non commendo, odium illorum Magnatum praenominatorum

²⁶⁶ Athanasius Pakosta, Episcopus Chelmensis (1619-1625).

²⁶⁷ Anno 1620 consecratus fuit a Patriarcha Theophane Paisius Hippolitovyc Cerkavskiy ad Cathedram Chelmensem.

non tantum personae meae, quod minus est et parvi pendens, sed negotio Sanctae Unionis, quod ipsi et promovere et impedire possunt quando volunt, aseiscam. Si commendo, punto me offendurum Dominum Deum; tenui ergo hanc viam medium, suspendi assensum et dissensum, scripsi ad Ill.mum Dominum Vicecancellarium, cuius copiam mitto Ill.mae ac R.mae D. V. Obiicitur mihi quod solos Monachos promoteam, licet antiquissima et nunquam interrupta (nisi in hoc Regno ante tempora nostra violata fuit) consuetudo Ecclesiae Graecae, ut ad Episcopatum nulli alii promoteantur nisi Monachi, quocirca etiam in hoc Regno hucusque semper servatum est, ut consecrandus in Episcopatum aliquot diebus ante acciperet habitum monasticum et emitteret professionem monasticam. Sed si hoc offendit, non urgeo, alium propono qui non fuit nec est Monachus, non Saecularem tamen, sed Ecclesiasticum, e Clero Ecclesiae Rhutene, Vladimiriensem Archidiaconum. Obiicitur quod promoteam iuvenes. Ecce hic est quinquagenarius et ultra. Cuperem ergo ut Ill.mus D.nus Vicecancell. sine offensa sua abstineret a commendatione illius Saecularis, sed acceptaret hanc personam ecclesiasticam et promoteat illam. Sin secus, totum hoc negocium repono in manibus Ill.mae ac R.mae D. Vestrae; interim antequam veniet mihi responsum ab Ill.ma ac Rev.ma D. V., et ab Ill.mo D. Vicecancell. pro nullo scribo ad Suam Maiestatem. Quod reliquum est, me meaque omnia gratiae et patrocinio Ill.mae ac R.mae D. V. humillime subiicio.

Chelmae, 2. 7bris, A. 1625.

Ill.mae ac R.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metrop. Chioviensis totiusque Russiae.

71.

Cholm, 3 . IX . 1625

De Eparchia Chelmensi, et de eius provisione, nec non de variis candidatis ad eandem Sedem.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 9rv.

Ill.me ac Rd.me Domine. D.ne Colendissime.

Etsi de Seminario quod ut a nobis Episcopis Rhutenis initium sumat S. Congregatio de propaganda fide vult, per eum quem in negotiis Ecclesiae meae post unum vel duos menses mittere debeo, cum Ill.ma ac Rnd.ma Domine Vestra transigere volo, tamen si haec occasio praesens elaberetur, non facile eiusmodi veniret altera; Episcopatus scilicet Chelmensis qui nunc vacat, cuius reditus annui et horreum modernum, in quo ultra duo millia sexagenarum manipulorum sunt praesertim tritici, praeter alia accidentia, sine ulla difficultate possent applicari Seminario nostro Rhuteno; bonum hoc esset initium illius. Posset esse et maius subsidium pro Seminario ex eodem Episcopatu, verbi gratia si aliquis ex nostris Monachis (prout iura et consuetudines Ecclesiae Graecae volunt, et hucusque practicatum erat) pro Episcopo dare-

tur; transigerem cum illo, ut medietatem redditum et ad decennium (det) pro Seminario; tantum interest, ut nobis Cancellaria faveat, quaecumque nobis solet esse contraria, et non solum hoc sed multa alia sequentur commoda, dummodo mihi innotuerit Concellariam favere nobis. Et cum Ill.mo Domino Vice Cancellario mihi tanta necessitudo non intercedit, ut ipsum compellere possim. Ill.mam ac Rnd.mam D. Vestram rogo, ut cum ipso agere dignetur de hac re; ego clarius scriberem ad eum sicut iam non obscure insinuavi... sed vereor ne existimet me inde emolumentum quaerere, et factio nomine Seminarii mihi velle impetrare, proinde nec esset efficax, si per me ipsum proponeretur.

De illo Aulico, qui Episcopatum hunc curat, Ill.mam ac R.mam D. V. rogo ut impedire dignetur, et Ill.mo D.no Vicecancellario Regni persuadere, ut eum promovere desinat, quandoquidem censuris ecclesiasticis est innodatus. Praeterea est in fide Neophitus, quales ad Episcopatum admittere prohibent Canones. Deinde incola est Chelmensis, et habet multos amicos pauperes, qui communiter distrahunt Episcopatum. Multae denique actiones inceptae sunt cum Magnatibus ab Episcopo defuncto de bonis ad hunc Episcopatum pertinentibus, et su(nt) (be)ne dispositae, quas ille procul dubio negliget continuare. Cum illis enim Dominis res agitur, qui modo ipsi favent et patrocinantur; bona autem magni momenti recuperantur; plus fecit iste Episcopus²⁶⁸ septem quam alter fecisset decem annis, erat enim et practicus et vigilans (f. 9v) rebus suis, nec plus invenit in redditibus sui Episcopatus quam 600 florinos, postea recuperavit haec bona, quae tantum horreum habent, quantum insinuavi; maiora quaeque possunt recuperari, si succedet eiusmodi Episcopus, qui non habeat respectus personarum cum quibus agat, quales communiter solent esse Religiosi.

Obiificant nobis: si Religiosum promovebo, Lituanum promovebo; dicent et de illo Archidiacono Vlodomiriensi eum non esse Nobilem, sed hoc utrumque sicut antea non est curatum, euperem ut ne nunc curetur, praesertim cum rebus S. Unionis favorabiles esse deberent; et modo defunctus Episcopus Chelmensis²⁶⁹ non fuit ex Ordine Equestri; nostra Ecclesia requirit ut sit Monachus, non ut nobilis aut ignobilis, vel ex hac aut illa Provincia. Interim me gratiae et patrocinio Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae etiam atque etiam commando.

Chelma, die 3 7bris 1625.

Horrerum et proventus huius unius anni intelligo ut applicatur Seminario, ne putet Ill.mus D. V. Cancell., nos perpetuo id velle; medietatem autem ad decennium.

Post scriptas estas litteras misi Vlodomiriam ad Episcopum loci illius²⁷⁰ volendo intelligere, acceptabit ne Episcopatum Chelmensem Archidiaconus ipsius quem ille ipse cum suo Episcopo procurabant ante sex annos, hoc est ante Episcopum nunc recens mortuum. Scriptum est mihi expressissime quod non velit curare, nec procuratum acceptare. Scripsi ergo de novo litteras ad Ill.um D.num Vicecancellarium Regni proponendo ipsi Patrem Silvestrum

²⁶⁸ Athanasius Pakosta (1619-1625).

²⁶⁹ Idem Pakosta.

²⁷⁰ Joachimus Morochovskyj (1613-1631).

Kotlubarium, sexagenarium²⁷¹, Monachum professum a 20 annis, Sacerdotem a compluribus, nunc Igumenum Novogrodensem, personam sanctam. Rogo non contradicat, et ego ad Serenissimum pro illo litteras scribam. Ipse concedet medietatem redditum Episcopatus huius, hoc est mille florenos annuatim pro Seminario Rhuteno, et sic ex parte satisfiet votis Sacrae Congregacionis de Propaganda Fide.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servus
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien.

72.

Cholm, 9 . IX . 1625

De provisione Eparchiae Chelmensis et de promovendo ad eam Archidiacono Volodimiriensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 11rv.

Ill.me ac Rd.me Domine. D.ne Colendissime²⁷².

Venit hue ad me Chelma Archidiaconus Vlodimiriensis, cum quo egi, et transegri quod iam velit acceptare Episcopatum Chelmensem, si ipsi conferetur; de illo autem priori Saeculari etiam atque etiam Ill.mam ac Rd.mam D. V. rogo, ut omnibus modis impedire dignetur, et Ill.mo Vicecancellario Regni persuadere, ut illum promovere desinat; est hic Chelmae etiam ipse, et hesterna die per saeculares homines mecum agebat; sed summopere mihi non placuit. Quando illi obiectum erat a me de homicidio, nihil quod ipsum excuset respondere poterat, titubabat tantum, et coactum (se) id fecisse dicebat, scilicet ob defensionem vitae suae, interim tamen non poterit se satis explicare. Cum praedicto Archidiacono egi ut assignaret certam pensionem pro Seminario nostro; sed melius esset si illum Ill.ma ac Rd.ma D. Vestra ad se accipit, et Privilegium quod ipsi scribetur pro Episcopatu, e suis manibus det, simulque transigat, ut aliquam partem redditum pro Seminario assignet. Praeter illa quae nuper ad Ill.mam ac Rd.mam scripsi, duo millia sexagenarum manipulorum esse de messe, unum adhuc est praedium, quod per biennium amicus quidam defuncti Episcopi tenere debet, pro quo praedio solvi possunt singulis annis octingenti floreni. Unde ex praedicto Episcopatu Chelmen. post biennium habebit in redditibus adminimum duo millia et quingentos florenos, assignet ergo pro Seminario quantum Ill.mae ac Rnd.mae D. V. videbitur, modo est tempus agendi cum ipso; si ex Religiosis alicui conferretur ille Episcopatus, perficerem ut medietatem dat pro Seminario, sed cum ipso non possum tantum perficere. Illum Religiosum, quem Ill.mae ac Rnd.mae D. V. commendaveram, relinquo, ut serviat D.no Deo in eo in quo nunc est statu. Archidiaconus... scribit litteras ad Ill.mam ac Rnd.mam D.

²⁷¹ Nominationem non obtinuit.

²⁷² Ut videtur, Nuntio Apostolico Varsaviensi.

Vestram. Interim (f. 11v) me meaque obsequia gratiae, et patrocinio Ill.mae ac Rnd.mae D. Vestrae etiam atque etiam commendo.

Datum Chelma, die 9 7bris 1625.

Practerea facile recuperare poterit aliquot possessiones ad hunc Episcopatum pertinentes, ex quibus postea amplos habebit redditus, et sic liberaliter potest offerre pensionem pro Seminario.

Ill.mae ac R.mae D. V. humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

73.

Novogrodek, 10 . XII . 1625

Commendat Ecclesiam Unitam et Agentem suum romanum.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 90rv.

Ill.me ac Rnd.me Domine. Domine Colendissime.

Grata mihi est, et quoad usque vivam grata erit memoria felicis et beatae recordationis Gregorii XV, Ill.mae ac Rnd.mae D. Vestrae Patrui, nostri et totius Christianitatis Patris et Benefactoris singularis. Cuius illud sanctum inventum est, S. Congregatio de Propaganda fide. Hanc memoriam ut vivam semper foveam, et grati animi significationem exhibeam, semper mihi versatur in oculis persona Ill.mae ac Rnd.mae D. Vestrae, cui me totum, meaque omnia, prout semel praesens vivente adhuc Sua Sanctitate tradidi, ita et nunc Ill.mae ac R.mae D. Vestrae plurimum commendata esse volo. Mitto unum ex Monachis S. Basilii, Patrem Nicolaum Novacium, qui sit in Urbe perpetuo residens, tanquam Procurator negotiorum Ecclesiae nostrae Ruthenae²⁷⁸, et de omnibus quandocunque requisitus fuerit, informare possit Curiam Romanam. Rogo itaque Ill.mam ac Rev.mam D. Vestram, ut eum in patrocinium suum susceptum gratia et favore posequi dignetur Ill.ma ac R.ma D. Vestra. Quam ut Deus Opt. Max. diutissime servet incolumen ex animo precor.

Datum Novogrodeci, 10 Decembris 1625.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita

(fol. 97): Ill.mo et Rev.mo Domino. Domino Ludovico Ludovisio, S.R.E. Cardinali amplissimo. Domino Colendissimo. (*Sigil. et notae*)

²⁷⁸ An. 1626-1633. A. G. WELYKYJ, *Procuratores Ecclesiae Ruthenae in Urbe*, in "Anlecta OSBM", vol. I, pag. 62 sq.

74.

Novogrodek, 10 . XII . 1625

Commendat Agentem romanum, et causam bigamorum, nec non commendat Alumnos, quos mittit ad studia romana.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 91, 96v.

Rnd.me Domine. Fr. Observandissime.

Coasilium R.mae D. Vestrae de mittendo uno ex nostris ad Urbem pro negoitiis S. Unionis apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide, tanquam nobis saluberrimum utraque manu complectimur; et statim, postquam pestis cessare caepit, expedio unum ex Monachis Ordinis S. Basilii, Patrem Nicolaum Novacium, Praesbiterum.

Hunc itaque gratiae et patrocino R.mae D. Vestrae plurimum commendo; dignetur eum R.ma D. Vestra consilio suo iuvare, cum in omnibus rebus, tum quod ad locum et modum mansionis eius partinebit. Nihil dubito, quin pro singulari sua in nos gratia, et solito affectu, R.ma D. Vestra, in numerum suorum clientum illum refert, et patronum se ei semper exhibebit. Deus Opt. Max. retribuet, et nos omni obsequiorum genere hanc et alias gratias in nos collatas R.mae D. V. promereri conabimur.

Datum Novogrodeco, die 10 Decembris, Anno 1625.

Miseriae sacerdotum Rhutenorum coniugatorum magnae sunt; demortua enim prima uxore ducent aliam, et quando suspendimus ipsos ab Officio fugiunt ad Scismaticos et sacerdotalia absolvunt, unde duplicei se gladio iugulant, schismatis et irregularitatis, qualis est Timotheus, ecclesiae Lachuantis olim Parochus; si possibile est ut obtineat dispensationem, scripsi ad Ill.mum D. Cardinalem Barberinum, intercedere dignetur pro ipso R.ma D. V.

Mitto nunc ad Coll. Graecorum duos, unum nepotem meum ex sorore Adamum Copetz²⁷⁴, alterum Religiosum, Philonem Tyschevitium²⁷⁵, Diaconum; curabimus etiam tertium, ut sit numerus ille quem a Sua Sanctitate, intercedente S. Congregatione obtinuimus; hos omnes et me cum illis et in illis R.mae D. V. etiam atque etiam commendo.

Iste iuvenis Adamus matrem habet Ritus nostri Graeci catholici, Patrem vero habuit Ritus Latini, sed qui transiit ex Ritu Graeco. Unde rogo etc. ut hunc iuvenem animet ad Ritu Graecum amplectendum, ne etiam Patres illius Rectores aliquam in hoc ipsi aperiant difficultatem. Hoc (pacto cogitamus) magnum bonum ex illo suo tempore sperantes, dummodo suavissime inducatur ad amplectendum Ritum Graecum.

Addictissimus Frater et servitor

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 86v): Perillustri et Rev.mo D. Francisco Ingolo, Secretario S. Congregationis de propaganda fide. Domino et Fratri observatissimo.

(sigil. et notae)

²⁷⁴ Admissi in Collegio Graecorum die 15.VI.1626.

²⁷⁵ Philo Tyszkiewicz, diaconus, aet. an. 23. Discessit e Collegio die 5.V.1635.

75.

Novogrodek, 10 . XII . 1625

Commendat Agentem romanum.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6648, fol. 121, 123v.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Ut bene sit membris, oportet ut arctissime sint unita suo Capiti: Membra nos sumus, Tu Caput nostrum, Beatissime Pater, cui fuimus hucusque uniti, et esse semper in posterum volumus, quod ut non tantum perpetuo conservetur sed etiam augetur, quaerendi erant nobis alii modi exacterioris communionis cum Beatitudine Vestra. Is inter alios usus est oportunus, quem nondum hucusque adhibuimus, ut sit unus ex nostris perpetuo residens in Urbe, qui possit praesens referre nostra Beatitudini Vestrae, et viceissim discere ab Ipsa nobisque significare, quid a nobis nunc et in posterum Beatitudo Vestra requiret. Quocirca unum ex Fratribus meis, Monachis S. Basillii, Praesbyterum, Patrem Nicolaum Novacium mitto, qui primo obedientiam nomine meo et Confratrum meorum Episcoporum Russiae, Beatitudini Vestrae debitam, praestabit, ac tandem de statu Ecclesiae Ruthenae, qualis sit, dicet. Et si quae alia de nobis obsequentissimis filiis Beatitudo Vestra scire desiderabit, suggeret. Denique Apostolicam benedictionem nobis omnibus a Beatitudine Vestra impertiri petet, quam ut obtineamus, ad pedes tuos prostrati, Beatissime Pater, humillime rogamus.

Novogrodeci, 10 Decembris 1625.

Beatitudinis Vestrae, Domini mei clementissimi
obedientissimus subditus

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(*In carta separata, fol. 122v, breve argumentum, et nota, quod fuit relata in S. C. de propaganda fide 13 Aug. 1626.*)

(fol. 123v): Sanctissimo ac Beatissimo Patri, Domino Nostro Clementissimo.

76.

Novogrodek, 30 . I . 1626

Commendat Agentem romanum.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 89, 98v.

Ill.mi ac Rnd.mi Domini Antistites
Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Negotia S. Unionis in hoc Regno videntur a nobis requirere, ut cum maiori efficacia transigantur, et quae iam statuta sunt ad finem optatum quamprimum perducantur. Ut sit aliquis ex nostris perpetuo residens in Urbe, qui Sacrae Congregationi de Propaganda fide nostra plenius referre, quam per

litteras explicaremus, posset, et his tantum negotiis perpetuo vacans. Mittimus ergo pro hoc munere delectum Monachum et Praesbiterum Ordinis S. Basillii, Patrem Nicolaum Novacium, quem Ill.mis ac R.mis D. Vestris plurimum commendamus; idem de statu Ecclesiae Ruthenae certiore faciet Sacram Congregationem de propaganda fide, et de reliquis rebus, de quibus illa requiret, informationem dare paratus erit. Deus Opt. Max. ut Ill.mas ac Rnd.mas D. Vestras Ecclesiae suae et Reipub. Christianae diutissime servet incolumes, etiam atque etiam precamur.

Datum Novogrodeci, die 30 Januarii 1626.

Ill.marum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus servitor Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 98): Sacrae et Ill.mae Congregationi de propaganda fide, Dominis nostris Colendissimis. (*sigil. et notae*)

77.

Pinsk, 15 . V . 1626

Gratias agit de Iubilaeo.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 92, 95v.

Ill.me ac Rnd.me Domine. Domine Colendissime.

Amari Rhutenos a Sancta Sede Apostolica satis clare videmus. Inter alia praesens haec Jubilei nobis missio evidens est argumentum; grati esse huius accepti beneficii tam erga suam Sanctitatem D. N. Clementissimum, quam erga Ill.mam ac Rnd.mam D. Vestrarum, per cuius manus ista sunt missa, conabimur. Quod reliquum est, me meaque obsequia humillima gratiae Ill.mae ac Rnd.mae D. Vestrarum etiam atque etiam commendo.

Datum Pinsei, die 15 Maii 1626.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(fol. 95v): Ill.mo et Rev.mo Domino. Domino Ludovisio Ludovico, S. R. E. Cardinali amplissimo, Domino colendissimo. (*sigil. et notae*)

78.

Novogrodek, 15 . VI . 1626

Negotium Seminarii in Russia erigendi tractatur.

APF, *Scritt. rif. n. Congrég. gén.*, vol. 56, fol. 93, 94v.

Ill.mi et Rnd.mi Domini. Domini Antistites
S. Congregationis de Propaganda Fide.

Affectus D. Vestrarum Ill.marum erga Unionem Rutenorum caelo notissimus, Orbi etiam Universo innotescere cum in multis aliis, tum novissime in

hoc eaepit, quod ad iacienda Seminarii Rutenici fundamenta sua sponte largam in nos eleemosynam conferre voluerint. Quod quam nos D. Vestris Ill.mis ac R.mis atque adeo S. R. E. obliget, libenter explicarem, si cordis arcana ipsemem manifestare possem. Deum gloriosum oro, ut sicut in desideriis nobis subministrandis, quibus aliquid pro honore Dei facere velimus, non deest, ita et materiam aliquid pro honore suo faciendi et patiendi offerre dignetur. Nec dubitetis, Ill.mi ac R.mi Domini Antistites, copiosam messem ex hoc semine colligendam. Nos quidem nihil per nos promittere possumus, quia nihil et sumus, et possumus; sed tamen si ad ea, quae recta omnium bonorum ratio intenta acie, bona e Seminario profluentia spectat et contemplatur animum adiiciamus, profeto nihil nisi bonum sperare cogimur. Atque huius spei nos esse iubet sancta per gravissimos aequae ac Sanctissimos Pontifices Seminariorum in toto Orbe institutio, et quia manus Domini etiam abbreviata non est, eundem quem illi colligere sperarunt fructum, ex Seminario Rutenico audacter, divino freti auxilio, pollicemur. Seminarii fundamenta iam iacta sunt, et quia in fundamentis iaciendis summa est difficultas, prima et maxima DD. Vestrarum Ill.marum egeamus opera, ut mille scuda, ex gratia S. Congregationibus nobis concessa, Ill.mus Nuncius hic exbursari faciat; ut eum aliis millibus, quae iam habemus prae manibus, eadem coniugamus ad aliqua stabilia bona pro iuvenibus educandis coemenda. Quod ad alia attinet, quae interea Ill.mis, ac R.mis DD. Vestrarum essent referenda, scripsi R.mo Domino Secretario S. Congreg.nis de Propaganda Fide, a quo factorum nostrorum rationem habere poterunt DD. Vestrarum Ill.mae. Quorum consilia ut Deus Opt. Max. ad laudem et gloriam sanctissimi sui nominis, ad extirpationem haeresium et schismatum dirigere dignetur, etiam atque etiam precor.

Novogrodeco, die 15 Junii 1626.

Ill.marum ac Rev.marum DD. Vestrarum humillimus Cliens
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovensis totiusque Russiae.

(fol. 94c): Sacrae ac Ill.mae Congregationi de Propaganda Fide, Dominis nostris colendissimis. Romae. (sigil.).

79.

Novogrodek, 16 . VI . 1626

Conqueritur de delatione ad S. Officium, et implorat protectionem et intercessionem in suum favorem.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 99, 108v.

Perillustris et R.me Domine ²⁷⁶.

Verissime ab ipsa veritate dictum est, nihil est occultum quod non reveletur; hucusque multorum odia tanquam tineae S. Unionem depascebantur, sed occulte, quia scilicet nec a quo nec in quo peteremur, certi aliquid habere potuimus; nunc vero revelatum est cor malevolorum. Quae et quanta nobis,

²⁷⁶ Secretario S. C. de Prop. Fide, Francisco Ingoli.

non citatis nec convictis, in Curia Romana obiciantur, praesens D. Vestra R.ma melius cognoscit. Dolendum sane nos Matri nostrae iam pridem, S. Rom. Ecclesiae inquam, fidelitate filiali notissimos, nunc demum in suspicionem venisse, quasi tot beneficiis ab ea affecti, affectu illius abutamur. Scimus nos legitimos esse Ovium nostrarum Pastores, scimus etiam pastum iisdem pro modulo nostro ut plurimum sufficientem ministrare, et hoc ministerio dignos Sacerdotes, Confessarios, in locis maxime publicis constituere, scimus denique nos in alienam messem faleem non mittere, iurisdictionem a nobis alienam non usurpare, atque hucusque in nostris pro Religione Catholica consiliis male non audivisse. Nunc demum dolemus vehementer nos ad S. Congregationem S. Officii delatos esse de aliquibus, quorum vel concii non sumus, vel de scientia aliorum, id est Ritus Latini Praelatorum conscientiam habere potuimus et debuimus. Quid in particulari nobis imputatur, et quomodo per nos objectionibus his satisfiat, ex inclusa pagina facile cognoscet D. Vestra R.ma. Cuius si quando consilium et auxilium Unio Rutenorum, contra quam visum suum ...mere iam videntur patefactae inferi portae, nunc implorat. Optime experti sumus hucusque D. Vestram R.mam (dicam pro maiori nostro pudore) non petitam nec vocatam in negotiis S. Unionis promovendis insudasse, quod quam caelo gratum ,tam nobis gratissimum. Ecce nunc iam omnes uno ore in visceribus Domini Jesu eius opem imploramus, quid pro nobis dicendum sit, quid in defensionem nostram inibi magis amplificandum, praesens vidensque singula melius cognoscet D. Vestra R.ma. Unum dicam ne sieut im... de super seminatis zizaniis gloriatur, ita de suffocato semine cum sudoribus et sanguine in terra misso exultet, providendum est per D. Vestram R.mam. Cuius pietati inimicus simul est Dei et eius causae inimicus. Mitto litteras ad diversos in eadem causa. D. Vestra R.ma, habitis illis prae manibus, faciet prout in Domino expedire iudicaverit, et tradere cui tradendas viderit. Nos ad praecedentia D. V. R.mae beneficia hoc quoque primum et principale adiicientes, Deum Opt. Max. precabimur, ut illam quam diutissime servet incolumem, cuiusque favori et gratiae me plurimum commendo.

Datum Novogrodeco, die 16 Junii 1626.
Per illustris et Rev.mae D.V. addictiss. servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita etc.

80.

Novogrodek, 16 . VI . 1626

Responsa Metropolitae Kiovensis ad objectiones Latinorum, remissas ad S. Officium.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 100-101, 107v.

Prima obiectio²⁷⁷.

Religiosi Ruteni in Zyrovice²⁷⁸ Latinorum poenitentium confessiones excipiunt.

²⁷⁷ Ex aliis scripturis patet agi de scriptura Metropolitae Rutskyj.

²⁷⁸ Monasterium prope Slonim, clarum imagine miraculosa B. V. Mariae. Centrum peregrinationum ex tota Bielarusja et Polonia ad nostra usque tempora. A saec. XIX in manu non Unitorum.

R. 1º. Excipiunt, sed non temere hoc faciunt, facultatem enim obtinuerunt et quidem in scriptis ab Ill.mo Episcopo Vilnensi, ex cuius Dioecesi fere unius veniunt Latini pro devotione ad miraculosam B. Virginis imaginem, ubique petunt confessionem. Ex Dioecesibus autem aliorum Episcoporum paucissimi veniunt, ne dicam nulli, remote enim sunt ab hoc loco. 2º. Nec utuntur ista facultate dicti Religiosi ordinarie, quando enim adsunt Sacerdotes latini, qui vel cum Dominis frequenter venire solent, vel ob suam devotionem, has confessiones excipiunt. 3º. Omitto dicere quod peregrini quando veniunt, etiam si latini, petentes confessiones, et veniunt per magnam distantiam locorum ob devotionem ad distam s. imaginem, durum est ipsis negare confessionem.

Scribitur in eadem obiectione quod ex talibus confessionibus scandalum oriatur. R. Exprimant quale scandalum et quorum, Latinorum vel Rutenorum; si Latinorum, quis cogit ipsis ad confessiones; si Rutenorum, hoc nos scire possumus et non ipsi. De utrisque nos bona conscientia affirmamus, ex tali nexu Rutenorum cum Latinis magnopere aedificari Latinos et Rutenos; crescit enim in dies devotio, Dominus Deus confirmat continuis miraculis. Latini nos reputant pro veris Sacerdotibus, eiusdem S. R. Ecclesiae, cuius et ipsi sunt, filii. Ruteni etiam in Sancta Unione confirmantur, dum vident eam esse veram, et non tantum extra et foris apparentem, sed internam. Et dicta Ill.mi Episcopi Vilnensis facultas, ut omnibus nota sit, appensa est in vestibolo templi in loco patenti, ut omnes Latini legant, et intelligent, nos non arrogare nobis iurisdictionem in Latinos, sed illam accipere a Pastoribus ipsis. Dicere autem nos non esse capaces, ut nobis talis iurisdictionis detur ad Ordinariis Latinorum, durum esset, et Unioni vehementer nocivum.

In praesentia tollere hanc facultatem excipiendi confessiones a Religiosis Rutenis catholicis oriretur magnum scandalum, tam Latinis quam Rutenis; his quia tanto tempore usi sunt, nullam culpam commiserunt, esset cum magna iniuria ipsis sine culpa privari hac communicatione iurisdictionis et ita abalienabuntur animo, ac diffidentiae inter utrosque dabitur occasio; illis (Latinis scilicet) erit scandalum, putabunt enim suas confessiones praeteritas, factas coram Sacerdotibus Rutenis, fuisse invalidas et sic suspicabuntur vel Rutenos, licet Unidos, perfecte non esse catholicos et eiusdem ecclesiae filios, vel non legitime esse ordinatos in sacerdotes, ut ipsis possit dari talis facultas, vel ipsis veram formam absolutionis non habere, quae omnia essent cum magno praeiudicio Unionis.

Addimus ad praedicta, si hoc culpabitur in Rutenis, qui in uno tantum loco (ut annotatum est in Memoriali, missa a S. Officio) tali facultate, eaque delegata, utuntur, quid dicendum erit de Sacerdotibus Latinorum, tam regularibus quam saecularibus, qui Rutenorum unitorum per totum Regnum, et hoc sine ulla exceptione, nulla accepta a nobis facultate, excipiunt confessiones, quod nullus eorum negabit, si quaeretur ab ipsis, cum tamen talem ipsi in Rutenos habeant iurisdictionem, quam in Latinos; nihilominus nos non querimur, et ecce ipsi conqueruntur, de uno solo loco Zyroviensi in quo multae sunt causae, valde rationabiles, propter quas Ill.mus Episcopus Vilnensis concessit nobis hanc facultatem, quam si non concessisset, confugissemus ad Suam Sanctitatem explicatis circumstantiis dicti loci facile obtineremus.

Secunda obiectio.

Religiosi Ruteni dant venerabile Sacramentum Latinis in Zyroviceis sub ultraque specie. — R. Fiebat hoc non advertenter, idque cum pauperioribus, dum non cognoscebamus personas, et commiscebant se Latini Rutenis, postquam tamen moniti fuimus ab Ill.mo Episcopo Vilnensi, fecimus ne hoc fieret, et nunc tanto diligentius ne fiat curabimus; prout nunc ego Metropolita denuo scripsi ad Superiorem illius loci stricte praecipiendo, ne aliquid tale fiat imposterum, in quibus (f. 100v) si monebimus a Dominis Parochis latinis vicinis in charitate fraterna, gratum erit nobis, et faciemus hoc in quo monebimus. Nunc autem conqueri de nobis Romae, non facta de novo admonitione nobis, non putamus hoc esse charitatis fraternae. Nos ex parte nostra declaramus nos solenniter et in amplissima forma, quod si non erunt Sacerdotes latini Zyroviceis, omnes Latini, nullo excepto, remittentur a nobis pro Communione ad Sacerdotes latinos, excepta extrema necessitate. Volumus etiam in concionibus hoc publicare semel in anno, in festo solenniori, quando solet esse plenaria indulgentia, et ut plurimum multi Latini confluunt; confessariis etiam idem iniungemus.

Tertia obiectio.

Ruteni Vilnae et in diversis locis, et parochiis Sacramentum matrimonii Latinis ministrant. — R. Vilnae nunquam, nec unum exemplum monstrabunt; alibi id fiebat, partim ob ignoratiam, dum putabant id sibi licere tempore Unionis, quod antea praesumebant sibi tempore Seismatis, (sed hoc sublatum est per publicationem factam in una Synodo mea Metropolitana Novogrodeci, et publicatam per omnem dioecesim meam), partim metu Dominorum suorum, qui sicut tempore Schismatis despotice imperabant Sacerdotibus Rutenis, in villis ipsorum existentibus, tamquam suis subitis saecularibus, non tanquam personis ecclesiasticis, ita et nunc tempore Unionis cum summa iniuria nostra imperant Sacerdotibus Rutenis et iubent facere illicita, adhibitis communionibus occisionis vel vulnerationis; si tamen volunt, ut nos re ipsa ostendamus nos non probare istum modum procedendi nostrorum Sacerdotum Rutenorum, deferant eos ad nos iam facta; in aliis enim Concilium Tridentinum apud Rutenos non est promulgatum; quodsi tales ad nos non deferentur, clarum erit non esse culpam penes nos, qui scire non possumus quid in locis remotioribus a nobis agatur.

Quarta obiectio.

Personas latinas faciunt transire ad Ritum Graecum. — R. Ego Metropolita non scio de talibus, et si ipsi sciunt, nominent, quin imo audacter hoc scribo, nullum Latinum, qui baptizatus fuit et educatus in iRtu Latino transiisse ad Ritum Graecum, si qui autem fuerunt, qui ad breve tempus usi sunt auxiliis spiritualibus Latinorum, observando ieunia et festa latina, hoc faciebant vel in scholis studendo, ubi non possunt uti Ritu Graeco, vel in aulis serviendo, idque permissu meo, pro quo et Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide habemus; Religiosi etiam nostri quando in scholis Patrum Soc. (qui

diversos Alumnatus studentes) manent, utuntur Ritu Latino, quamdiu ibi sunt, non tamen propterea fiunt Latini.

Dicunt, ad Religionem venientes Latinos suscipiunt. — R. Suscipimus, sed hoc saepe erat in usu tempore Unionis Ecclesiae Graecae sum S. Romana Ecclesia, et nunc ante annos circiter decem, fecerunt in hoc nobis difficultatem Patres Jesuitae, dum dissuaserunt id nonnullis studiosis Calissii, detulimus hoc ad Superiorem ipsorum, qui tunc erat R. Pater Joannes Argenta, fungens officio Visitatoris in Regno Poloniae. Scripsit is pro declaratione Romam et accepit responsum, licere. Sciunt de hoc Patres Jesuitae, et propterea non amplius nos prohibent. Et ratio manifesta est, melius est esse Religiosum Ritus Graeci catholici, quam esse saecularem Ritus Latini.

Et revera Latinos prohibere ab ingressu Religionis Ritus Graeci Catholici est absolute tollere dictam Religionem. Haeretici enim et Schismatice, ut per se patet, non ingrediuntur; Unitorum fere praecipui transierunt ad Ritum Latinum, et passim ingrediuntur Religiones latinas, si Latini id est catholici, non ingredientur vel prohibebuntur ingredi, tolletur Religio, ac proinde ad radicem Unionis securis admovebitur.

Dicunt iterum: prohibit Rutenos transire ad Ritum Latinum. — R. Etsi vellemus prohibere non possumus, et quando ante triennium nonnulli ex illis, qui erant Ritus Graeci, transierunt ad Ritum Latinum, non ex eo quod erant Ritus Graeci, sed quia erant valde necessarii ad promovendam Unionem, expostulabamus cum nonnullis Latinis ne nobis, Fratribus suis, Catholici catholicis facerent hoc praeiudicium, maxime cum hoc vergat in ruinam Unionis. Nihil apud ipsos effecerimus, scripsimus ergo ad S. Congregationem de Propaganda Fide, quae annuente ed confirmante Sua Sanctitate edidit aliqua Decreta, specialiter autem scribi curavit ad Patres Soc. Jesu in hoc Regno, ut Rutenis accendentibus ad Ritum Latinum persuadeant, ut permaneant in suo Ritu, hoc ipsum nos facimus qu (*corruptus textus omnino*) necessaria ad conservandam Unionem demandata esse dictis Religiosis.

(fol. 107v): Risposte del Metropolita di Russia alle obiectioni fategli.
(Rep. in Congr. 63, die 11 Septembr. 1626).

81.

Novogrodek, 17 . VI . 1627

Implorat intercessionem in causa delationis ad S. Officium, et protectionem Ecclesiae Unitae.

ASV, *Nunz. Poloniae*, vol. Ad. 3, fasc. 3, fol. 1.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Sacra Congregatio S. Officii monitos nos esse voluit in quibusdam punctis per Ill.mum Nuntium Apostolicum in Polonia agentem. Quae quia ordinem Regni Poloniae vel Rempublicam in illo concernant, non potui non reddere illorum rationem D. V. Ill.mae tanquam vigilissimo eiusdem Protectori. Addidi ad eosdem quod nobis in conscientia videbatur respondendum. Atque

ut manifestius appareat quid responderim, ex inclusa pagina facillime colligere poterit D.V. Ill.ma, cui humillime supplico ut et ipsa benignissimam suam aurem nobis reservare dignetur, et, coram quo se offeret occasio, defendere. Si ad molem miseriarum nostrarum hoc quoque addetur ut non auditis neque examinatis nostris per nos rationibus, ita nos fraterna communione spoliare contendant, ut solos in agone relinquere velint, quid mali timendum sit non ignotum est illi, qui videt omnia. Ill.me ac Rev.me Domine non sudore iam vel sanguine plantatur Ecclesia Ruthena, sed si plantas succidere ac a Catholicis hominibus, Fratribus nostris, auxilia nos mutuare ac demum nos nobis tantum relinquere, ad instantiam partis, nobis insciis, informantis facile concedetur, quid tentandum per nos sit amplius non occurrit. Item atque item D. V. Ill.mae supplico ut afflita Unio D. V. Ill.mam securum suae causae defensorem habere possit. Nos sicut iam antea pridem vitam etiam nostram pro S. R. Ecclesia obtulimus, ita et nunc in eodem affectu constantes nos futuros sancte promittimus. Rogamus tantum, ut sicut nos Romana Curia monitos esse voluit, ita per D. V. Ill.mam certior fiat de sincero nostro affectu erga illam. Deus Opt. Max. ut Ill.mae ad Rev.mae D. V. concedat longam vitam, omni bonorum genere cumulatam, etiam atque etiam precor.

Datum Novogrodeci, 17 Junii 1626.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. addictissimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita.

82.

Kobryn, 6 . IX . 1626

Decretum Synodi Provincialis Kobrynenensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 337, fol. 410-412.

Die 6 . 7mbris 1626.

Nos Josephus Dei gratia Archiepiscopus Metropolita Chiovien., Halicien., totiusque Russiae, Joachimus²⁷⁹ Vlodimiriensis, et Beretensis, Jeremias²⁸⁰ Luceoriensis, et Ostrogiensis, Episcopi, Antonius²⁸¹ Archiepiscopus Polocensis, Vitebsciensis et Mstislaviensis, Gregorius²⁸² Pinseensis, et Turoviensis, Leo²⁸³ Smolensensis, et Czernihoviensis, Episcopi, cum Clero nostro, Archimandritis, Hegumenis, et Protopopis primariis congregati in Urbe Kobryneni pro Generali Synodo ex omnibus Russiae partibus Metropoli Chiovensi subiectis, invocato S.mo Spiritu consultavimus de bono statu Sanctorum Ecclesiarum Dei, saluteque animarum a Deo nobis commissarum, ne probis pastoribus, ac idoneis qui ipsis doctrina, vitaeque exemplo praeluceant destinuantur, pleneque perspeximus ab optima institutione iuvenum omne bonum tam in ecclesiastico quam in politico hominum ordine pendere, ac ob penu-

²⁷⁹ Joachimus Morochovskyj (1613-1631).

²⁸⁰ Hieremias Počapovskyj (1621-1636).

²⁸¹ Antonius Sielava (1624-1655), dein Metropolita Kioiensis (1604-1655),

²⁸² Gregorius Mychalovyč (1626-1632).

²⁸³ Leo Kreuza (1625-1639).

riam perfecti, et generalis gymnasii in nostro Ritu plurimos equestri ordine natos a nativa religione discessisse, et nunc etiam discedere, ita ut quotannis decrescat numerus, et non accrescat. Occurrente igitur huic malo, ne religio Ritus Graeci in ditionibus S. R. Maiestatis subiectis in extremum periculum adducatur, ideo omnes unanimi, mutuoque consensu constituimus, et Synodalibus hisce decernimus, ut generale gymnasium uno in loco Metropolis Chioiensis erigatur, ad quem ex omnibus Russiae partibus nobilis conditionis homines Ritus Greci pueros suos bonarum artium, ac suae nativae religionis, in qua nati sunt disciplinis quoad perfectiorem aetatem pertingant, imbuendos mittant, et ditiores quidem suis ut alantur sumptibus, pauperiores vero, qui illius Seminarii Paefectis tum discendo, tum per consequens gloriae Dei in Ritu nostro Graeco propagandae idonei videbuntur, cuiuscumque placuit postmodum sint futuri status, ut ipsius gymnasii sumptibus, quod Graecis Frontistérion Latinis vero Seminarium nuncupare placuit vietum, et amictum suum habeant. In quem finem singuli nostrum ex propriis redditibus nostris summam pecuniariam verbo nostro archiepiscopali promisimus, et praesentium tenore nostram fidem modo quo patebit inferius obligavimus. Ego Josephus Metropolita florenorum decem milia, ego Joachimus Episcopus florenorum duo millia, praeterea quoad supervixero singulis annis floren. centum, ego Jeremias Episcopus florenorum duo millia ad quadriennium, et post quadriennium ad alios quatuor annos mille ducentos florens polon.; ego Antonius Archiepiscopus mille florenos, ego Gregorius Episcopus duo millia, et quingentos florenos, ego Leo Episcopus quingentos florenos, Athanasius Praemisl., et Samboriens. quingentos florenos, Hegumeni vero omnium Monasteriorum Congregationis Vilnensis SS. Trinitatis ex singulis caenobiis octavam partem suorum proventuum ad quadriennium tam eorum monasteriorum, quae dictae Congregationi unita sunt, quam quae postea unientur. In particulari autem Minscense Monasterium eidem Congregationi annexum cum suis redditibus obtulimus. Praeterea praedicta Congregatio Praeceptores latinos ad Rethoricam usque ex nunc, ac eiusmodi Magistros, qui idiomatice ruteno disciplinas sacerdotali Ordini apprime necessarias tradant, promisit prout oportunum fuerit. Porro hae summae omnes intra quadriennium in unum aggregandae sunt, et bona aliqua pro illis emenda; quodsi forte quispiam nostrum non dederit, citatus in duplum persolvere teneatur, sin autem iterum renuerit, ab officio suo suspendatur. Deinceps iis collectis ordinationem personarum fieri oportebit quod a singulis nostrum ad illud Seminarium mitti possint, iuxta contributionem singulorum, pro unaquaque persona numerando florenos centum polon. pro victu, et amictu. Alii vero Seminaristae omnes iuxta voluntatem Metropolitae asciscendi, et pro eius libitu disponendi erunt. Cum autem Generalis Synodus Episcoporum celebrabitur, Provisores istius Seminarii eligi debebunt praesente Protoarchimandrita, cui dicti Provisores parere atque omnia ex consilio, et arbitrio illius agere, et exequi debebunt, Protoarchimandrita autem in Generali Synodo horum omnium rationes teneatur facere. Cuius rei causa literas hasce, cautionemque manu nostra subscriptentes, et propriis sigillis munientes dedimus.

Solemnis eaque pervetusta in Ecclesia Christi fidem catholicam profidentium servata fuit consuetudo. quanam schismate inter ipsos in spiritualibus

exorto ad Concilium convenire, invocatoque S.mo Spiritu, utrasque partes magnum studium, ac multam eamque mutuam in unione stabienda operam ponere. Mori huic laudabili insistentes, Nos Josephus, Dei gratia Archiepiscopus Metropolit. Chioviensis, Halicien., totiusque Russiae, Joachimus Vlodi-miriensis, et Brestensis, Jeremias Luceorien. et Ostrogiensis Episcopi, Antonius Archiepiscopus Polocensis, Vitebsensis, et Mstislaviensis, Gregorius Pinscen-sis, et Turoviensis, Leo Smolensensis, et Czernihoviensis Episcopi, cum Clero nostro, Archimandritis, Hegumenis et Protopopis primariis ab omnibus Russiae partibus, totius huiusce ditionis Metropolis Kioviensis una simul conve-nimus pro Synodo Generali, et volentes fratribus nostris, hominibus olim (f. 410v) nationis eiusdem ac religionis diformitatem nobisecum habentibus in charitate fraterna mutuo conferre, deque modis unionis tractare, quatenus non solum ore uno, sed uno quoque corde glorificemus Deum in Trinitate gloriosum, literis nostris Metropolitanis per omnes Dioeceses episcopales a nobis missis, hanc Synodus convocabimus, et a Serenissimo Rege, Domino nostro clementissimo literas speciales obtinuimus, unaque cum literis devulgari fecimus, quibus suis literis S. R. Maiestas salvum conductum quo secure venire, abire, et pacate disserere possint, utriusque parti contulit. Singulariter autem confraternitatem Vilnensem per legatos nostros ad hanc Synodum invitavimus. Verum quia adversae partis nemo non solum ad initium, sed neque ad finem nostrae Synodi accessit, contestati Deum, et eius Angelos fecisse nos quaecumque ipsorum lucrandorum gratia facere conveniens erat, disseruimus de caeteris Ecclesiae Dei necessitatibus, quodque a nobis una-mi-ter decisum est annotare id totum ad eorum notitiam, qui domi suae remanserant, mandavimus.

Procurandum censemus ut imprimis illa omnia optatum sortiantur ef-fectum, quae initio Unionis sunt promissa, idque committitur R.mis PP. Episcopis Vlodimiriae et Luceoriae quibus tradi debet instructio cum literis ad Serenissimum aliasque in negocio personas.

Coram III.mo D. Legato Sedis Apostolicae gravamina omnia, quae tulimus a Latinis per eosdem R.mos PP. Episcopos exponenda sunt.

Singuli Episcoporum in suis Synodis admonebunt Presbyteros educan-dorum in aetate tenera puerorum tam in bonarum artium disciplinis, quam in moribus ordinem sacerdotalem attinentibus.

Constitutionem antiquam et sanctum ac per aequum laudandum morem circa clandestina matrimonia²⁸⁴, ut in omnibus dioecesibus et protopopis episcopalibus promulgent, eiusmodi matrimonia invalidari, et irrita esse. Quicumque presbyter in aliena vel sua parochia alterius ecclesiae parochialis (praeterquam de licentia Ordinarii sub quo illi degunt) benedicere matrimonia praesumpserit; consimili modo si uterque Romani Ritus extiterint, denique si in propria quoque Parochia sibi subiecta absque duobus tribusque dignis fide testibus iungere matrimonia attentaverit, eiusmodi votum ac matrimonium praeterquam quod irritum sit, Sacerdotem ipsum poenae, qua a proprio mul-tetur Episcopo obnoxium reddit. Et si quispiam Sacerdotum ebriis vel de-

²⁸⁴ De hac constitutione promulganda S. Sedes Apostolica aliam habuit sententiam et ut Decretum Concilii Tridentini promulgetur insistebat. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustantia*, vol. I, an. 1629, die 12 et 14 Decembris, pag. 475-476, nr. 408, 409.

nocte ad copulanda matrimonia assistet, debita poena ab Episcopo corripiatur.

Fundationes, et ipsa originalia privilegiorum, quaecumque apud Sacerdotes nostros reperirentur, ut ad suos Episcopos deferant, a quibus accipiens Episcopus litteris suis attestabitur quod accepit, et quavis emergente necessitate exprimere ipsique concedere tenebitur. Simoniae nota tam in Episcoporum consecratione, quam in Sacramentorum administratione a Presbyteris removeatur quam longissime, quod hi ab omni omnino exactione abstinere meminerint, sub eisdem contra simoniacos poenis.

Perniciosa, ac turpis ecclesiae acquisitione, summa scilicet aliqua pecuniaria importata, eradicetur penitus, quod innotescere omnibus in episcopalibus Synodis procuretur, poenaque imponatur.

Dent operam Episcopi, et Protoarchimandrita, ut quotannis per litteras cum Metropolita conferant significando de rebus Eccl.; Metropolita vicissim cum Sede Apostolica.

Haud facile Praesbyteri duo ordinentur ad unam ecclesiam, nisi Parochia notabilis magna fuerit, ac a multis temporibus divisa.

Ad uniformitatem in peragendo sacro Missarum sacrificio retinendam nullus Ordinandorum ab Episcopo proprio discedat, quodum per aliquod temporis intervallum penes ipsum moram faciens liturgisare didicerit, neenon reliqua administrare Sacraenta. Religiosi Congregationis nostrae a nemine Episcoporum recipientur absque expressa per litteras Superiorum suorum facultate.

Monasteria nequaquam a saecularibus sinatur occupari Sacerdotibus, qui nullo iure nullaque ad id facultate gaudeant, sicuti nec viceversa a Monachis nostris saeculares ecclesiae absque expressa Synodi Generalis concessione.

Intra quadriennium quodvis, tempore, ac loco a Metropolita praestitutis, Synodus Generalis celebretur, de quo loco ac tempore quarta de hinc anni parte admoneantur²⁸⁵.

Ad proxime in dictum Synodum Ill.mus Metropolita omnia privilegia, omnes Immunitates nostras, quae Sanctam Unionem concernunt, de suo Archivio exprompta, et coordinata secum advehat; ad id vero temporis probe assertur, nec facile cuiquam ad illa pateat accessus.

Processus iuridicus contra Nicodemum Szybinski, olim Archimandritam Czerczynensem factus, non modo notificamus verum, ut ulteriori executioni mandatur unanimiter omnes petimus.

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

Joachinus Morochoschi, Episcopus Vlodimiriensis, et Brestensis.

Antonius Syelava, Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis, Mstislaviensis.

Gregorius Michalschi, Episcopus Pinscensis, Turovien. et Cobriensis.

Leo Creusa, Episcopus Smolenseen. et Czernichoviensis.

Jeremias Pociaposchi, Episcopus Luceoriensis, et Ostroviensis.

Athanasius Praemislien., et Samboriensis.

Ego Josephus, Metropolita, subseribo.

²⁸⁵ Secundum Decretum S. Sedis ex anno 1625. Nunquam tamen Synodus Provincialis celebrata fuit usque ad annum 1720.

* * *

Nota quod haec Sinedus fuit emendata a Sac. Congreg. Concilii, et de Prop. Fide in locis lineatis, et fuerunt addita, quae habentur ad decreta 6 et 7, et ex ea fuerunt confirmata, examinata quae non sunt lineata. Ut apparent ex Breve expeditum anno 1629, die 6. Xbris²⁸⁶.

83.

*Kobryn, 13 . IX . 1626**Refert de Synodo Provinciali Kobryni celebrata.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 101.

Beatissime Pater.

Tandem aliquando ea quae non sine urgente incommodo hucusque dif-
ferebatur in Russia Synodus, sub felici Beatitudinis Vestrae Pontificatu est
absoluta, in qua quidem principale illud fuit, ut modos, mediaque quaere-
remus quibus optimi Patris, Tuae inquam B., propensum in nos benevo-
lumque animum gratitudine quali quali demereremur, cum non solum nos
nostri saepius commonefacere officii suis dignata sit litteris, ac ad Seminarii
Rhutenici erectionem invitare, sed sermone illo vivaci et efficaci, exemplo
inquam suo incitare, largam munificamque pro tam sancto opere eleemosinam
offerendo. Quod certe munus tale est, ut non nisi vocis usum tantum reliquerit
ad Deum Opt. Max. deprecandum, ut ille B.V. tam sancta et proficia Ecclesiae
suae ac Reipub. Christianae molientem desideratissimo fine potiri patiatur.
Caeterum in ultimum suae gratitudinis signum suo sese volens con-
formare Parenti Russia, quae et quot sibi subsidia tanto permota exemplo
promiserit, vel attulerit Pater Nicolaus Novacius nostro omnium nomine fu-
sius B.ni V. declarabit. Cuius benedictionem pro nobis omnibus et reliquis
Coepiscopis nostris, subditis vero B.V., humiliter deposcimus, quam Deus
Ecclesiae suae et Reipublicae Christianae quam diutissime servet incolumem.

Cobrini, Septemb. 13, A. Domini 1626.

B. V. humillimi Clientes

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

Antonius Sielawa, Archiep. Polocensis, Vitebsensis et Mscislavien.

Gregorius Episcopus Turoviensis et Pinscensis.

Leo Creusa, Eps. Smolenseen et Cernihovien.

Raphael Korsak, Episc. Haliciensis, etc.

²⁸⁶ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 471, nr. 407.

84.

Kobryn, 13 . IX . 1626

Refert de eadem Synodo Provinciali Kobrynnensi et de decretis in ea nec non implorat litteras ad diversas personas Poloniae.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg gen.*, vol 56, fol. 102, 105v.

Ill.me et Rn.dissime Domine. D.ne Colendissime.

Eius opinionis semper fueramus, ut si Romana Ruthenici Seminarii fundamenta iacerentur, brevi fore futurum, ut in magnam molem tam insignis fabrica assurgeret. Neque minores opinione nostra inventi sumus in praesenti Synodo. Cum enim sancta illa eleemosina nomine Sacrae Congregationis nobis proposita fuisset intimataque, ita omnium in suam sententiam pertraxit animos, ut facta ibidem contributio ad 15 millia scutorum Romanorum et fere ultra excreverit²⁸⁷. Quod quidem opus, et unico authori fael. mem. Gregorio XV, Pontifici Max., Patruo D.V. Ill.mae et tibi ipsi, Cardinalis amplissime, vel inter primos Promotori debetur. Breve nobis adhuc supra hoc Seminarium, et gratiae favoresque S.D.N. desiderantur. Sed quoniam in colligendis illis quae huic Seminario compromissa sunt anno adhuc et altero insudandum, sufficiens tempus nobis relinquetur ad illud a S. Sede Apostolica obtainendum. Interim ex fructibus dictae summae instaurabitur dictum Seminarium, quo adusque in toto recuperetur. Eadem Synodus inter alia S. Unionis impedimenta hoc etiam re(putavit) quod status noster ecclesiasticus magnas patiatur angustias, si non oppressiones maximaee certe depressiones. De quibus scripsimus ad S.R.M. et duos Coepiscopos (nostros) cum illis iam expedivimus. Sed et in hoc negotio literae S.D.N. praesens afferre possunt. Supplicamus proinde D.V. Ill.mae ut pro nobis inibi solitum... agere dignetur, et litteras ad S.R.M. caeterosque Regni istius Senatores, tam ecclesiasticos quam saeculares pro iusta potentibus obtainere. Nihil dubitamus desideratam opem in omnibus sentiet, quaecunque nostro nomine Pater Nicolaus Novacius petiverit D.V. Ill.mam. Quam Deus Ecclesiae suae S. et Reipub. Christianae quam diutissime servet incolumem.

Datae in Synodo nostro Cobrinensi, 7mbris 13, Anno 1626.

D.V. Ill.mae humillimi servitores

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chiovien, totiusque Russiae /mp/.

Antonius Sielawa, Archiepiscopus Poloensis, Vitebsensis et Mscisl. /mp/.

Gregorius, Episcopus Turoviensis et Piscensis /mp/.

Leo Creusa, Episcopus Smolenscen, et Cernihovien /mp/.

Raphael Korsak, Episcopus Haliciensis /mp/.

(f. 105v): Ill.mo et Rev.mo Domino. Domino Ludovico Ludovisio, S.R.E. Cardinali amplissimo. Domino nostro colendissimo.

(sigil. Rutskyj, et notae)

²⁸⁷ Agitur tantummodo de promissa contributione, quae nunquam de facto plene fuit soluta.

85.

*Kobryn, 13 . IX . 1626**De eadem Synodo certiorem facit Sacram Congregationem.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 56, fol. 103, 104v.

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, Antistites
Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Seminarii Ruthenici erectionem felices Promotores vos Illustrissimi, et Reverendissimi Antistites nactam esse et videmus et gaudemus, eoque magis, quo efficacius non praecepto sed exemplo benignam manum admovere dignati estis; qui certe optimorum Patrum affectus vel inde cognoscitur fuisse, quod in suis filiis clientibusque eum produxerit effectum, ut in praesenti Synodo omnes unanimi consensu vel cum nostro incommodo tantum in unum prope iam contulerimus, ut brevi futurum, Deo invante, speramus quatenus mille ungaricorum annuus reditus Seminarii Rhutenici proventus exaequet, de quo in particulari commisimus referendum uni omnium nostrum nomine Procuratori nostro, P. Nicolao Novacio, inibi agenti²⁸⁸. Cum vero Seminarii erectio principale fuerit in dieta Synodo punctum, hinc factum est, ut vix aliquid aiud nobis statuendum occurrerit. Quiequid tamen Ecclesiae Dei expediens videbatur et omnium nostrorum sententia approbatur mittimus eidem Patri Nicolao, ut ille insinuet D.V. Illustrissimis, quas Deus Opt. Max. Ecclesiae suae et Reipub. Christianae quam diutissime servet incolumes.

Cobrini, Septemb. 13, Aº. Dni. 1626.

D.V. Ill.marum et Rev.marum humillimi servitores
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiov. totiusque Russiae /mp/.
Antonius Sielawa, Archiep. Polociensis Viteb. et Mscisl. /mp/.
Gregorius, Episcopus Turoviensis et Pinseensis /mp/.
Leo Creusa, Eps. Smolenseen. et Cernihovien /mp/.
Raphael Korsak, Episcopus Haliciensis /mp/.

(Fol. 104v): Sacrae et Ill.mae Congregationi de Propaganda Fide.

(sigil. Rutskyj et notae)

86.

*Dubno, 30 . I . 1627**De assignatione ecclesiae in Urbe, et de Seminario.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 67, fol. 341.

Rev.me Domine. Frater Observ.me.

Literae R.mae D. V. cum Brevi Apostolico et literis Patris Nicolai nostri de data 10 8bris anni superioris pervenerunt ad me huc in Volhiniam in fine

²⁸⁸ Litteras credentiales N. Novak iam mense Junio praesentavit S. Congregationi de Prop. Fide.

Januarii anni praesentis ad quas statim respondere ipsa gratitudo persuadet. Magnum beneficium a Sua Sanctitate Domino Nostro collatum est in nos dum talis ecclesia in tali situ collata est nobis, quod in primis Suae Sanctitati, cuius animum in nos Paternum multis indicis ab initio Pontificatus ipsius cognovimus acceptum habemus; postea R.mae D. V., cuius indefessum in promovenda Sancta Unione apud Rutenos studium optime nobis perspectum est tribuimus; desideramus et procurare conabimur ut spei Suae Sanctitatis de nobis conceptae postea R.mae D. V. respondeamus; Deus Opt. Max. aderit bonis conatibus. Breve Suae Sanctitatis et literae R.mae D. V., ut appareat ex illis ad Synodum nostram, quam iam celebravimus, provinciale missae erant; sed Synodus in Septembri adhuc celebrata est, quae in ea constituta sunt, statim Romam et ad R.mam D. V. a nobis scripta sunt, puto iam eo pervenisse. Pro Seminario erigendo hoc quadriennio quilibet nostrum summa pecuniaria in scripto tunc formato assignata in unum conferetur et bona stabilia ementur; interim ad fundationem Monasterii nostri a Sua Sanctitate designati non erimus sufficietes²⁸⁹; inibо tamen rationes cum P. Raphaele Korsak, Coadiutore meo, qui post hoc proximum Pascha erit apud me, si quid hoc etiam quadriennio a nobis fieri posset; sed Episcopis nostris nec propondere nunc audeo, ne tardiores ad contribuenda pro Seminario evident. Interim scribo ad Patrem Nicolaum, ut Architectos et rerum peritos consulat tam de fabrica, quam de religioso victu et amictu aliquot Fratrum, et me certior faciat; et licet dictum Seminarium retardabit hoc opus, suggeret tamen benignissimus Deus rationes promovendi illud, quae nunc non veniunt in mentem. Patrem autem Nicolaum supradictum cui alteri commendem nisi, iuxta Deum, R.mae D. V. Scio quod multi Religiosi habuerint, forte et nunc habeant, ex liberalitate Suae Sanctitatis partem in pane et vino; si possibile est citra molestiam eorum, ad quos hoc pertinet, ut habeat et ipse Pater, antequam resumemus vires ad novum illud opus inchoandum et perficiendum. Mallemus emere domum vicinam de qua scribit R.ma D. V. quam conducere, modo nobis constet de principio; si autem penes ecclesiam est sufficiens area pro fabrica, haec procuranda et non emptio domus, quae postea exsequi posset, quando plura poterimus. Ego hanc... suscipiam invocato auxilio divino. Interim me meaque promptissima obsequia R.mae Dominationi Vestrae plurimum commando.

Dubnae, 30 Januarii 1627.

Rev.mae D. V. addictiss. Frater et servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 342v): Perillustri ac Rev.mo Domino Francisco Ingolo, Secretario S. Congr. de Propaganda Fide. Domino et Fratri observantissimo.

(sigil. et notae)

²⁸⁹ Rutskyj habuit in mente Romae penes ecclesiam a Sede Apostolica assignatam fundare parvum monasteriolum pro sede Procuratoris in Urbe nec non pro omnibus peregrinis provenientibus ex Bielarusja et Ucraina, praesertim vero pro monachis Basilianis.

87.

Cholm, 12 . V . 1627

De Coadiutore et Coadiutoria, de transitu de Ritu ad Ritum nec non de aliis difficultatibus Ecclesiae Unitae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 67, fol. 346, 353v.

Perillustris et R.me Domine. Frater Observantissime²⁹⁰.

Quia iam ab aliquo tempore non scripsi R.mae D. T. ideo insimul aliquot puneta colligere debui, novis indies occurrentibus scribendi occasionibus.

Et quidem de dispositione centum et octo ungaricorum scio R.mum Coadiutorem meo nomine plenam R.mae D. T. deditis informationem, cui si aliquid deest post primam R.mae D. T. admonitionem sufficientissime determinabo.

Ill.mus Dominus Nuncius noster scribit mihi, ut pro confirmatione R.mi mei Coadiutoris Romam mittam. Sed quia nullum alium modum invenio hoc perficiendi, quam ut opem et operam implorem Domini.nis T. R.mae, primi veluti huius negotii motoris, omni itaque, quo possum, studio eidem hoc negotium recommendo, ut quam primum expeditionem eiusdem habere possim. Unum hic diligenter notandum erit quod etiam in literis ad Patrem Nicolaum datis expressi et R.mae D. T. candidissime aperui. Cavendum nobis in hoc negotio ne aliquid fiat vel in praeiudicium Privilegiorum nostrorum, vel contra proxim Curiae. Et in praeiudicium quidem nostrum esset, si pro Episcopatu Haliciensi praecise confirmaretur. Cum enim privilegium nobis sit datum a Sancta Sede Apostolica, ut omnes Episcopos Archiepiscopus consecret sine ulla Confirmatione papali, et ego ipse, licet cum futura successione essem Episcopus Haliciensis, nullas literas Pontificias confirmatarias habuerim usque ad mortem Antecessoris mei, fit ut si haec praxis immutaretur, aliquod novum onus sensim sine sensu nobis imponeretur.

Ex alia vero parte praxis Curiae est mortuo Archiepiscopo alii tradere Archiepiscopatum, ut patet ex copia meae confirmationis, quam hic includo. Quo fit ut me vivente pleneque ac totaliter Archiepiscopatum tenente talis confirmatio nullo modo dari possit, nisi forte supposita habitave mea voluntaria prævia iuris tantum resignatione, quam si Sanctissimus D. Noster requisiert libentissime faciam. Id est deponendo onus quoad ius non quoad factum, quod Dei gratia adhuc non expedit. Et praesertim cum R.mo Coadiutori meo datum sit a Serenissimo Privilegium eo tenore, ut etiam me vivente, si mea voluntaria intercesserit resignatio, plenum ius ad rem et in re totius Archiep. habere possit. Quare difficultatibus ex utraque parte propositis D. T. R.mam obsecro, ut negotio hoc tam gravi, iusta trutina examinato, ita hac in parte procedere velit, prout optimum in Domino videbitur.

Confidentissimi quidam nostri ex Patribus Societatis dixerunt nobis quod hucusque adhuc nullas literas a suo R.mo Generali habuerint, quibus tempe-

²⁹⁰ Agitur semper de fido amico Metropolitae, Francisco Ingoli.

raret zelum Patrum mutationem de Ritu nostro ad Latinum persuadentium; quae quoadusque, inquiunt, illis non visae fuerint in his partibus, omnes querelae nostrae et gemitus aërem petent. Obsecro itaque R.m D. T. ut hoc R.mo Generali a S. Congreg. imponatur. Sed ecce iam et Regem contra nos com-movent, ut ex inclusa hic copia patet literarum, ad me novissime scriptarum. Seit enim R.ma D. T. nullas nos habere Bullas, ne quidem decretum auten-ticum et tamen Serenissimus male informatus dicit me publicare Bullas con-tra transitum. Quod tam mihi est grave quam toti Ecclesiae nostrae dam-no-sum cum haec tenus post Deum promotor noster hic ille unicus fuerit (f. 346v). Novas quasdam subortas Romae difficultates circa Sacraenta Ecclesiae Grae-cae audio, et ne aliquid nescientibus nobis, nobis contrarium determinetur vehementer timeo; solito itaque R.mae D. T. erga res nostras zelo hoc quoque negotium cordialiter commendo, ut non prius ad censuram quam gradatim descendatur. Scribo Patri Nicolao, ut mihi transmittat copiam illorum in qui-bus est difficultas ut nos etiam examinemus, utrum Graecos labirynthos ober-remus; ante tempus enim nolumus nos ingerere, scientes quomodo notetur excusatio non petita.

Qui inter nos iam et Schismaticos tractatus interveniant, et quomodo iam de Patriarcha altum silentium, de Nicodemis denique quibusdam ex princi-palibus illorum proxima occasione scribam ad S. Congregationem. D. T. inte-rim R.mam ambabus ulnis ut charissimum Fratrem amplectens, eandem diu-tissime et quam faelicissime annare et perannare toto corde exopto ac Sacro-sanctis suis Sacrificiis me ipsum totiusque Ecclesiae nostrae necessitates offero.

Chelmae, Maii 12 . 1627.

Illustri et Rev.mae D. V. addictissimus Fr. et servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien.

(fol. 353v): Perillustri ac Rev.mo Domino Francisco Ingolo, Secretario
S. C. de Prop. Fide. Fratri observantissimo. (*sigil et notae*).

88.

Cholm, 12 . V . 1627

Pertractationes cum non Unitis de Patriarchatu Kioviensi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 67, fol. 359, 368v.

Ill.mi et R.mi D.ni. Domini Colendissimi.

Negotium de Patriarcha Rutheno²⁹¹ per vos Ill.mi D.ni et S. Sedem deter-minatum ea conditione, ut prius omnes professionem fidei emittant, norma mihi erit in reliquis cum Schismaticis tractatibus. Et sane haec tenus hunc ve-luti arrabonem ad S. accedentes Unionem deponebant, neque aliud eiurati

²⁹¹ Erat conditio sine qua tractatus cum non Unitis non erant possibles, ad Unionem s. o. Universalem in tota Ucraina et Bielarusja stabilendam. Cfr. D. TANCZUK, *Quaestio Pa-triarchatus Kioviensis tempore conaminum Unionis Ruthenorum* (1582-1632), in "Analecta OSBM", vol. I, Romae 1949, pag. 128-144.

Schismatis suscipiebamus documentum. Sed eo tenacius idem practicabimus, quo clarius mentem Coclitis oraculi videmus. Interim apud nos de Patriarcha altum silentium; novi enim indies emergunt modi S. Unionem propagandi, de quo paulo post si prius visitationem meam quam in propria persona nunc primum in Volinia Schismaticorum sentina suscipi, absolvero. Inveni enim Nicodemos, qui noctu ad nos veniant, ordines privatim suscipiant, per Monasteria Schismaticorum in Superiores constituentur, etc. Hoeque propter metum potentum. Sed de his et aliis uberius postmodum. Nunc pro consolatione D. V. Ill.marum hie includo attestationem nobilissimi miraculi per Servum Dei Josaphat patrati, cuius originali mihi relicto eiusdem copiam manu mea subscripti. Speramus fore, ut sanguis illius fiat semen Unitorum, promotoribus D. V. Ill.mis quas Deus Gloriosus Ecclesiae suae Sanctae et Reipublicae Christianae quam diutissime servet incolumes.

Chelmae, 12 Maii 1627.

Ill.marum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 368v): Ill.mis ac Rev.mis Dominis. Dominis Antistitibus S. C. de Prop. Fide. Dominis colendissimis. (*sigil. et notae*)

89.

Dubno, 10 . VII . 1627

Conamina Unionis Universalis.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 67, fol. 349, 350v.

Ill.mi et R.mi Domini. Domini Antistites
S. Congregationis de Propaganda Fide. D.ni Col.mi.

Divino plane consilio factum est, ut ante aliquot menses mihi mitteretur ultima D. V. Ill.marum decisio de modo recipiendi Schismaticos ad gremium Ecclesiae. Cum enim spe maxima hucusque teneremur, brevi praecipua Schismatis membra, a petra Apostolica, Divino magnete, elavos Schismaticorum, ex navi haeretica extrahendos, novissime vero fructus spei non mediocres deerpamus: si illa resolutio tardaret, animo propemodum pendere cogeremur. Quid itaque his temporibus gestum sit in praecipua Russiae Provincia, id est in Volhinia, ex inclusa pagina facile colligere possunt D. V. Ill.mae. Pater Sanetae Spei, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, praesentat S. D. N. et D. V. Ill.mis lupum rapacem, conversum in agnum; et cum illo alios etiam praesentabit. Sed quia in hoc conversionis articulo aliqua D. V. Ill.mis subiiciuntur examinanda, humillime peto, ut illa et examinare et pro libitu suo determinare dignentur, nosque solita cura et patrocinio contueri. Deus O.M. D.V. Ill.mas Ecclesiae suae S. et Reip. Christianae quam diutissime servet incolumes.

Dubnae, Julii 10, Anno 1627.

Ill.marum ac Rev.marum DD. Vestrarum humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Kiov. totiusque Russiae.

(fol. 350v): *Sacrae Congr. de Prop. Fide. (sigil. et notae)*

90.

Dubno, 10 . VII . 1627

*Referat de conversione Meletii Smotryckyj, et expostulat quasdam resolutio-
nes S. Sedis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 67, fol. 354, 358v.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Reddit B. V. per me ac suas literas obedientiam R.mus Meletius Smotri-
cius²⁹² nuncupatus Archiepiscopus Polocensis, Schismaticorum in Septentrio-
ne facile princeps; Cuius ego reditum soli Deo Glorioso et sanguini Martyris
illius Iosaphat adscribo. Enimvero quod Paulus fuit Stephano, id Smotricius
Chuneevitio²⁹³; quid si ergo sicut conversionem Pauli adscribimus orationibus
Stephani, ita conversionem Smotricii Chuneevitio tribuamus? Conclamatum
quippe est R.mum Meletium Schismaticos paricidas tum scriptis, tum dictis
contra Pastorem suum concitasse. Obsecro itaque humillime B. V. ut eundem
inter suos Rhutenos iam abhinc recipere dignetur, sperans eum in agro Domi-
nico ex illo fructum, quem a vero Paenitente exspectari posse. Interim oc-
cultum esse illum Unitum aliquo tempore persuaserunt rationes ab illo ad
S. Officium missae. Ego vero iustissimae B. V. trutinae subiicio: An hoc illi
et Unioni expediat, et quamdiu. Itemque cum certo sciam illum consecratum
fuisse in schismate Episcopum, consilium humillime peto an illi apud Sere-
nissimum aliqua Cathedra procuranda, an alicuius Cathedrae Suffraganeus
constituendus; an titulo aliquo in partibus infidelium donandus. In omnibus
B. V. praestolans resolutionem. Quam Deus Ecclesiae Suae S. quam diutissime
servet incolumem. Eiusdemque benedictionem pro me et ovibus meis humil-
lime deposco.

Dubnae, Iulii 10, Anno 1627.

Beatitudinis Vestrae indignus filius

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 358v): Sanctissimo ac Beatissimo Patri. Domino Domino nostro ele-
mentissimo. (*sigil.*)

91.

Dubno, 10 . VII . 1627

*De eadem conversione Meletii Smotryckyj referat etiam Secretario S. Con-
gregationis de Prop. Fide.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 67, fol. 360, 367v.

Perill.ris et R.me Domine. Fr. Colendissime.

Ruteneae sagena Ecclesiae in portu Romano exoneratur magnis piscibus

²⁹² Cfr. de Meletio Smotryckyj inter alia opusculum recens: M. M. SABOL, *De Meletio Smotryckyj - polemista anticatholico*, Romae 1952.

²⁹³ Erat anti-Archiepiscopus Polocensis contra Archiepiscopum legitimum, Josaphat Kun-
cewycz. Instigante indirecte Meletio, Josaphat occisus fuit in odium fidei catholicae die
12.XI.1623.

si non plena, saltem onusta. Meletius ille Smotrieius nuncupatus apud Schismaticos Archiepiscopus Polocensis, quo neminem doctiorem aequem ac Unioni S. infestiorum Schisma in his partibus habuit, mihi iam reddidit et per me S.D.N. reddit obedientiam. Sed quomodo cum illo processum ex inclusis literis colliget D. V. R.ma. Ego nulli alteri quam sanguini Servi Dei Josaphat hanc conversionem adscribo; sicut e converso mortem eiusdem tanquam causae originali R.mo Meletio cum voce populi attribuo. Ecce ergo ex Saulo Paulus, ex lupo agnus. Spero ego, Deo iuvante, magnum per illum in Ecclesia Rhutena Catholica fructum, dummodo non tardet a S. Officio responsum, quomodo illi procedendum sit, an latendum, an patefiendum, ut ex ipsis postulatis constat. Rogo ergo enixe D. V. R.m ut hoc ut possum accelerare dignetur. Et quoniam in hoc negotio insignis erit zelus Ill.mi et Excellentissimi Ducis Alexandri ab Ostrog Zaslauschi, Palatini Bracaviensis, valde rogo D. V. R.m, ut obtinere pro illo dignetur a S.D.N. Breve tam sancti studii collaudatorium, et ad maiora provocans. Interim D. V. R.ma mecum congaudens super peccatore proenientiam agente pristino me affectu prosequatur. Eidemque me ex corde offero.

Dubnae, Julii 10, Anno 1627.

Illustris ac R.mae D. V. addictissimus fr. et servus
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.
(fol. 367v): Perillustri ac Rev.mo Domino. Fratri colendissimo. Domino
Francisco Ingolo, S. C. de Prop. Fide Secretario. (*sigil. et notae*)

92.

Cholm, 18 . VII . 1627

De bonis Eparchiae Pinscensis recuperandis ab iniuste ea occupantibus.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 132, fol. 323, 329v.

Ill.mi et R.mi Domini. Domini colend.mi.

Stylo nostro insistentes in novis quae indies exoriuntur difficultatibus ad D. V. Ill.mas tanquam ad asylum configiendum esse censemus. Bona Episcopatus nostri Pinsensis (quem nunc vir catholicus multorumque ante annorum religiosus cum privilegio Serenissimi et ad meam promotionem obtinet) adeo discepta sunt, ut vix et ne vix quidem tertia illius pars a suo Episcopo possideatur, reliquis ad rerum Dominos, eosque Catholicos, devolutis. Et in particulari ad Ill.mam Dominam Ducissam ab Ostrog, nuper defuncti Palatini Vilnensis piae memoriae Chodkiewitii uxorem²⁹⁴, Viduam relictam. Quae bona dicti Episcopatus sita versus bona sua Turow dicta et plusquam mille scuta annuatim reddentia, privilegiis etiam in manu nostra existentibus detinet, neque ad ullam instantiam vult restituere; immo eadem cuidam pseudo Episcopo oppignoravit. Ad vos itaque Ill.mi Domini confugimus, ut paterne providere dignemini de modo quo nostra nobis restituantur. Patres Societatis sunt con-

²⁹⁴ Anna Aloysia Ostrožska, filia Alexandri Ostrožskyj. Joannes Carolus Chodkiewicz, Palat. Vilnensis († 1621).

fessarii illius; possunt facere scrupulum si vellent, ipsa etiam est catholicissima; ad primas literas Sanctissimi multa bona promitteremus nobis. Et quidem huius opinionis hucusque fuimus: Patres Societatis monitos fuisse per Ill.mum Nuncium Apostolicum de scrupulo illi hac in parte faciendo; sed candide nuper nobis responderunt se tantum et monuisse et monere debuisse de bonis ad Episcopatum nostrum Luceoriensem pertinentibus. Cum vero idem praeiudicium patiatur Ecclesia Pinscensis humillime D. V. Ill.mis supplicamus, ut etiam hac in parte solide moneatur. Alia etiam negotia commisimus D. V. Ill.mis referenda per Patrem Nicolaum Novacium, Agentem nostrum; et in his benignas nobis aures tribuere dignentur humillime supplicamus D. V. Ill.mis. Quas Deus Ecclesiae Suae S. et Reip. Christianae quam diutissime servet incolumes.

Chelmae, Julii 18, Anno 1627.

Illustrissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chiov. totiusque Russiae (mp)
(fol. 329v): *Sacrae Congr. de Prop. Fide. (notae et sigill.)*

93.

Cholm, 20 . VII . 1627

Gratias agit de concessione ecclesiae in Urbe petitque ut opus inceptum ultius promoveatur.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 132, fol. 320, 330v.

III.mi et Rd.mi Domini. Domini Colend.mi.

Si quando S.R.E. et D. V. Ill.marum Ruthena Ecclesia erga se favorem experta est, in collatione certe ecclesiae S. Laurentii ita se adamata sentit, ut licet quid sibi amoris praestatur optime videat, tamen quid contrahat debiti non praevideat. Quoniam vero rei magnitudine investigata probe cognoscimus hoc tale tantumque beneficium tanquam ex divite quadam vena, ex immenso de immeritis etiam benemerendi D. V. Ill.marum studio promanare, id D. V. Ill.mis tanquam primae post S. D. Nostrum causae acceptum referimus, id unice postulantes ut ad hoc Suae S. voluntatis beneplacitum illud quoque addere dignemini, ut libere nobis imponant quod pro defensione S.R.E. nos facere debere in Domino iudieant D. V. Ill.mae. Ceterum his gratiis pro posse nostro relatis S.D.N. et D. V. Ill.mis scribo Patri Nicolao, Agenti nostro, ut ad dictam ecclesiam iaciat fundamenta mansionis filiorum S.R.E. in Ritu Graeco catholico. Non dubitamus enim quin quod autoribus D. V. Ill.mis incipiet, id iisdem promotoribus assequatur. Deus gloriosus faxit, ut huius de Ruthenis operariis spei uberes fructus percipient D. V. Ill.mae. Quas Deus patrocinio et tutelae suorum quam diutissime servet incolumes.

Chelmae, 20 Iulii 1627.

Ill.marum ac Reverendissimarum DD. Vestrarum humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chiov. totiusque Russiae (mp)
(fol. 330v): *Sacrae Congregationi de Prop. Fide. (notae Secret. et sigill.)*

94.

Bilopil, 10 . IX . 1627

Obedientiam reddet novo Nuntio Apostolico et Alumnos ad Urbem proficiscentes recommendat.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, *Codex familiae Santacroce*, v. 10759, fol. 41.

Illustrissime ac Reverendissime Domine. Domine Colendissime²⁹⁵.

Postquam intellexi Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem Vestram venisse in Regnum istud ad obeundum munus Apostolicum, delegata ab Eo, qui cathedram tenet Apostolicam, mearum esse partium arbitratus sum, ut quamprimum nomine meo et aliorum octo Fratrum et Coepiscoporum meorum, S.R.E. intime unitorum, nominibus tantum hospitem exciperem, eique obedientiam Sanctae Sedi Apostolicae ac in ea sedenti Urbano divina providentia VIII, Pontifici Maximo, debitam praestarem, quod per hasce litteras in praesentia facio, facturus postmodum personalem vel per me vel per unum ex dictis Episcopis Ecclesiae Ruthenae.

Et quia mitto duos in Urbem ad Collegium Graecorum, in quo ex gratia Suae Sanctitatis habemus loca pro nostris Ruthenis, quorum alter est Nicephorus Losovschi²⁹⁶ Monachus S. Basillii et actu praesbyter, alter saecularis Jacobus Oranschi²⁹⁷, iuvenis nobilis, hos ad Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Vestram divertere, et ab ea paternam benedictionem pro hac via his temporibus non usque adeo faciliter petere iussi, quam ut obtineant humillime rogo, et simul mea promptissima officia ad nutum semper parata Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestræ cum humili mea subiectione etiam atque etiam offero.

Datae Bilopoli, 10 Septembbris 1627.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestræ addictissimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae (mp).

95.

Cholm, 12 . IX . 1627

Commendat Protectori Collegii Graecorum novos Alumnos Ruthenos.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 2168, fol. 80.

Ill.me et Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Prout gratiam Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestræ experior quotiescumque meos Ruthenos hinc ad Collegium Graecorum de Urbe mitto, pro

²⁹⁵ Agitur de novo Nuntio Varsaviensi - Antonio Santacroce (1627-1630).

²⁹⁶ Losovskyj Nicolaus Nicephorus, admissus in Collegium die 1 Decembris 1627, aet. 19 annorum.

²⁹⁷ Jacobus Oranskyj, admissus 1 Decembris 1627, saecularis, qui « studiò filosofia, e teologia per un anno, e essendo ritornato in Polonia si trattiene nella Corte del Re », prout habet adnotatio in Tabulario.

quo ego, et ipsi, et universa Russia obligatissimi sumus Ill.mae et Rev.mae Dominationi Vestrae, ita et hos duos quos in praesentia mitto, Nicephorum monachum Ordinis S. Basilii et praesbyterum, alterum Jacobum, saecularem, suscipiendos iri sub patrocinium Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae nihil ambigo, et ut iussu Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae in numerum Alumnorum Collegii Graecorum Romani adseribantur etiam atque etiam rogo. Nostrum erit curare, ut quod Sacra Romana Ecclesia ab Alumnis Collegii Graecorum exigit, ab ipsis suo tempore praestetur, quos et me cum illis singulari gratiae Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae cum humili mea subiectione etiam atque etiam commendo.

Chelmae, 12 Septembris 1627.

Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae (mp).

96.

Ruta, 29 . XII . 1627

Accusat receptionem litterarum, excusat se, se accepisse Brevia refert, et quod mittit novos Alumnos ad Coll. Graetzenze certiorem facit. Refert de negotio matrimoniorum clandestinorum.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, Codex familiae Santacroce, vol. 10759, fol. 55.

Illustrissime ac Reverendissime Domine. Domine Colendissime²⁹⁸.

Ad ternas litteras Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, de data 28 Augusti et 16 Octobris, nunc primum respondeo, non negligentia mea, quae procul abesse debet, sed quod contigerem hinc inde, non uno loco affixus, sed obeundo Volhynia Palatinatum Russiae et Belzensem, modo etiam excurrendo in Lithuania, unde praesens scribo, subinde loca muto, ut litterae Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae tam cito ad me venire non potuerint, neque non sciebant illi, qui transmittebant, quorsus dirigere debebant, sed et postquam pervenerunt, non statim responsum mittere possum, nunc per Vilnenses mitto. Indignissimus sum his encomiis quibus me ornare dignetur Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vesta; conabor tamen pro exiguitate mea correspondere spei de me conceptae Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae. Quod porro opera sua apud Ser.mum Regem nostrum, Regnique istius Proceres mihi et nostris tam benevole ed liberaliter offerat Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vesta, infinitas ago gratias, unde eo confidentius ad ipsam, tanquam ad asylum in necessitatibus meis configiam. Breve indulgentiarum his ipsis litteris inclusum accepi. Ad Alumnatum Graetzenze in Styria mittere quam primum adolescentes Ruthenos curabo, et Sacrae Congregationi de Propaganda Fide pro hoc beneficio per peculiares meas litteras gratias agam.

²⁹⁸ Nuntio Varsaviensi (1627-1630).

Omnis litteras ex Urbe, quarum in litteris suis facit mentionem Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra, iam accepi, et respondere non tardabo.

Decretum Concilii Tridentini de reformatione matrimonii, qualiter a me et a Coepiscopis meis sit publicatum, itemque de Decreto ante septem annos de clandestinis matrimoniis a nobis facto respondebo²⁹⁹, postquam cum aliquibus ex nostris conferam, ut eo pleniorum horum negotiorum informatiōnem, prout cupit Saera Congregatio, mittere possim. Sed litteras priores in Augusto scriptas, in quibus Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra se fusius scripsisse non accepi, nec quidquid scirem de hoc nisi aliis suis litteris Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra opportune id mihi explicuisset. Doleo tamen illas non pervenisse, quia forte erant etiam aliqua alia. Quod reliquum est, Deum Optimum Maximum rogo, ut Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram Ecclesiae suae sanctae et Reipublicae Christianae servet incolumem diutissime.

Rutae, 29 Decembbris 1627.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humilis servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae

A tergo, manu Raphaelis Korsak: Illustrissimo ac Reverendissimo Domino. Domino Antonio a Sancta Cruce, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopo Seleuciae, atque eiusdem Sanctae Sedis ad Serenissimum Poloniae et Sueciae Regem Nuntio Apostolico, etc. etc. Domino Colendissimo.

97.

Bilopil, 28 . I . 1628

De gestis in Russia nec non de Patriarcha Constantinopolitano.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 69, fol. 422, 427v.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Relationem eorum quae hac hyeme et hoc vere gesta sunt in Russia mitto ad S. Congregationem de Propag. Fide; hanc ad Ill.mam et R.mam D. V. prius legendam et postea S. Congregationi per ipsam praesentandam mitto. Praeterea exemplar literarum ad Cyrillum Patriarcham Constatinop. praesentem, a nostro Meletio qui multum proficit apud Schismaticos scriptarum, ad quas Cyrillus viva voce respondit, se nunc respondere non posse, maiori enim deliberatione et tempore responsum hoc indigere quam ut hoc anno fieri possit; nobis propterea erat necessariam ut probat se esse Calvinistam, et nos nostris Rutenis autentice literis illis ipsis hoc probare possimus. Catechismus ipsius debebat mitti nobis a S. Congr.; nondum accepimus illum. Reliqua ex dicta relatione sua propterea manu mea propria scripta est quia apud nos de his paucissimi scient, intelliget Ill.ma ac R.ma D. V. Cuius patrocinio et

²⁹⁹ In Synodo Eparchiali Kioviensi. Quisque Episcoporum in sua Eparchia conabatur quotannis Synodus celebrare. Modo speciali hac in re distinguabantur Josaphat Kuncewycz, Archiepiscopus Polocensis, et ipse Metropolita Kioviensis, Rutskyj.

paternae curae nos nostraque omnia cum humili subiectione nostra commendamus.

Bilopoli, 28 Jan. 1628.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 427v): *Notae Secretarii et alia manu:* Ill.mo Domino Cardinali Bandino.

98.

Dubno, 30 . I . 1628

Gratias agit pro diversis beneficiis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 132, fol. 319, 331v.

Sanetissime ac Beatissime Pater.

Affectum Beatitudinis Vestrae erga Ruthenos Catholicos paternum initio statim Summi Pontificatus sui satis abunde cognovimus, qui multis post modum auctus argumentis, magis ac magis nobis innotescerat, et ad maiorem ac maiorem Sedis Apostolicae in eaque feliciter sedentis Beatitudinis Vestrae amorem, venerationem, et cultum nos stimulabat. Novissime nunc Breve Apostolicum Beatitudinis Vestrae confudit nos³⁰⁰, cum parva quae fiunt a nobis (dummodo et ista rite fiant) pro magnis reputare dignatur Beatitudo Vestra, cui ut omnia nostra probari cupimus, ita quod grata sint gaudemus, et ad maiora indies audenda animant, ut tuam, Beatissime Pater, Apostolicam Benedictiōnem promereamur, cuius adiuti auxilio non tantum rabiem Haereticorum et Schismaticorum, quibus undique septi sumus, sed et malevolorum quorundum, proh dolor! Catholicorum, contra Sanetam Unionem iniqua odia superare possimus.

Munificentia Beatitudinis Vestrae in missis pro Seminario Rutheno, in his partibus erigendo, mille scutis excitavit animos et voluntates nostratium, ad nobilem pro perficiendo hoc opere contributionem; quod totum bonis auspiciis et exhortationi Paternae Beatitudinis Vestrae tribuimus, et gratias quas mens nostra concipere (f. 319v) potest maiores agimus. Neque minores pro nobili in Urbe Ecclesia Saneti Laurentii in Fonte dicta, a Beatitudine Vestra nobis liberaliter concessa, ut penes illam perpetua nostralium sit mansio, quae Unionem Sanetam animis Ruthenorum Dei gratia et Summorum Pontificum cura insertam, conservet, augeat, et perennet. Medium Saneto huic fini accommodatissimum. Perpetuos ibi fidelitatis et observantiae nostrae S.R.E. et Praesidentes in ea habebunt obsides, gluten hoc erit perfectissimum quod Ecclesiam Ruthenam Cathedrae Petri agglutinatam tenacissime tenebit, ut non separtur ab ea in aeternum. Quod totum providentiae pastorali et benigitati in nos Paternae Beatitudinis Vestrae acceptum referimus Rutheni nunc viventes,

³⁰⁰ Difficile dictu de quonam agitur Brevi; fortasse de Brevi de data 7.VII.1627, quo conceduntur indulgentiae pro peragentibus exercitia spiritualia apud PP. Basilianos.

referent et post nos victuri ad consummationem saeculi. Cum his nomine meo, Fratrum meorum Episcoporum, Cleri, et Populi Rutheni catholici, Sanctae Sedi Apostolicae subiecti, ad pedes Beatitudinis Vestrae prostratus, benedictionem mihi et his omnibus apostolicam humillime peto.

Dubnae, XXX Januarii, Anno M.D.C.XXIIImo.

Beatitudinis Vestrae Domini Nostri Clementissimi indignus filius
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiov. totiusque Russiae (mp).

99.

Vilna, 15 . IV . 1628

Litterae procuraे in negotio beatificationis S. Josaphat.

ASV, ARCH. S. C. RITUUM, *Processus*, vol. 2289, fol. 1v-2.
WELYKYJ A. G., *S. Josaphat*, vol. II, pag. 9-10.

Comparuit adm. R. P. Nicolaus Novatius³⁰¹, Ruthenus, Sacerdos Religionis Ordinis S. Basillii Procurator ad infrascripta peragenda specialiter constitutus per litteras patentes cum sua subscriptione et sigillo sub data Wilnae anno 1628 die 15 Aprilis a Rev.mo P. Josepho Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien, totiusque Russiae prout de dicto mandato procuraे docuit coram me, quod ad effectum hic inserendum mihi consignavit tenoris infradicti:

In Dei Filio sibi dilecto adm. R. P. Fratri Nicolao Novacio nostrae Religionis Ordinis S. Basillii Sacerdoti Josephus Velamin Rutschi Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Chioviensis totiusque Russiae Metropolita.

Cum in dies magis magisque post susceptum pro primatu Divi Petri, ac defensione Sanctae Romanae Ecclesiae martyrium ab haereticis, et schysmaticis a Dei Servo, et gloriose Martyre Josaphat Chuneevicio, Archiepiscopo Polocensi³⁰², nostri Ordinis, fama sanctitatis, heroicarum virtutum ac miraculorum ubique dilatetur, ita ut non solum a nobis, sed etiam ab omnibus Christi fidelibus Regni Poloniae habitus fuerit, ac in dies magis ac magis pro Sancto, et vero Dei martyre habeatur, et reputetur, qua fama sanctitatis non solum in vita, sed et post mortem multis, et gravissimorum hominum iudiciis et divinis ut pie creditur testimoniis comprobata fuit, nec solum eius sepulcrum, sed et multa in quibus aliquamdiu vixit loca magni fidelium coetus pie frequentent, et multa se propter eundem gloriosum martyrem a Deo omnipotenti supra vires naturae genera impetrasse testantur, nos enim ad haec omnia respicientes, et ne fama sanctitatis heroicarum virtutum martyrii pro defensione Summi Apostolatus suscepti, ac opinio miraculorum tanti Servi Dei cursu temporis pereat, ideo illius solemnem Beatificationem seu Canonisationem a Sancta Sede Apostolica petendam esse decernimus. Teque admodum R.D.P. Nicolaum Novatium nostri Ordinis Sacerdotem, cuius fidelis industria in Domino nobis perspicua est, in procuratorem, aetorem, factorem, et huiusmodi causae

³⁰¹ Procurator negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe (1626-1633).

³⁰² Occisus in defensionem Primatus Romani die 12 Novembris 1623, Vitebsci.

gestorem constituentes, et propterea quascumque litteras remissoriales et compulsoriales, ad instantiam nostram tam a Sacra Rituum Congregatione, quam a Sacra Rota obtainendas, expediendasque, omnesque actus in huiusmodi causa opportunos, et tibi benevisos faciendi testesque, instrumenta, et documenta, ac iura quaecumque deducendi, inducendi, allegandi, et producendi, eosdemque testes examinari, et eorum dicta et depositiones, ac etiam iura pertinentia ad probandum recipi et admitti, petendi, et faciendi, de notario seu notariis concordandi, omniaque alia acta pro dicta Beatificatione, et Canonisatione obtainenda faciendi, unum quoque vel plures tam in Urbe quam alibi ubicumque locorum opus fuerit procuratorem seu procuratores loco sui cum simili, aut limitata potestate substituendi, eumque, vel eos revocandi toties quoties tibi visum fuerit expedire. Tibique etiam in hac causa auctoritatem nostram ad omnia quae erunt pro Beatificatione, et Canonisatione procuranda communiamus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Datum in Palatio nostro Archiepiscopali Wilnensi anno 1628, die vero 15 Mensis Aprilis.

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae has litteras procuraे in negotio Canonisationis Servi Dei Josaphat subscribo manu propria. (*sigil.*)

100.

Cholm, 12 . V . 1628

Metropolita instruit Nuntium Apost. de sua activitate in Volhynia et informationem dat de Duce Alexandro Zaslawskyj ab Ostrog.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, *Codex familiae Santacroce*, vol. 10759, fol. 59.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime ³⁰³.

Pro gratiis exhibitis Coadiutori meo, dum esset Varsaviae in fine Januarii anni praesentis, Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae gratias ago quas possum maximas. Per litteras fecit ille relationem, oretenus facere non potuit; fuit enim in longe distantes a praesenti mea residentia in partes, Polociam et Vitebscum, cum aliis Commissariis a Sede Apostolica deputatus ad faciendum processum vitae, mortis et miraculorum beatae memoriae Archiepiscopi Polocensis, a Schismaticis pro fide catholica occisi ³⁰⁴. Scribit mihi Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra ut mittam illa quae mittere debui iussu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, de quibus me anno superiori monuerat Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra, et publicationem Synodi meae diocesanae de abrogatione matrimoniorum clandestinorum ³⁰⁵ hanc misi, mitterem nunc iterum, sed Acta illa sunt penes Rev.mum Coadiutorem meum residentem in Lithuania; penes me nunc non sunt; si aliquid aliud non venit

³⁰³ Nuntio Apostolico Varsaviensi, Antonio Santacroce (1627-1630).

³⁰⁴ Die 12 Novembris 1623.

³⁰⁵ Fortasse hic agitur de Synode Novogrodecensi an. 1619. die 11 Octobris. Cfr. supra.

mihi in mentem et si non statim respondeo ad litteras Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, obsecro ne mihi vitio vertatur; exspectare enim debemus occasionem, quando volumus scribere litteras, qui proprios tabellarios habere non possumus. In hoc Regno non ubique sunt Postae, ego etiam non in uno loco commoror. Ecce et nunc ante triduum redii ex Volhynia et Podolia, ubi fui in necessitatibus Ecclesiae nostrae. Relationem eorum quae ibi gesta sunt transmittet vel ipse in manus porriget Ill.mus Alexander Dux ab Ostrog in Zaslaw, Palatinus Bracaviensis³⁰⁶, qui pro futuris Comitiis erit Varsaviae. Iste est qui plurimum favet nobis, promovet Sanctam Unionem nunc ad tempus occulte, paratus postea aperte. Multum potest in partibus Schismaticorum non tantum ratione bonorum ipsius haereditariorum, sed etiam ratione bonorum Castellani olim Cracoviensis, Ducis ab Ostrog³⁰⁷, in quae succedit filius ipsius, sic ordinante Castellano praememorato. Habet præterea dotes naturae eximias, et studuit non medioriter, unde potest multa bona facere, et habet affectum ad promovendam Sanctam Unionem. Idem Dux feliciter et valde dextre laboravit cum principe Schismaticorum Meletio Smotricio, Archiepiscopo, ut ipse se nominaverat, Polocensi cum tali successu, de quo iam seit Ill.ma ac Rev.ma Dominationis Vestra qualis sit ista persona, et quantum boni per ipsam Sedis Apostolica potest facere in his partibus. Visitabit autem Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram in proxime venturis Comitiis, ad quas nullum nunc mittemus, quia ad unum solum actum belli Suetici indicta sunt, unde nihil in iis aliud tractabitur.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae gratiae et patrocinio singulari me nostraque omnia cum humillima subiectione etiam atque etiam commendando.
Chelmae, 12 Maii 1628.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae addictissimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae (mp).

Finivi litteras, et ecce accipio litteras Vilna, in quibus scribitur quod duo Episcopi nostri Rutheni venient ad Comitia.

101.

Cholm, 28 . VI . 1628

Transmittit Processum beatificationis et commendat hanc causam.

APF, *Scri. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 69, fol. 423, 426v.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, nr. 12, pag. 201.

WELYKYJ A. G., *S. Josaphat*, vol. I, pag. 301, nr. 86.

Ill.mi ac Rev.mi Domini S. Congregationis de Propaganda Fide
Antistites Amplissimi.

Vineae novellae fructum vobis illius Operariis offerimus triumphantes de inimicis illius Schismaticis, qui dum illam demoliri in toto, vel depascere in

³⁰⁶ Hoc tempore maximam habuit partem in conversione Meletii Smotryckyj, Polemistæ anticatholici. Cfr. eius epistolam in J. SUSZA, *Paulus et Saulus Ruthenae Unionis... Meletius Smotriscius...*, Romae 1665; alia editio a Joanne Martinov procurata Bruxellis 1864.

³⁰⁷ Janusz Ostrožskij, filius Constantini Ostrožskij. Obiit an. 1620. Dux Zaslaviensis uxorem duxit filiam Janusii Euphosynam.

parte conantur, ipsis furentibus et frementibus, esse speciosa in oculis Dei et hominum appetit. Fructus hic ut populo Dei proponatur ad publicam utilitatem procurare dignentur Ill.mae et R.mae Dominationes Vestrae apud Custodem Vineae. Josaphat Cuncevitus Archiepiscopus Polocen. est Vineae Rutenae fructus, qui dum studet impendere se utilitati omnium, animose et labioriose propagando fidem catholicam ab hostibus illius Schismaticis immanissime occiditur. Hic ut triumphet in perpetuum de truculentis istis hostibus, Sanctae Congregationi de Propaganda Fide, cuius ipse fidelis Minister extitit, prae aliis convenit intercedere apud Suam Sanctitatem D. N. ut iste strenuus Miles Christi convenienti condecoretur praemio, quod licet ipsam per se promptissime, facturam confidimus, tamen ne ex parte nostra desimus nobis, ego nomine Fratrum meorum Coepiscoporum et totius Ecclesiae Rutenae cum S.R.E. intime unitorum Ill.mas ac Rev.mas Dominationes Vestrarum, ut hoc facere dignentur, etiam atque est rogamus. Quorum patrocinio, curae et sollicitudini paternae nos nostraque omnia cum humillima nostrimet subiectione etiam atque etiam commendamus.

Chelmae, 28 Junii, Anno 1628.

Ill.marum et Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metrop. Chiov.

(fol. 426v): Ill.mis ac Rev.mis S. R. E. Cardinalibus S. C. de Prop. Fide
Antistitibus, Dominis Colendissimis. (*sigil. et notae*).

102.

Cholm, 28 . VI . 1628

De eodem Processu beatificationis certiorem facit etiam Cardinalem Bandini.

APP, *Seritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 69, fol. 424, 425v.

HOFMANN, G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, nr. 12, pag. 201.

WELYKYJ A. G., *S. Josaphat*, vol. I, pag. 301, nr. 85.

III.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Expedita est per Dei gratiam inquisitio³⁰⁸ in vitam, mortem et miracula Viri Dei Josaphat Archiepiscopi Polocen. a Schismaticis occisi per Commissarios Apostolicos, quam inquisitionem iidem Domini Commissarii si nondum miserunt, mittent. Ill.mam ac R.mam D. V. obnixe rogamus, ut tam sancto negotio pro suo paterno in nos amore, et pro solito zelo promovendae Unionis Rutenorum patrocinari tam apud Sacrum Collegium Illustrissimorum Dominorum Cardinalium S.R.E. quam apud Suam Sanctitatem D. N. dignetur. Deus Illustrissimam ac Rev.mam Dominationem Vestrarum Ecclesiae suae S. et Reip. Christianae servet diutissime incolumem.

Chelmae, 28 Jnii 1628.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 425v): Ill.mo ac Rev.mo Domino Octavio Bandino, S.R.E. Cardinali amplissimo. (*sigil. et notae*)

³⁰⁸ Processus an. 1628. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, Romae 1952.

103.

Cholm, 28 . VI . 1628

Ampla relatio de conaminibus Unionis Universalis, de Synodo Kioviensi, de itineribus in Volhinia, de Episcopo Munkacsensi, de Archimandrita Kioviensi, nec non de missione in Graeciam et alia.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 69, fol. 428-432v.

**III.mi ac Rev.mi D.mi S. Congregationis de Propaganda Fide
Antistites, Domini Colendissimi.**

Post ultimas meas circa initium Januarii ex Lituania datas literas ista gesta sunt in Russia. In 40ma Neophitus noster, R.mus Meletius, adiit Archimandritam Piecerensem Chiovien. recens nunc creatum et commoratus est apud ipsum per decem dies, quibus laboravit cum illo cum felici per Dei gratiam successu, ut diceret Archimandr. latine his formalibus verbis: Quid est, propter Summum Deum, quod nos in tantum a Romanis disternat; persuasit ipsi ut visitaret Ducem Zaslaviensem, qui laudabiliter laborat in hoc negocio; visitavit sed domi ipsum non invenit in bonis scilicet principalibus Dubnae; irebat enim ad diversa bona sua in Ucrainam, desiderando adire Chioviam, ut captaret occasionem agendi cum Pseudometropolita, ibi nunc residente, et perfecisset, nisi nostro malo adversa valetudo ipsum impedivisset. Persuasit Archimandritae et hoc ut invitaret ad se partis adversae Episcopos in bona aliqua extra Monasterium, quod et fecit, in quem conventum tanquam hospites ex diversis locis convenerunt: Job, nuncupatus Metropolita³⁰⁹, Iсаia³¹⁰, Luceorien., Paisius³¹¹, Chelmen, nuncupati ab ipsis Episcopi, adfuit et noster Meletius; conclusum est ut current uniri nobiscum et consequenter, cum S.R.E. et ne hoc fiat in praeiudicium aliorum, indixerunt Synodus totius Provinciae Chioviae pro festo Assumptionis B. V. proxime venturo; subolfecit hoc primum, postea certius cognovit Isacius³¹² nuncupatus Praemislien. qui in partibus a nobis valde remotis ultra Boristen... scilicet, rerum potitur, habens quaeque Monasteria et residentiam suam in bonis Ducis Visnovecii, misit literas encyclicas per totam Russiam, praecavendo ne cum Job Metropolita et Meletio Archiepiscopo habeant ullum commercium, se enim certo scire eos moliri proditiolem et conspirasse cum Apostata, me ornando hoc titulo. Innotuerunt ista mihi et ipsas literas legi; frequenter et cum R.mo Meletio et cum Ill.mo Duce Zaslaviensi, quem in fautorem et promotorem huius negocii elegimus, communicamus per literas, quamvis mallemus coram, sed non expedit, ne impediamus maius bonum; praeterea distantia locorum, incommoda viarum et alia non permittunt; visum igitur est mihi ire ad Ducem Visnovecium, ubi per Dei gratiam istud mihi promissum est: illum sceleratum se velle pellere ex bonis suis quinimo Popos, sacerdotes ita vocantur, in bonis suis Volhiniensibus, quos habet

³⁰⁹ Hiob Boreckyj (1620-1631), Metropolita Kioiensis non unitus.

³¹⁰ Isacius Boryskovyč Cerčekyj, Episcopus non unitus Luceoriensis (1620-1631).

³¹¹ Paisius Cerkavskyj (1620). Cathedram hanc nunquam obtinuit.

³¹² Agitur de Isaja Kopynskyj, Episcopo Peremyshiensi, qui dein (1631-1633) fuit etiam Metropolita Kioiensis non unitus.

circiter 30, subiicere Episcopis nostris unitis, exceptis ucrainensibus, ubi habet plus quam centum; hos tamen in praesentia dixit se subiicere non posse, propter insolentiam Cosacorum.

In reditu ab hoc Duce diverti ad Ducem Zaslaviensem, quo arcessivimus Meletium nostrum, sed non potuimus quicquid nobiscum conferere prout volebam, propter adventum sub idem tempus Ducis eiusdem Calvinistae, amicissimi Schismaticis, nobis autem infensissimi, qui exploratorio more attendebat ad actus, loquelas et gestus nostros dum publice ad mensam huius Ducis congregiebamur, quocirca visum est Duci et mihi, ut committerem Duci oretenus referenda quae vellem dicere dicto Meletio, et Memorale desuper in scriptis conficerem, quod et feci; responsum post biduum expecto; Dux enim eundo ad Tribunal supremum Regni Lublinum deflectet ad locum praesentis residiae meae.

Literas R.mi Meletii, quas scripsit ad praesentem Patriarcham Constantinopolitanum, latine descriptas mitto³¹³, quibus ipse tamquam ad Pastorem quasi pro tune suum scribit ut obtineat responsum et postea in libris quos imprimere debet publicet Patriarcham esse Calvinistam.

Sub initium Februarii transibat per partes has Episcopus Mucacioviens. ex Hungaria Ritus Graeci³¹⁴, initio huius anni consecratus a Metropolita Valachiae in Episcopum partium Hungariae et Transylvaniae, ubi Coloniae Rutenorum sunt numerosissimae a temporibus antiquis, quocirca et iste Episcopus natione est Rutenus, et mihi bene notus, et iste nobiscum est licet needum perfecte (f. 428v). Perficietur, Deo adiuvante, per ulteriorem mutuam conversationem quam faciemus per missiones ad ipsum, quinimo per ipsum cum Metropolita et Episcopis Valachiae et Moldaviae agere poterimus; et hic exemplo nostri Meletii scripsit ad Patriarcham Constantinopolitanum, quae dabunt initium secessionis ipsius ab illo; harum et exemplar mitto. Est praeterea in Croatia Episcopus Ritus Graeci unitus et nostrae slavonicae linguae, iisdem libris uitur quibus et nos in Sacris; mittam et ad hunc ut cognoscam quis sit; re bene intellecta significare S. Congregationi de Propaganda fide non tardabo.

Si lucrabimur, prout magnam spem habemus, praesentem Archimandritam Chiovien., de quo supra, habebimus per ipsum ingressum in Valachiam; est enim filius Princeps Moldaviae³¹⁵, illius celebris Hieremiae, et multos sanguine sibi iunetus habet in illis partibus, licet is qui in hunc Principatum a Turcis nunc intrusus est non sit ipsi sanguine iunctus, tamen reveretur hanc familiam. Futura ipsorum Synodus aperiet omnia. Nos et cum nostro Meletio sudabimus interim, ut personas ipsorum disponemus ad bonum; hoc eodem tempore ante Synodum prodibit quidam libellus praeparatorius ab ipso.

De missione in Graeciam³¹⁶, quam S. Congregatio de Propaganda Fide nobis Rutenis imponit, designavi iam duos Monachos, Theologos, linguae graecae licet pro nunc ignaros, sed qui illam addiscere poterunt, adhibita mediocri diligentia, sed quia eadem S. Congregatio iussit me hac in re conferre cum

³¹³ Cfr. *Epistolas Episcoporum*.

³¹⁴ Episcopus Munkaciensis anno 1628 erat Joannes Gregorovič (1627-1633).

³¹⁵ Agitur de Petro Mohyla, Archimandrita Pečarensi, dein vero Metropolita Kiovensi (1633-1647). Hic proveniebat ex familia ducum seu hospodar Moldaviae.

³¹⁶ Ad montem Athos, praesertim; quae tamen nullum habuit effectum, quia S. Congreg. de Prop. Fide sententiam Meletii Smotryckyj secuta fuit, qui eiusdem missionis inutilitatem probavit.

R.mo Meletio, tanquam rerum perito in illis partibus et habenti multam experientiam. Quale in hoc ipsius iudicium sit ex scriptis ad me literis describi curavi, et in charta separata descriptum mitto, et meus idem sensus est attendere prius ad nostra; in exiguo quippe numero sumus respectu tot provinciarum et longe ad invicem distantium, praeterea sine scitu et consensu Serenissimi Regis nostri id facere non usque adeo esset tutum, licet hoc minus sit. Porro Memoriale de captivis Rutenis³¹⁷ ad nos non pervenit neque fuit apud nos. P. Euthymius Constantinopolitanus, de quo mihi facta erat mentio. Si tamen Ill.mae ac R.mae Dominationes Vestrae pleniorum de illis Graeciae partibus informationem habebunt, quod sit aliquid in re, unde probabiliter sperari possit missionem hanc non futuram incassum, mandent, nos dicto obedientes erimus; nostrum nunc erat quid sentiamus de hoc aperire Ill.mis ac Rev.mis Dominationibus Vestris, quorum patrocinio nos nostraque omnia cum humillima subiectione commendamus.

Existimaremus esse pernecessarium, ut Ill.mo Nuncio Apostolico in hoc Regno residenti committatur negotium publicationis nostri Meletii quod sit Catholicus, tunc quando ipsi videbitur id demandare nobis, cui patebunt omnia nostra, a quo viciissim filius et celerius informari possumus si quando informatione indigebimus. Id tamen tantum censurae et iudicio Illustrissimarum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum subiectum esse volumus.

Datum Chelmae, 28 Junii, anno 1628.

(*sine subscriptione, etiamsi scriptura Rutscii*)

(fol. 432v): *Solummodo nota Secretarii:*

Chelmae 28 giugno 1628. Il Metropolita di Russia.

Refer. die 25 7-bris 1628, Congr. 98.

104.

Cholm, 28 . VI . 1628

Transmittit relationem de visitatione Volhyniae et intercedit pro Archiepiscopo Smolensensi, ut ruinae ecclesiae antiquissimae ei tradantur.

ARCHIVUM MUSEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, *Codex familiae Santacroce*, vol. 10759, fol. 65.

Ill.me av Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Mitto Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae relationem eorum, quae his proxime praeteritis mensibus in Volhynia in negotio Sanctae Unionis gesta sunt³¹⁸, prius ipsi legenda, postea ad Ill.mum Cardinalem Bandinum vel recta ad Rev.mum Dominum Ingoli, Secretarium Sacrae Congregationis de Propoganda Fide, transmittendam. Rev.mus Coadiutor meus erit, ut spero,

³¹⁷ Agitur de missione duorum monachorum pro exercenda cura pastorali inter captivos ucrainos Constantinopoli et in aliis locis imperii Turcici. Unoquoque fere anno ex terris Ucrainae plurima millia abducebantur a Tartaris in captitatem et in imperio Turcico venum dabantur.

³¹⁸ Cfr. supra, sub nr. 103.

in his Comitiis, propterea nihil aliud de negotiis nostris scribo, nisi quae commisi R.D. Carolo Bialozor, Custodi Vilnensi et Notario Cancellariae minoris Lithuaniae transigenda apud Illustrissimum Dominum Vicecancellarium Regni contra cives Belzenses Ruthenos, qui, cum omnia mala putant, miserunt suos concives cum supplicatione ad Sacram Regiam Maiestatem et Comitia contra me, dicet omnia Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae praedictus Reverendus Dominus.

Pro Rev.mo Episcopo nostro Smolensensi³¹⁹ supplico Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae ut apud Suam Maiestatem, data occasione, obtinere dignetur, ut dentur ipsi ruinae ecclesiae B. Virginis ex antiquo Episcoporum Smolenscenium, non tantum sub Moschis, sed statim ad initiis fidei christianaes, ne avertantur Rutheni et Moschi a nobis, dum ecclesiam hanc ipsorum antiquissimam ab ipsis auferre volumus. Potest ecclesia cathedralis futuri Episcopi latini a fundamentis, Deo adiuvante, erigi, et adiuvabit certissime, ubi hoc intuitu conversionis animarum in Ritu Graeco existentium concedetur. Scribit hac de re praedictus Episcopus ad Suam Maiestatem, et propterea famulum suum ad Curiam mittit. Utinam obtineat! Scio id futurum magno bono animarum, et ipse, video, habet magnam fidem et spem se obtenturum. Gaudet pro hoc Paschate 200 Ruthenos confessos fuisse et communicasse, cum ante annum nec unus comparuerit.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae gratiae et patrocinio me et nostra omnia etiam atque etiam commendabo.

Chelmae, 28 Junii, anno 1628.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae addictissimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

105.

Lublin, 5 . VIII . 1628

Transmittit Processum beatificationis S. Josaphat et negotium hoc Nuntio Apostolico commendat.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, Codex familiae Santacroce,
vol. 10759, fol. 67.
WELYKYJ A. G., S. Josaphat, vol. I, pag. 302-303, nr. 87.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Miseram ad Comitia Regni ad manus Admodum Reverendi Domini Caroli Bialozor Custodis Vilnensis, ea quae pertinebant ad vitam, mortem et miracula Viri Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, a Schismaticis occisi, quae ille Reverendus Dominus una cum meis ad Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram debutilisse, puto illum fecisse. Nunc hoc tantum restat, ut Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vesta intercessione sua apud Suam Sanctitatem et apud quos visum fuerit hoc pium negotium adiuvare et promovere dignetur, ut etiam si extraordinarie declaretur quo loco a Christianis

³¹⁹ Leo Kreuza (1625-1639).

et Catholicis haberi debet, quod ut facere dignetur Ill.ma ac Rev.ma Dominationis Vestra ego nomine totius Ecclesiae Ruthenae cum Sancta Romana Ecclesia unitae humillime obseero. Haec et alia nunnula fusius Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae proponet Rev.mus Raphaël, Coadiutor meus. Interim me et promptissima absequia mea gratiae et patrocinio Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae cum omni debita subiectione commendo.

Lublini, 5 Augusti 1628.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

106.

Cholm, 30 . VIII . 1628

Reddit obedientiam triennalem.

ASV, ARCH. C. CONCILII, *Visite*: Kiovien., fol. 283.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Domine Domine Colendissime.

Catholicae Ruthenorum Unioni eiusque operariis, nil profecto gratius est et esse potest, quam ad limina SS. Petri et Pauli Apostolorum repetitis triennalibus vicibus praesentari, et benevolo sanctissimi Patris universalisque Domini colloquio recreari. Ego vero tanto alacrius ad tuas, Beatissime Pater, propero pedes, et villicationis meae reddo rationem, quanto uberiorem toto hoc triennio de rebus Russiae, et Sanctae progressu Unionis saepius me dedisse informationem S.V. recordor. Ita ut hae occasione nil mihi aliud reliquum sit, quam ut per praesentium latorem P. Methodium Terlecki³²⁰, Ordinis S. Basili, meo et Coepiscoporum meorum nomine S.V. deosculor peder. Ad eosdem quel supplex procidens, pro me totaque Dioecesi mea sanctam B.V. humillime peto benedictionem.

Chelmae, XXX Augusti, Anno Domini MDCXXVIII.

Sanctissimae Beatitudinis Vestrae indignus filius

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

107.

Cholm, 30 . VIII . 1628

De missione Methodii Terleckyj, de negotio beatificationis S. Josaphat nec non de Agente romano.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6648, fol. 130, 149v.

HOFMANN G., *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, nr. 13, pag. 202.

WELYKYJ A. G., *S. Josaphat*, vol. I, pag. 303-4, nr. 88.

Ill.me et Rev.me Domine Domine Colendissime.

Triennalem SS.mo Domino nostro reddens obedientiam, atque ad limina Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Patrem Methodium Terlecki, Ordinis

³²⁰ Methodius Terleckyj, Basilianus, Alumnus Collegii Viennensis, dein Episcopus Chelmensis (1629-1649).

S. Basiliⁱ meo et Coepiscoporum nomine destinans, Dominationi Vestrae Ill.mae meas etiam iussi literas praesentare. Paratus fuerat et Sanctissimi Patris oculari pedes et tuas, Ill.me Domine, potentissimi Patroni manus. Toto hoc anno, quae Deus gloriosus Ruthenae praestit beneficia Ecclesiae, diversis credo D.V. Ill.mam occasionibus cognovisse. Omnia vero caput mihi esse videtur, quod Inquisitio Apostolica de vita et morte Servi Dei Josaphat iam peracta et ad Sanctissimum Dominum transmissa ac Dominationi Vestrae Ill.mae recomendata fuerit. Ego tamen commodam hanc nactus occasionem illius prosperam examen vel iterato D.V. Ill.mae commendo, humillime obsecro, ut si hucusque adhuc sub Iudicem vocatum eiusdem authoritate promotrice suum quam primum exitum sortiatur. Sane sanguis novi huius Martyris tam fertilis est, quas multiplex Catholicorum Ruthenorum per dies in surgentibus semen. Quod quidem ex Patre Nicolao, Agente meo, Dominationem V. Ill.mam uberior cognovisse credo. Sed nec Pater Methodius in iisdem peregrinus, cuius personam et quae D.V. Ill.mae suggeret petita eidem humillime commendo. Exosculor interea manum D.V. Ill.mae et Deum gloriosum precor, ut eandem Ecclesiae suaee Sanctae et Reipublicae Christianae felicem quam diutissime servet et incolumem.

Chelmae, die 30 Augusti, Anno 1628.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(fol. 149v) Ill.mo et Rev.mo Domino, Domino Francisco Barberini, S.R.E.
Cardinali. Domino Colendissimo. (sigil.)

108.

(Cholm), 1 . IV - 5 . VIII . 1628

Attestatio Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitae Kioviensis, de vitae sanctitate Servi Dei Josaphat, Processui Polocensi an. 1628 adiuncta.

ARCH. ABBATIAE GROTTAFERRATENSIS, S. Josaphat, scr. XXIV, nr. (copia).
WELYKYJ A. G., S. Josaphat, vol. I, pag. 281-294, nr. 77.

A.M.D.G.

De vita, morte et miraculis Servi Dei Josaphat Concevitii, Archiepiscopi Polocensis, mea Josephi Velamin Rutski, Archiepiscopi Metropolitani totius Russiae, attestatio³²¹.

De Servo Dei Archiepiscopo Polocensi Josaphat ea tantum dicturus sum quod non dixerunt alii coram Commissariis Apostolicis, sed nec illa repetam, quae in prima relatione mea, statim post necem ipsius a me scripta est, ad S. Cong. de Prop. Fide transmissa, postea typis excussa et S.D.N. nunc Ec-

³²¹ Haec attestatio adiuncta fuit Processui beatificationis an. 1628 et 1637, prout patet ex fol. 18v Processus an. 1628, et ex epistola Metropolitae an. 1628 (5-VIII). Cfr. A. G. WELYKYJ, S. Josaphat-Hieromartyr, vol. I, Romae 1952, pag. 113.

clesiam Dei feliciter regenti ab Episcopo nostro Vlodomiriensi dedicata, quam hic inseri et examini subici cupio³²².

Praecessit hic Vir Dei me ad Religionem S.P.N. Basilii biennio ad quam me sollicite cum magna tunc humilitate et dexteritate inducebat. Cum enim iunior aetate esset non audebat aperte per se, sed per alias personas id perficiebat, quod procedebat ex humilitate ipsius. Ab initio statim nullum Magistrum vitae spiritualis habebant, ipso Spiritu Sancto usus magistro, in vita monastica brevi tempore ita profecit, ut magister aliorum esse posset. Ista peculiariter notabam in eo quod in cella sua sepultus esse videbatur, ut extra illam nec pedem efferret in aream monasterii, etiamsi magni viri, Senatores Regni, visitarent monasterium, et quando primarii cives ex Magistratu Vilnensi exeentes ex ecclesia iuvenculum in cella conveniebant, ut alloquio eius fruerentur vel data opera ex domibus suis ad monasterium ad cellam eius eadem de causa conveniebant, ut declinaret eas visitationes, in sacello quodam vestibuli ecclesiae SS. Trinitatis, dicato S. Lucae, aptavit sibi mensulam et ibi totos dies lectioni, scriptioni et orationi (f. 1v) tribuebat. Si conveniebam illum egomet saecularis tunc adhuc (mansi enim in domo contigua monasterio per tempus satis longum, propterea ut me disponerem pro Religione)³²³, colloquiis spiritualibus me semper occupabat, vel quaerendo explicationem articulorum fidei vel alicuius loci Scripturae. Verbum autem otiosum non puto me vel unum audisse toto illo tempore. Ita totus Deo et Divinis immersus fuerat. Singulis autem fere diebus visitabam ipsum. Amore in Deum ita erat accensus, ut quandoquidem differebam ingressum in Religionem, cum quo sperabat se vivere posse religiose, volebat abire in desertum, ut sine distractione soli Deo vacaret, quod inde manabat quod non tantum ducem, sed nec locum vitae spirituali haberet.

Sub id tempus venerat Vilnam monachus quidam in rebus ecclesiasticis exercitatus quoad ritualia, non item in dogmaticis, Varsenophius nomine, phrenesi per intervalla laborabat. Adhaesit Viro Dei et cum loquebatur de rebus divinis, videbatur esse sui compos; propterea magnam de illo sanctitatis concepit opinionem Vir Dei, dictitans ipsum sua sponte induisse formam stulti propter Christum, in quo volebat eum imitari discurrendo per viros et oppida, exemplo quorundam Sanctorum, quos ille allegabat. Sed haec voluntas, quominus ad affectum deveniret, impedita fuit per viros spirituales alterius Religionis³²⁴. Talis animi simplicitas, puritas, et amor in Deum eminebat in ipso. Cum enim nesciebat in quo animam sitientem perfectionis explere posset, hoc quod ipsi se offerebat arripiebat.

Cum Archipresbyter cum omnibus presbyteris ecclesiarum Vilnensium Ritus Graeci et cum illis Archimandrita³²⁵ Monasterii SS. Trinitatis (f. 2) moliebantur defectionem a Metropolita Hypatio ad Schismaticos, mihi iam existenti Religioso, dolose persuaserunt, ut discederem Vilna ad viginti millia in eum finem, ut ipsum abstraherent a me. Liceat enim tunc adhuc Diaconi officium exercebat, tamen quia ab omnibus pro magno Servo Dei

³²² Agitur de « relatione » quam supra, an. 1623, collocavimus.

³²³ Cir. A. G. WELTYKIJ, *Joannes Velamin Rutskyj in "exitu viarum"*, in *"Analecta OSBM"*, vol. I, fasc. 1, pag. 9 sq.

³²⁴ Fortasse a Patribus Vilnensisibus Soc. Jesu.

³²⁵ Samuel Sienczylla (depositus postea ob apostasiam).

repulabatur, pròpterea singulare in hoc studium posuerunt, ut eum ad suas pertraherent partes. Et cum ipse obiiceret me iturum contra, et impediturum conatus ipsorum responderunt: modo tu sis nobiscum, habemus ipsum Vilna expediendi modos; et cum contradiceret Archimandritae, pugno in faciam horrende percussus erat, nulli tamen hoc aperuit tunc. Interim discedit Archimandrita ad praedium monasterii, illi autem demandat ut fratres iuniores, qui tunc non ita pridem habitu religioso induiti erant, et quorum ego manu-ductor fui, expediret ad illum locum, in quo ego tunc versabar. Hic Vir Dei in angustiis se esse animadvertisit; ab una parte, verus filius obedientiae, iussa Superioris sui exequi obligatum se esse putabat, ab alia Schismaticos occupatoros monasterium et se in multas difficultates conicendum iri suspicabatur.

Inops ergo consilii accedit ad P. Valentini Fabricium, Societatis Jesu, in Vilniensi Accademia Theologum Professorem, zelosissimum Unionis tunc nascientis fundatorem et propagatorem, Virum plane apostolicum, cuius memoria apud nos et posteros nostros in benedictionem esse debet. Exponit illi statum rerum nostrarum. Decernit pro me eadem die expediendum tabellionem, ad me suas litteras scribit, et ipsum scribere iubet, non nominando in particulari quid sit, sed generaliter esse in tanto discrimine res nostras, ut nisi quam primum accurrerem, actuū esset de illis. Talibus litteris acceptis discessi statim. Et licet eadem die me iam existentem in via febris invaserat, et amicus ad quem diverteram suadebat redditum, perrexī tamen ipso Deo instigante (f. 2v). Quando in cospectum Vilnae veni, habens iam paroxysmum illius febris, Te Deum laudamus recitavi et febris deseruit me et sic, licet debilis, sanus tamen monasterium ingressus sum; referuntur mihi omnia. eadem die venit Archimandrita, nihil sciens de adventu meo invehitur in Virum Dei, quod fratres, prout ordinaverat, non expediret. Dixit ille: etiam Patrem Josephum (meum hoc erat nomen) rediisse. Ex hinc reliquit eum sollicitare Archimandrita et ipse similiter Achimandritam reliquit, sed mihi cum aliis monachis iuvenibus strictissime adhaesit.

De communi consilio citationem dedi Archimandritae ad Metropolitam, leuis septuaginta inde distante. Iure victus est, non tamen honore privatus; nihil enim unde manifeste convinci posset hucusque in expertum prodit infidelitatis. Quia tamen erant sufficienes suspitiones futurae proditionis. Metropolita creat me Vicarium suum generalem, et ut attendam tam ad Archimandritam quam Archipresbyterum praecipit. Post tale decretum in furorem actus uterque coniurationem faciunt cum Confraternitate Schismaticorum contra nos. Et quia cum Viro Dei neuter illorum proficere potuit hucusque, demandarunt hoc opus tribus primariis Schismaticis civibus Vilnensibus.

Invitat ergo unus illorum Virum Dei ad domum suam, ubi in interiori cubiculo latebant alii duo, convenient eo, fratrem socium ut discedat fratrem rogant, Viro Dei eo quo possunt suaviori et ad compatiendum ipsis magis apposito modo proponunt, scire se eum impense amare Deum et gloriam eius, diligere gentem et ritum suum, nunc esse tempus ut Ecclesia Ruthena hucusque oppressa erigat caput, hoc autem totum esse positum in manibus ipsius, et quidem solius; iam totum Clerum esse a parte ipsorum, hoc unicum deesse, ut ipse se adiungat. Vita nostra est in manibus tuis, miserere nostri, ut dones nobis vitam, inquiunt. His dictis procidunt in terram et pedes osculari conantur; prohibet ipse et obstupuit nec quid tam repente respondeat

habet. Inquit (f. 3) tamen se non esse solum et nominavit me. Et dum in hoc sermone diutius commorantur nec Virum Dei verbis suavibus flectere possunt, ad asperiora se convertunt, sanguinis effusionem minantur, et ferme videbantur statim se velle involare in ipsum. Unum enim stetit in foribus non volendo dimittere ipsum. Vir Dei repondit: in re tanti momenti consulam Deum et eras respondebo; acqueverunt, subiuxerunt tamen: si non statim adiungis te nobis, discedas aliquo, ut non sis Vilnae per hanc hebdomadam. Egressus inde Vir Dei redit ad monasterium, invenit nos consulentes, iam enim inotuerat nobis conspiratio. Statim dicere coepit se fuisse in inferno, et audivisse diabolica verba, inducentia se ad proditionem; postridie non rediit ad ipsos; scribunt ergo schedulam expectando ipsum et invitando. Respondit similiter per schedulam: Consului Deum, sicut promisi; sic dicit Deus de vobis: Cogitaverunt consilia quae non potuerunt stabilire; me autem ita monuit: Oleum peccatoris non inpinguabit caput tuum. Miserunt iterum schedulam, sed cum comminationibus, invitando tamen ad domum suam.

Innotuerat quibusdam ex Magistratu Vilnensi per pictoris eiusdem famulum, Ritu Ruthenum, quod die Dominica proxima in templum Sanctissimae Trinitatis Unitorum debebant convenire Schismatici ad Matutinum, ibidemque, quando prodibunt Sacerdotes monachi sacris vestibus induti in medium templi, iuxta consuetudinem Ecclesiae Ritus Graeci cantaturi Doxologiam, debebat plebs violentas manus inferre quibusdam ab ipsis designatis sacerdotibus et e medio tollere; detulerunt hoc ipsi ad collegas suos Consules, isti ad Officium Castrense, ad Vicepalatinum scilicet Demetrium Karp; hic Palatino Vilnensi Nicolao Christophoro Radzivil³²⁶ in via post dissessum Vilna tunc existenti; scribit Palatinus, ut moneat nos de his machinationibus, adeat Archimandritam et Archipresbyterum (f. 3v) praecipiatque ne quidquam tentent contra Monasterium SS. Trinitatis sub poena capititis, Archimandrita autem ne amplius ibi celebret, denique ut idem Vicepalatinus moneat Magistratum civitatis, ut videant ne a plebe ipsis subiecta quidquam mali Unitis subveniant. Mittuntur ergo ad nos ex Praetorio duae personae sciscititurae, quid nos sciamus de tumultibus contra nos, dicturi etiam quid ipsi sciant. Diximus in particulari ea quae cum Servo Dei Josaphat locuti sunt illi tres cives, ipsi vicissim dixerunt quae sciverunt. Citantur in Praetorium cives illi, armatur civitas in plateis circa monasterium ponuntur excubiae. Reliqui armati in Arce Praetorii inclusi tenebantur; in Praetorio autem solus Magistratus civitatis per integrum illam Sabati noctem vigilabat. Arx etiam suos satellites adarmavit, et postquam insonuit maior campana apud SS. Trinitatem, convocans ad Matutinum, primi satellites arcenses veniunt. Sic pacifice Dei gratia illa die peracta sunt omnia.

Sed postea per multos dies Schismatici noctu diuque consilia agitabant, tandem in apertum prodierunt. Primum iuramentum in ecclesia quadam Sacerdotes induti sacerdotalibus conceptis verbis praestiterunt, postea protestationes apud diversa Acta effecerunt: Se sub obedientia Metropolitae eo quod se subiecit Romano Pontifici non esse, tandem omnes ecclesias Vilnenses et ipsam cathedralem, Curiam etiam Metropolitae occuparunt, ad omnes civi-

³²⁶ Nicolaus Christophorus Radziwill (Sierotka), castellanus Trocensis an. 1584, dein Palatinus Trocensis an. 1589, ab anno vero 1604 Palatinus Vilnensis. Obiit an. 1616.

tates et oppida in Magno Ducatu Lithuaniae miserunt suos, magna usi celeritate, et ad defectionem a Metropolita perduxerunt. Denique in Comitiis Regni Generalibus, quae brevi tempore post celebrata sunt, obtinuerunt Constitutionem, Catholicis non advertentibus³²⁷, nobis etiam tunc absentibus, ut inter Ruthenos pax servetur, ut scilicet quilibet possideat in posterum quod nunc possidet. Et si una pars alteram in hoc infestaverit, citata ad Tribunal Supremum Regni, decem millia solvere debebat. (f. 4). Sic Regem et totum Regnum insigniter deceperunt, nostras autem res subverterunt. Advertit dolum Ill. mus Episcopus Vilnensis illius temporis, qui sciebat, quod Unitis Vilnae et fere in tota Lithuania per magnam iniuriam adempta fuerint omnia, supra quae per Constitutionem Comitiorum Generalium bonaे fidei possessionem et prohibitionem obtinuerunt sub poena decem millium, ne inquietarentur ab Unitis in hac possessione. Addita ergo sunt aliqua, iubente Serenissimo Rege, ad Constitutionem pro explicatione ipsius, quae insolentiam Schismatistarum aliquomodo refrenare poterant. Redeentes ex Comitiis citamus Schismaticos ad Tribunal Spirituale, citant et ipsi Metropolitam, et me, qui iam Archimandrita dicti monasterii fui, depulso proditore, ad Tribunal Saeculare. Lucrantur ipsi, potentia sua nos opprimentes.

Accersiverunt istae res Metropolitam nostrum ut veniret Vilnam, paulo post venit Serenissimus Rex, cuius adventu res Unitorum meliori loco esse ceperunt. Iudicavit Rex ipse causam hanc Iudicibus Tribunaliciis Saecularibus nec quidquam reclamantibus, decretum ipsorum retractat³²⁸, ecclesias Vilnenses omnes tanquam legitimo Pastori, monasterium autem mihi tanquam Archimandritae adiudicat.

Schismatici instruunt unum e militia pedestri, Ritu Ruthenum, cuiusdam Senatoris³²⁹ tunc absentis, ut Metropolitam occidat. Mense ergo Julio³³⁰, anno 1609, sicarius ille in medio foro Vilnensi Metropolitam, virum septuagenarium, stipatum tam Ecclesiasticis quam Saecularibus, Familiaribus suis multis, a fronte adoritur, gladium quem in hunc finem nudum sub veste oculabat vibret tanto impetu, ut uno ictu digitos ferme tres manus sinistre, quam huic impetui senex cum baculo cui innitebatur obiecerat, amputarit. Anulum et saphirum lapidem anuli et catenam auream duplicatam satis crassam, ex qua Crux archiepiscopal is e collo pendebat secuit, vestem etiam internulam, signo tantum rubro in corpore relieto, sine ulla (f. 4v) laesione colli. Quo ictu accepto in terram lapidibus stratam corruit Metropolita, elevatus in domum propinquorem a quodam e principalioribus Senatoribus in Ducatu Lithuaniae acceptus, et ab omnibus qui tunc Vilnae aderant Senatoribus eadem hora visitatus est. Sicarius ille a familia Metropolitae et ab aliis huius funesti spectaculi spectatoribus multis Vilnensibus concivibus comprehensus et ad carceres Praetorii datus est.

³²⁷ Sub finem an. 1608 et initio an. 1609. Constitutio haec de pace servanda inter partes facta fuit an. 1609. Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, II, pag. 42-44.

³²⁸ Decreto die 8-VII-1609 edito. Cfr. PELESZ, *op. cit.*, II, pag. 45.

³²⁹ Secundum fontes nomen militis erat Joannes Tupeka. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, pag. 45.

³³⁰ Die 11 Julii. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, pag. 46.

Josaphat, Vir Dei, non costernatus tam enormi facinore in Metropolitam nostrum patrato, non veritus multitudinem peditum, quorum 700 collocati fuerunt in foro circa Praetorium Vilnense ad carceres publicos, sed sollicitus animae parricidae istius (audierat enim eum vulneribus supermodum confectum vix illam noctem supervicteturum) accurrit, licentiam adeundi ipsum petit, et obtinet, nec dimisit eum donec agnosceret gravitatem delicti sui, contereretur de eo, confiteretur, absolvereturque. Postridie adiit eum nec deseruit donec ultimo suppicio afficeretur. Cum eo etiam tabulatum illum ³³¹ ... ascendere non duxit sibi pudori quod animadvertisentes nonnulli dicebant: Unitus amputavit manus Metropolitae. Similiter aliorum ad mortem condemnatorum ipse curam gerebat ac si nullus aliis esset quod id praestare posset, eosque post confessionem peractam ad locum supplicii comitabatur, nec unquam visus est si vel importunissimo tempore, nocte scilicet vel hyeme, pro confessione vocabatur recusare vel frontem continuere; libenter ibat ac si ad convivium vocaretur.

De studio paupertatis in ipso dixerunt alii. Hoc ego adiiciam. Rapiebatur hinc inde ope ipsius spirituali opus habentibus; inter alios invitatus fuit a primario Nobili apud quem et in monasterio ipsius (quod erat Sanctimonialium) postquam multa bona fecit, redibat Vilnam; comparat ipsi vestem superiorem, pellibus vulpium subductam, sed dum timetur refutandum iri insuitur panno et velandum datur Vilnam, cum litteris ad me, in quibus (f. 5) scribabant, quod vestem subductam pro hoc Patre mittant, et rogant, ut detur facultas utendi ea, antequam determinavi, discessi, ipse necessitate quadam occurrente, vulpes excindi a veste, et fratribus pileos subduci iubet. Redeunte me accessit et necessitatem omnium fratrum talem intervenisse significavit nec fuisse alias pelles, quibus pilei hyemales subducerentur; vidi necessitatem monasterii aliunde provideri potuisse, paupertatis amorem potius hoc ipsi persuasisse.

Etiamsi particularis Ecclesia ³³² curae illius pastorali demandata erat, tamen existimabat ipse omnium ecclesiarum Ruthenarum sollicitudinem ipsi incumbere, praesertim in Dioecesi mea Metropolitana, quod mihi longe gratissimum fuit. Quocirca etiam dedi ipsi amplissimam potestatem in Dioecesi mea. Vidi enim hoc fuisse sacerdotibus et ecclesiis omnibus meae Dioeceseos salutare. Sed et ipsi sacerdotes bene hoc adverterunt, quod Vir Dei non quaerebat in hoe magnificari, sed quamplurimum benefacere. Propterea ad ipsum qui propinquiores, a me autem remotiores erant, libentissime confugiebant, et mihi gratias agebant.

Cum quodam tempore in locum quemdam hominibus minus notum dissedere volebam, recollectionis gratia, ibique manere per annum, in Congregatione nostra religiosa ³³³, praesentibus Superioribus multorum monasteriorum, ipsum qui vices meas subiret assignavi; acceptarunt omnes libentissime, sed et Vir Dei videns necessitatem, licet alioquin in sua Dioecesi gravatus, assensus est cupiens omnibus prodesse et iam Vilnam pro residentia huius

³³¹ Verbum subsequens illegibile.

³³² Archieparchia nempe Polocensis (1618-1623).

³³³ Verosimiliter agitur de Capitulo habito in Ruta, anno 1623, diebus 28 Julii - 5 Augusti, Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1955.

anni venire debebat, nisi mors ista gloriosa ad Coelum, ut confidimus, avocasset.

Praeter alia istud erat singulare in ipso et admiratione dignum, quod aptus quis inveniatur ad unum, ineptus ordinarie vel non adeo aptus ad aliud; non enim omnia possumus omnes, quia immo aliqua videntur esse incompatibilia ex natura sua. Novimus speculativos non valere ad agibilia, et viceversa; qui habent felicem memoriam communiter non pollent iudicio (f. 5v); non sunt prompti ad loquendum, qui excellunt in inscriptione, et econtra, qui sunt natura sua et longo usu abstracti ab externis, non sunt faciles attendere ad iura et lites forenses, nec succedit ipsis etiamsi se applicant. Iste Vir Dei admirabilis fuit in omnibus; ad quod non videbatur aptus esse per naturam, factus est aptus per gratiam; erat speculativus, meditationi insistens, lectioni librorum assidue deditus, amator cellae et, quod sequitur, vitae solitariae, idem aptissimus ad conversationem cum hominibus, ita ut ad hoc unum natus et a Deo assignatus esse videretur. Omnes currebant ad ipsum et ipse omnes paterne complectebatur; quilibet consolatus discedebat; alios ipse in domibus ipsorum visitabat, Catholicos et Schismaticos, Haereticos et omnes divinum quid reverebant in illo. Ad iura et lites forenses nullus dixisset vel minimam aptitudinem illum habiturum, quicunque noverat illum, et tamen et diligens fuit et peritiam iuris brevi tempore acquisivit tantam, ut iis daret consilium qualiter procedendum esset in iure, a quibus antea ipse accipiebat. Unde tot bona Ecclesiae ab aliis vindicata iure vindicavit, de quo fusius in Inquisitione. Felicissimae memoriae et simul acerrimi iudicii, quod patet in eadem Inquisitione. Praedicator in ambona, lector et cantor excellentissimus in choro, et ista omnia cum gustu et affectu peragebat, et ab hominibus cum gustu et affectu tam cum praedicabat, quam cum legebat, vel canebat audiebatur. Revera, nondum vidi alium in quo ista omnia reperiuntur simul.

Praesentatio Regia, quae vulgo apud nos Privilegium vocatur, procurata fuit per me, nesciente ipso, scilicet debebat esse Coadiutor nonagenarii Archiepiscopi Polocensis³³⁴, et sensibus fere totaliter destituti, cum iure successionis post mortem illius. Innotuit hoc ipsi prius quam ego aperui, affligebatur animo, certabat enim secum humilitas putans se omnino esse ineptum ad munus episcopale, ex altera parte obedientia, quam ipse toto corde colebat, suadebat ut se resignaret in manus Superioris; tacere ergo elegit quam prior compellere me. Sed notabatur extra (f. 6) quae lucta fuit intra, quod adverti vel ipse vel ex aliorum relatione didici neque enim bene memini. Aperui ipsi, Ecclesiam Polocensem ferme destitutam Pastore, multa inconvenientia, imo legi Dei contraria et absurda ibi fieri, regimen pastorale cessasse et Unionem propemodum sublatam esse; vix enim ex superficialiter Unitis aliquis reperiebatur, ex solide Unitis nullus, animas hominum infinitas omni auxilio humano destitutas misere perire, Dei esse voluntatem ut ipse suscipiat hoc onus. Quibus auditis tam verbis quam complicatione manuum, tandem prostratione in terram rogabat, obsecrabat ut liberaretur ab hoc onere. Se posse illi Archiepiscopatui, si missus fuerit, etiam in hoc in quo nunc est statu servire, ad hanc autem dignitatem se omnino ineptum esse; timuissemus, nisi dixissem aliter esse non posse,

³³⁴ Gedeon Biolnyckyj (1601-1618).

illum esse obligatum obedire ei quem credit vices Dei gerere; quievit, sed ut intellexi proposuit aliquibus Patribus spiritualibus, an salva obedientia posset fugere, et cogitabat se subducere clam nobis. Sed Pater ille erexit animum ipsius consternatum. Sub tempus ergo Congregationis nostrae Religionis³³⁵, in fine illius Congregationis ego publice dirigens ad eum sermonem eum in Coadiutorem Archiepiscopatus Polocensis nominavi et Privilegium Regium in manus porrexi. Ipse, non accepto Privilegio, procidit in genua et cum lachrymis rogat ut liber sit. Tandem quando dixi hoc esse simpliciter necessarium ad gloriam divinam, et hoc iam immutari non posse, tacuit, Privilegium in manus accepit, nos autem gratias Deo egimus. Applicuit se postea totum huic muneri, et ecce inventa sunt in eo, quae in SS. Episcopis vigilantibus Pastoribus animarum inveniuntur.

Gaudebat quod ager ruthenus ante aridus et sterilis irrorari coepit sanguine ex odio Sanctae Unionis et fidei catholicae a Schismaticis effuso. Primus post S. illum Senem, Auctorem renovationis Sanctae Unionis in Russia, Hypatium Metropolitam, de quo supra, fuit Antonius Hrecovicius, Ord. S. Basilii, Officialis meus Chioviensis. Hic anno 1618, dum esset in monasterio Vidubicensi, uno polonico (f. 6v) miliari Chiovia, loco solitae residentiae sua, noctu ex lecto a Kosacis acceptus, ligatus, ad Boristenem ductus et fracta securibus glacie, in loco quo profundior esse videbatur Boristenis, submersus. Causam facti, dum quaereret, dicebant, quia es Unitus, et fidem nostram subvertis. Vestes, suppellex ipsius, equi, fundationes etiam nonnullae et instrumenta publica, quae apud ipsum tamquam Officiale asservabantur, in praedam directa cessere et periere. Pseudometropolita Chiovae occupaverat et suae iurisdictioni subiecerat omnia, solum templum cathedralē Metropolitanum S. Sophiae, sive Sapientiae Aeternae, augustissimum quondam magnifice erectum, plumbō coopertum marmoribusque intus ornatum et stratum, nunc desolatum. mansit liberum ab ipsius iurisdictione. Ad hoc igitur, ut ibi laudes Deo decantarentur, misi quatuor monachos S. Basilii; hos omnes quatuor, post Matutinum, quod ipso festo Nativitatis B. Virginis³³⁶ decantarunt, dum se disponunt celebrandum Sacrum, penes dictam ecclesiam Kosaci capiunt, ligant, sub vesperam compedibus ferreis stringunt, navibus imponunt et Trechtimiroviam, quod est praesidium Kosakorum, in quo asservant ea quae sunt pretiosiora, secundo flumine Boristene trasmittunt, ibique carceri mancipant, in quo sex septimanas cum exegissent, ad generalem exercitus Kosakorum, ad locum ubi tunc residebat per idem flumen navi devehuntur, ibique post consultationem liberi dimittuntur cum tali mandato, ne vel ipsi vel alias Unitorum audeat Kioviae habere publicum exercitium religionis.

Anno 1620 Antonius Butchovitius, Ord. S. Basilii, Visitator nostri Episcopatus Praemisliensis Ritus Graeci, venit in quamdam villam, in qua erat ecclesia ruthena, volebat in illa celebrare Matutinum, erat autem ipse dies Paschatis. Sacerdos loci illius celebrare non permittebat, et quia Visitatorem repellere non poterat, daemone instigante, arripit manus Visitatoris, frater autem ipsius securim bis in caput impingit, et Visitatorem in manibus fra-

³³⁵ Congregatio seu Capitulum Novogrodotovicense an. 1617, die 20-26 Julii.

³³⁶ Quattuor monachi Basiliani (Alexander, Ignatius, Cyrillus, Gedeon), qui missi fuerunt Kioviam mense Junio an. 1622. Cfr. eiusdem Metropolitae epistolam de data 3-XI-1622.

tris sacerdotis in tali solemmitate occidit. (1) adde... et Sanctae Missae officium celebraretur. (f. 7)

Anno 1621 Decanus Sarogrodensis³³⁷, Matthaeus nomine, vir singularis, fervens in promovenda Unione, et tanto maiori commendatione dignus, quo a nobis remotior, in finibus scilicet Moldaviae inter obstinatos Schismaticos manens, ipse et quatuor alii Sacerdotes eiusdem oppidi Sarogrodensis, postridie festi Assumptionis B. Mariae Virginis a Kosacis ad bellum, quod imminebat ab Imperatore Turcarum, illac transeuntibus comprehensi, Decanusque interrogatus, se et suos sacerdotes esse Unitos confessus est, capite plexus. Sed dum capite reliquo corpori modica parte cartilaginis adhaereret, quia putabant adhuc esse vivum, submerserunt. Alii sacerdotes in crasticum, prout erant ligati, reservati, et tandem a Praeside loci illius, postquam innotuerant ipsi ista, liberati, nec forte ab hominibus truculentis dimitterentur liberi, nisi scirent hunc Praesidem habere potuisse tantum virium ac ipsi.

Ista Servo Dei currenti alias in via Domini calcar addebant ad magis currendum, hinc appetitus ille martyrii crescebat in illo, quod ex diversis partibus audiebatur de nostrorum persecutionibus, verberibus, mortibus et odio furioso Kosakorum, accenso per Pseudo Episcopos contra nos.

Anno 1624 Schismatici Chiovienses, Kosaci, Praetorem Chioviensem supremum scilicet Magistratus illius civitatis et aliquot ex Magistratu comprehendenterunt. Praetorem, virum sexagenarium, propterea quod dicebat se hunc qui residebat Chioviae Metropolitam non agnoscere pro Metropolita, se habere alium, qui vere talis esset, decollarunt³³⁸. Sacerdos ecclesiae S. Basillii propterea quia dicebat, in Privilegio Regio, quod habuit pro illa ecclesia, positum erat quod debebat esse in Unione cum S.R.E. similiter decollatus³³⁹. Speramus hunc sacerdotem praeventum fuisse a misericordia divina, sicut et illum Praetorem quod non in Schismate mortuus est, licet enim mecum intimam communionem non haberet, per aliquot personas, quae inde hic ad nos veniebant, dici mihi curavit, ut curam haberem ipsorum, sibi in hac disordinatione durum esse vivere; hoc nobis facit bonam spem de ipso. Propterea in loco decollationis ter quaesitus a Kosacis num esset Unitus, non negavit Unionem (f. 7v), quam si expresse negasset, non fuisset occisus. Et licet ambigue loquebatur, dum enim interrogabatur, num esset Unitus, respondebat, suam animam esse unitam cum Deo, tamen quia non negavit, bonam spem habemus de illo. Idem opinamur de morte Praetoris. Hoc certum quod Kosaci eos occiderint ex odio Unionis, ex eo quia putabant eos esse Unitos.

Ista omnia eorū illud amore Dei aestuans vehementer stimulabant, propterea certam sibi a Schismaticis paratam et a se praevisam mortem discedebat Vitebscum.

M i r a c u l a

Quoad miracula ego evidenter hoc notavi, quod post mortem Viri Dei notabiliter Schisma languore coepit, quod nunc apparent. Kosaci acerrimi propugnatores et propagatores Schismatis, quorum potentia formidabilis erat

³³⁷ De hoc eventu scribit Metropolita ad Rectorem Collegii Augustani Soc. Jesu, die 25-VI-1622.

³³⁸ Theodorus Chodyka. Cfr. D. DOROSENKO, *Narys istoriji Ukrayiny*, vol. I, pag. 214.

³³⁹ Verosimiliter agitur de Joanne Jozefovyč. Cfr. IBIDEM, pag. 214.

universo Regno, caesi et in ordinem redacti sunt; fuit autem istud opus magnae virtutis, ut sine singulari auxilio divino nunquam fieri posset; quod hinc colligi potest: Kosacorum tunc 100.000 scribebantur, instructi sclopetis, arcubus, et alio armorum genere. Tormenta etiam bellica et omnem apparatus belli semper in promptu habebant, ut quocumque vellent, bellum movere possent. Tota ista turba inimicissima fidei catholicae, in hoc nullis Hæreticis cedens, Schisma in illa provincia, Ueraina vocatur, et in adiacentibus ipsi propugnare gladio et sanguinis effusione et contra Regem et Rempublicam parati erant. Unitum et Iudeum pro uno reputabant. Immo Iudeos tollerabant, Unitum nec unum quidem. Pseudo Episcopos et inter alios Metropolitam suum peragere episcopalia in tota illa provincia vel potius provinceis, in quibus ultra 1000 Parrochiae numerantur, voluerunt, nullum alium admittentes; fecerint Confraternitatem Chioviae³⁴⁰ et per alia loca constantem ex Ecclesiasticis et Saecularibus, in qua et Kosaci scripti erant. Quidquid in Consilio huius novae Reipublicæ concludebatur a Kosacis executioni mandabatur. Ad Consilia quoque sua Pseudo Metropolitam et Ecclesiasticos missos ab eo admittebant. Hinc carceres, caedes et mortes tot sacerdotum (f. 8). Iudicia sua iidem Kosaci per omnes civitates principales illarum regionum habebant, a quibus appellatio ad Generalem exercitus ipsorum. Si quis ipsorum detulit aliquem Nobilem alicui Kosaco, etiam illi, qui in bonis huius Nobilis, alioquin Domini sui manebat, intulisse iniuriam, mittebatur ad Dominum ipsius et debebat a Nobili totum id solvi, quod imperatum fuit a iudicibus Kosacorum, alioquin ipsi ex bonis ipsius executionem faciebant, cui nullus resistere poterat. Alios Nobiles, imo et Officiales Regios in dominibus ipsorum occidebant. Unde tantus terror ab illis manavit in omnes, ut nec hiscere contra illos auderet quisque Nobilium. Tritum hoc ipsis in ore: « Deus in coelis et exercitus Zaporossensium in terris... ». Hoc inditum a catharaectis Boristhenis, ultra quos habent ipsi perpetuas excubias a Tartaris. Eo insolentiae devenerunt, ut cogitarent excutere iugum Regis, abstrahere illas provincias a corpore Regni, facere sibi Rempublicam propriam et vivere legibus suis. Nuntios suos ad Comitia generalia Regni mittebant, qui hoc non obscure insinuabant. Petebant enim ut omnes Episcopi Rutheni legittimi cum suo Metropolita tollantur, ipsorum autem Pseudo Episcopi cathedras ipsorum obtineant, ut ipsis Kosacis libere venationes et pescationes permittantur, etiam in bonis regalibus Reipublicae, et Nobilium, ut praesidentiae Arcium et Civitatum in illis partibus Kosacis conferantur.

Haec commemorare instum est, ut intelligatur in quanto periculo Regnum Poloniae a Kosacis illa tempestate versabatur. Delere illos penitus esset Regno et toti christianitati damnosum; illi enim dicuntur esse perpetuum praesidium contra Tartaros, minuere numerum erat quidem salutare, sed impossibile, quia deberet tantus exercitus educere contra ipsos, qualis erat ipsorum; non erat ergo in promptu qua potentia vel quibus mediis hoc malum comprimeretur. Post sanguinem Archiepiscopi Josaphat a Schismaticis effusum, obtulit Deus exercituum occasiones et modos contra exercitum gigantum, dedit opportunitatem exercitui regio, alias modico, tunc quando illi minus sperabant, hinc inde vagabantur, alii autem adhuc in mari versabantur, adoriri exercitum

³⁴⁰ Fundata an. 1616 sub tit. Theophaniorum Domini, penes monasterium eiusdem tituli. Mox fundata fuit etiam schola, quae dein in famosam Academiam Mohilovianam excrevit.

(f. 8v) illorum et prostertere ut 10.000 in hoc conflictu ex Kosacis periisse dicantur³⁴¹. Terror manavit in omnes, subdiderunt se, veniam petierunt, et obtinuerunt, datae conditiones ab exercitu victore, a victis acceptae et iuramento firmatae, in quibus in numero tali qualis a Commissariis Regiis assignatus est, et sub tali duce, qualis nunc datus est, permanere eos debere stabilitum³⁴².

Successus tam felix a multis piis praetiosae morti huius magni Ruthenorum Praesulis adscribatur, et nunc adseribitur, et si tunc non cogitabatur, nunc quando conferimus unum cum alio, quod scilicet nec erat tanta potentia nostrorum, nec etiamsi esset, congruum videbatur irritare Kozakos, tunc quando a Turcis et Tartaris certius bellum quam pax expectabatur. Kozaci autem dicebantur esse unicum propugnaculum Regni adversus exercitus hostiles. Caesi sunt nihilominus; a Turcis et a Tartaris nihil mali supervenit. Immo ab exiguo exercitu nostrorum caesi Tartari et caede tali, qualis memoria nostra non fuit maior. Unde pacem illae regiones habent hucusque praeter spem humanam, quam a multis annis non habebant. Quinimmo vix annus fuit liber ab incursionibus Tartarorum et tot millia christianorum in duram servitutem a Tartaris abducebantur. Ista igitur considerando dico non hominum hoc fuisse opus, sed Dei qui mirabilis est in Sanctis suis. Dicunt et alii ubi consideraverunt ista. Non minori consideratione dignum est et istud, quod post mortem Servi Dei omnia infesta Kozacis superveniebant; aliquoties in mari a Turcis magna clade affecti et nec semel aspiravit fortuna, etiam si ingenti cum apparatu, maiori quam nunquam ante, expeditionem suscepissent navi- gis in mare.

2. Sunt et alia signa labefactati Schismatis. Demiserunt multum de pristino furore suo, qui plane erat diabolicus. Scripta contra nos, quae fuerunt virulenta cessarunt, visitant nostros et invitant ad se, ubi sumus in eadem civitate cum illius; inter omnes doctiores de articulis fidei controversis altum silentium, excepto Primatu Papae, sed et de hoc modestius (f. 9) loquuntur, quam nunquam antea, taedium universale disunionis et desiderium Unionis, quod non tantum proponunt in conventiculis suis, sed etiam publice loquuntur, ut unian- tur nobiscum quibuscumque modis³⁴³. Denique illa bona quae anno superiori facta sunt in Russia et hoc anno fiunt (de quibus ad S. Congregationem de Propaganda Fide scripsimus) ego cui ista sunt bene nota non haesitanter af- firmo sanguinem huius Servi Dei operari. Scio enim et nullus melius me scit, ut arbitror, quod non scientia nostra, non industria, non labore, non diligentia fiunt ista quae antea non fiebant, licet a nobis et ab ipso Servo Dei uno plus omnibus nobis laboratum fuerit, nihilominus duram petram Schismatis emollire non potuimus; sanguini ipsius hoc reservatum est; testis est Polocia et Vitebscum, ubi ad mortem quaerebant eum et occiderunt; nunc quasi generali compunctione agnoscunt suam culpam et absolutionem petunt, ut fusius continetur in Inquisitione.

³⁴¹ In bello an. 1625, sub campiductore exercitus polonici Koniecpolski, fortasse penes oppidum Kurukiv (mense octobri-novembri).

³⁴² In s. d. «pace de Kurukiv» (iacus), quae subscripta fuit die 5 Novembris an. 1625.

³⁴³ Pertractationes Unidos et non Unidos inter «de pacificanda Russia», quae incipiunt iam inde ab anno 1625. Sed post aliquot annorum conaminum, ob interventum Cosacorum, res in primaevu remansit statu. Fructus tamen huius periodi erat conversio Meletii Smotryckyj.

3. Ego etiam miser in spiritualibus meis necessitatibus et nonnullis temporalibus auxilium ipsius in me expertus sum, et nunc experior; quocirca assumpsi eum mihi in patronum et consuetudinem habeo singulis diebus invocandi cum aliis patronis meis.

4. Anno 1627, feria secunda infra octavam Corporis Christi, magnum incendium excitatum est in civitate Zamoseensi, maiori ex parte murata, praesidentia Ill.mi Zamoysci, Palatini tunc Chioviensis³⁴⁴, nunc Cancellarii Regni Poloniae. Ego una leuca distabam, quando apparuit nobis densus fumus. Postquam accessi ad civitatem, curribus relictis ad moenia civitatis, timebam enim ne tota civitas absumeretur, adii templum, ubi dum illis, qui erant mecum Religiosis indixi orationem, fere media hora post venit mihi in mentem quod ad invocationem Servi Dei extinctum est periculosum incendium in Collegio Polocensi, misi ut ex curru adferatur particula lintei sanguine huius Viri Dei tincti allutam in altari explicavi, cereos quotquot erant accendi iussi, ad D. Palatinum misi, ut ipse commendet civitatem suam huic Viro Dei cuius reliquiam me (f. 9v) explicuisse in altari, dixi, confidere me non ulterius progressurum dictum incendium. Ipsi interim oravimus; mittebam non semel non bis, aliquoties et ignis in illo loco, in quo fuit constitutus, ulterius non processit. Postea magno beneficio Dei imber densissimus grandine permixtus, etiamsi coelum erat serenum, decidit ita, ut rivi aquarum diffluerent per civitatem, quod etiam non parum iuvit ad extinguendum id quod iam arserat³⁴⁵.

5. Ill.mus Dux Zaslaviensis qualiter in sua aegritudine podagrifica convalluit ad invocationem Viri Dei dictum est in Inquisitione³⁴⁶. Ego istud addo quod ex ore ipsius audivi; nervum in pede ipsius fuisse contractum et sic non potuisse eum etiam dum liber erat a podagra incedere sine substentatione duorum baculorum; nunc autem rectus suis met viribus sine adiumento ullius ambulare potest. Et sane dum essem apud ipsum ante unum mensem per integrum hebdomadam raro sedentem eum vidi, immo tantum ad mensam, semper ambulantem, ad maiorem gloriam Dei et honorem Servi ipsius Josaphat vestes et calceamenta mutavit tam quoad colorem quam formam; qui enim latis vestibus et ocreis induebatur nunc omnia habet strictissima, praeterea rubri coloris omnia, et si quis inquirit causam huius mutationis, omnibus refert S. Ruthenum Josaphat ipsum beneficio Dei sanasse et sic in signum evidentioris beneficii se taliter incedere.

6. Excellentissimus Dux Czartoristus³⁴⁷ quali beneficio, dum esset in extremis, a Deo praeponente per invocationem huius Servi ipsius dum aspexisset ipsius imaginem a pariete pendentem accepit, chyrographum per manu ipsius

³⁴⁴ Thomas Zamoyski (1619-1628), dein Vicecancellarius Regni Poloniae (1628), demum Cancellarius (1635-1638).

³⁴⁵ Cfr. Processum anni 1628, fol. 55v; A. G. WELYKYJ, S. Josaphat-Hieromartyr, vol. I, pag. 171.

³⁴⁶ Alexander Zaslavskyj, filius Joannis. Cfr. Processum an. 1628; (IBIDEM, pag. 76, nota 140).

³⁴⁷ Georgius Czartoryskyj, ultimus ex familia Czartoryscium, filius Georgii. Cfr. Enc. Powszechna, vol. 6, pag. 219.

totum scriptum, subscriptum et obsignatum testatur, quod in latinum ex polonico translatum, huic scripto meo includo. Testimonii huius tenor talis est.

GEORGIUS DUX CZARTORISTIUS. Notum facio de morbo meo quo me Dominus Deus gratia sua sacrosancta visitavit, ita ut per tredecim hebdomadas pedem ex hypocausto non extulerim. Morbus is fuerat simul et semel vexabat me febris calore plane inaudito, dolor capitis, splevis pectoris, cordis et omnium membrorum (f. 10), stranguria quoque et lapis. Cum iam desperarem de sanitate absoluta una solida devotione coram P. Valeriano, Ord. S. Dominic, cum iam extreme male valerem et maxime pectoris angustiis laborarem, iussi me in aliam partem convertere, ubi immago B. Josaphat Concevitii, Archiepiscopi Polocensis, capiti meo impendebat. Revocatis mihi in mentem multis hominibus, quibus ipsius s. oratio profuerat, illosque sanaverat, eiusdem sanctis precibus me commendavi, et intra me promisi, si vixero, sepulchrum et corpus illius me visitaturum, prout etiam statim, illius credo intercessione, sensi praesens levamen in sanitatem. Gratiis itaque Domino Deo et huic Sancto persolutis, nunc iam Dei gratia pristinae sanitati sum restitutus. Et hoc adimplere volo si Dominus Deus ulteriorem mihi concederet incolumitatem. Quod totum in evidenter testimonium manu mea propria scripsi et subscripsi et quod rem verissimam scribam ita me Dominus Deus adiuvet.

Datum Dubnae 2 Maii Anno Domini 1628.

Georgius Dux Czartoristius.

Loco + sigilli.

Denique Virum Dei pro fide catholica, pro Ecclesia eius S., pro explicita, firma et aperta confessione auctoritatis supremae Papae Romani in Universalem Ecclesiam Christi esse occisum omnes affirmant, et nullus in hoc amplissimo Regno Poloniae a summo usque ad infimum hueusque expertus est, qui contrarium dicat, cum quibus et ego idem sentio et affirmo. Sic me Deus adiuvet et eius Sanctissima Passio.

In quorum omnium indubitatam fidem manu mea propria subscribo et sigillo Archiepiscopali communio.

Josephus Velamin Rutski, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae (m.p.)

Locus + sigilli

109.

Dubno, 9 . I . 1629

De modo agendi cum Meletio Smotryckyj eiusque gestis in favorem Unionis, et praesertim de eius professione fidei catholicae, de assignatione tituli archiepiscopalnis etc.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 57, fol. 148-149v.

Ill.mi ac Rnd.mi Domini Antistites S. Congregationis de Prop. Fide.

Praecipiunt Ill.mae ac Rnd.mae Dominationes Vestrae in suis ad me octava Aprilis anno superiori datis literis, ut postquam Meletius Smotricius verbis ac factis talis apparuerit, ut nulli dubium de sincera ipsius conversione relinqua-

tur, tunc agendum esse de titulo ipsius episcopali et iubent me hoc ipsi significare; hoc fieri tam cito non potuit propter absentiam ipsius; fuit enim remotior a nobis, scilicet Chioviae, in conciliabulo Schismaticorum, ubi magnis opprobriis, contemptu et ignominia affectus et ferme extrema passus est profide catholica, quam professus fuit libro in lucem edito et a me examinato et licet ibi non obtinuit coronam Martirii per apertam fidei confessionem et hoc nomine incurrit apud nos in notam instabilitatis³⁴⁸, tamen divino adiutus auxilio erexit se et multa evidenter testimonia verae suae ad Deum eiusque conversionis exhibuit et modo exhibet. Statim enim post redditum suum Chiovia accusator sui literas misit ad me cum magna humilitate et signis verae poenitentiae, quae singillatim percensere longum esset; duo tantum commemorabo, unum est quod librum contra illud impium conciliabulum ediderit. Secundum: desideravi ab ipso ut ad maiores satisfactionem et Schismatis conculationem publice revocaret ea omnia, quae scripsit, docuit et fecit contra Ecclesiam Catholicam eiusque Supremum Pastorem; acceptavit et se facturum libenter promisit, quod etiam re ipsa praestitit. Et quia III. mus Dux Alexander Ab Ostrog Zaslaviensis, Palatinus Chioviensis nunc recens creatus³⁴⁹, voluit ut hoc domi suae fieret, promittendo se subditos Ducatus sui ad Unionem adducaturum, venire ergo debui Dubnam ad locum re(sidentiae eius), inde misimus accersitum Meletium, proposui causam (...) ut scilicet hunc actum publicum faceret desideravi. Die (...), quae erat proxima, convocabimus quod potuimus tam Ecclesiasticos, quam saeculares ad ecclesiam Collegiatam in arce sitam, a Schismaticis ad illum usque diem possessam. Noluerunt quidem ad primam v... (f. 148v) Schismatici aperire ecclesiam, cesserunt tamen iussis Ducis; ibi Meletius pontificaliter indutus fecit sermonem ad illos, qui aderant, claris verbis valedicendo Schismati, damnando doctrinam illorum, reddendo obedientiam Summo Pontifici, nominando ipsum, et diversos titulos convenientes Suae Sanctitati et exprimentes supremum ipsius in Ecclesia Dei regimen enumerando; multa alia addidit cum magno spiritu ut lachrimas nobis audientibus eliceret et sic Sacrum pontificale celebravit et nisi infirmitas Dueis impedivisset iam omnia circa hoc opidum et alia loca adiacentia ipsi in quibus triginta circiter Parochiae numerantur transacta fuissent; nunc modicum sustinere debeamus. Jam tria Monasteria, duo virorum, unum mulierum praestiterunt obedientiam, Protopopa, hoc est Archipraesbiter, vulpina pelle indutus voluit latere, dando nobis bona verba, re ipsa tamen aliud faciendo, plebem scilicet ab obedientia debita avertendo; dictum est ipsi clare vel Unitum debere manere vel Schismaticum migrare et quia hoc elegit ibit suas vias intra hoc triduum in cuius locum iam habemus paratum alium faciliorem; speramus successum cum aliis Sacerdotibus; rogamus summopere ut Brevi Apostolico iste bonus Dux honoretur ut alacrior ad ulteriora reddatur; fundata hic iurisdictione Dubnae procedemus ad alia eiusdem Ducis bona; postea conferemus nos ad alios Magnates, qui rerum potiuntur in istis partibus; vix enim speramus integrum gentem tam cito convertendam quando quidem non successit Meletio. Modus pensandi animos illorum, qui alios trahere possunt, per partes cona-

³⁴⁸ Mox, ex Kiovia profectus, omnia revocavit et poenitens Ecclesiae iterum adhaesit.

³⁴⁹ Post Thomam Zamoyski (1619-1628).

bimur lacerare hanc Synagogam offerendo ipsi nunc unam nunc aliam partem quamvis et illud primum non ommitemus dummodo digni simus coram Maiestate Divina ad opus tanti momenti. Misimus ad Comitia etc. ut Serenissimus Rex noster offerat Schismaticis Synodus provincialem utriusque parti Rhutenorum; si acceptabunt Schismatici petemus a Sua Sanctitate Domino Nostro facultatem et benedictionem.

His iisdem diebus idem Meletius conscripsit libellum occurrendo omnibus obiectib[us] Schismaticorum, quem Dux suis sumptibus imprimi curat (f. 149). Q[uo]d igitur bonus Meletius ut evidentia argumenta praebuit suae verae conversionis itemque iteratae paenitentiae si quid deliquit in hoc supradicto conciliabulo Chioviae, supplico ego nomine Ecclesiae nostrae Rhutenae ut ipsi titulus archiepiscopalis tribuatur³⁵⁰. Ego sic constitui, quod confirmari a Sua Sanctitate per Ill.mas ac Rnd.mas Dominationes Vestrarum etiam atque etiam rogo, ut titulus Haliciensis, quo nunc utitur Coadiutor meus Raphael³⁵¹, detur ipsi et quia illa Sedes fuit archiepiscopal[is] ab antiquo tempore antequam uniretur Archiepiscopatu[m] Chioviensi titulus Haliciensis Archiepiscopi ipsa autem Halicia nomen Episcopi retinuit et nunc Episcopum habet Schismatum, sit Meletii titulus Archiepiscopi Haliciensis; Coadiutori autem meo proindeatur de aliquo titulo in partibus infidelium, vel si hoc non placuerit, detur ergo Meletio titulus aliquis archiepiscopal[is] vacans, ne qui in Schismate gaudebat titulo Archiepiscopi deterioris conditionis efficiatur propter conversionem ad fidem catholicam. Ut igitur alterutrum horum omnium obtineam vos Ill.mi ac Rnd.mi Domini apud suam Sanctitatem Intercessores esse cupio et ut hoc fiat, etiam atque etiam rogo.

Patriarcha Constantinopolitanus, ad epistolam Metropolitae autem Filadelfiae, de quo scripsit Meletius, ex relatione quam habuit in Graecia hic erat qui fuit Venetiis. Interim me et universam Ecclesiam Rhutenam patrocinio et gratiae Ill.marum ac Rnd.rum Dominationum Vestrarum etiam atque etiam commendo.

Datum Dubnae, die (9) Januarii, Anno 1629.

Ill.marum ac Rnd.ssimarum Dominationum Vestrarum humillimus servus
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviens, totiusque Russiae.

(fol. 149v): Ill.mis ac Rev.mis Dominis Antistitibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Dominis colendissimis.

³⁵⁰ Anno tantummodo 1631 datus fuit ei tit. Archiepiscopi Hierapolitani in partibus infidelium. Cfr. Breve in *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, sub data 5-VI-1631, pag. 482, nr. 412.

³⁵¹ Anno sequenti Episcopo Haliciensi data fuit Eparchia Pinscensis.

110.

In Volhinia, an. 1629

Describit gesta et acta in Volhinia in visitatione huius provinciae, praesertim apud Ducem Zaslaviensem et Korecensem.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*; *Collegia*, vol. 7, fol. 20-21v.

Visitatio mea per Woliniam³⁵² etc.

Quae facta sunt ante festum Nativitatis anno superiori 1628, scripsi ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, de Rnd.mo scilicet Meletio, quod publice et solenniter renunciaverit Schismati, et obedientiam praestiterit Summo Pontifici; paulo post misi copiam professionis fidei Cyrilli Patriarchae Constantinopolitani moderni, quam reliquerat ante 20 annorum apud Archiepiscopum Leopoliensem, idque feci iussu Sacrae Congregationis; nunc dicam quae subsequuta sunt.

Tres sunt ex potentioribus Magnatibus in Volinia, qui plurimas ecclesias Ritus Graeci, et subditos fere omnes habent Schismaticos. Successores Ducum ab Ostrog³⁵³, Duces Zaslavienses³⁵⁴, et Dux Koreensis³⁵⁵, omnes hos adire hae hieme necessarium esse duxi, quia post annum iam mihi redeundum erit in Lithuania, et forte nunquam amplius videnda Volinia.

Imprimis igitur adii Ostrog, quod in duas partes divisum est, una pertinet ad Successorem Ducis ab Ostrog, Castellani Cracoviensis, sed is adhuc est minorennis et sub tutela unius ex Senatoribus Regni, qui est Haereticus et in hac nihil efficere potui; altera ad Palatinam Vilnensem, Viduam, filiam Dueis Alexandri ab Ostrog, sed quia tunc non erat praesens, non longe tamen distabat, duorum scilicet dierum itinere, adeunda mihi fuit. Factus fuit sub adventum meum (rumor) a Schismaticis putantibus me proptera venire, ut ecclesias ipsis auferem; audiverunt enim hoc factum fuisse diebus superioribus Dubnae, propter quem tumultum non consulebant mihi quidam viri Religiosi catholici ibi manentes, sed nihil factum est; Praeses loci illius tempestive occurrit et in initiosis compressit, assecurando illos, quod non propterea venebiam. Mansi ibi triduo, et quia ex illis diebus fuit unus dies Dominicus, celebravi Sacrum pontificaliter in ecclesia nostra, quam nuper nobis Domina Palatina Vilnensis a Schismaticis ereptam dedit, penes quam habemus unum ex Religiosis nostris, licet vix est aliquis ex Schismaticis, qui illam frequentet, nisi aliqui nunc recens conversi; concionatus sum etiam; poterant esse ex Schismaticis circa 200, fuerunt etiam aliqui ex Primariis audiendae novitatis causa, postea

³⁵² Provincia Ucrainae occidentalis, ubi erant Eparchiae Luceoriensis et Volodimiriensis, nec non pars etiam Archieparchiae Kiovensis.

³⁵³ Familia Ostrožskij; post obitum Janusii Ostrožskij remanserunt tantummodo filiae eius eiusque fratris Alexandri.

³⁵⁴ Unus Duxum Zaslaviensium nupsit Euphrosynam Ostrožskij, inde nominabantur etiam duces Zaslavienses ab Ostrog.

³⁵⁵ Dux Koreensis ab oppido Korec, Ritus Orientalis. De hoc cfr. infra in ipsa «visitatione».

haec concio sparsa est per civitatem. Ad caenam Protopopam loci illius Schismaticum convenerant Schismatici, quorum unus referebat concessionem, et quia sibi placuisse dixit, percussus est ab altero Schismatico, ubi bene se gessit Protopopa, obiurgavit severe (f. 20v) percussorem, stultitiae et temeritatis arguens illum, et dicens hoc esse resistere Spiritui S.; si probavit Concionator dogma fidei ex Sanetis Athanasio et Cyrillo Alexandrino quorum tunc dies secundum nostrum Ritum erat anniversaria et hinc factum est, quod illos tantum duos Patres allegabam non alios, dicendo hodie festum duorum Sanctorum celebramus, ergo sunt Sancti, ergo scripta ipsorum orthodoxa et extant etiam in lingua slavonica, licet non integre, sed isti colebant Unionem et probabant ex vita et scriptis ipsorum; dicebat ergo Protopopa, quando quidem allegavit hos duos sanctos Patres, videamus an tales illi fuerint, an taliter docuerint. Si ita est credamus, si non, Concionatorem mendacii arguemus, iste autem qui retulit concessionem extra omnem culpam retulit prout audivit. De eodem Protopopam audivi a multis viris catholicis incolis illius civitatis, quod nihil dicat publice vel privatim contra articulos fidei, excepto solo primatu Papae, sed et in illo modeste, studuit latine, et scit graece, efficere tamen non potuimus cum Rnd.mo Meletio, qui fuit tecum, ut visitaret nos etiamsi noctu, promisit se id facturum alia vice, quando solus Meletius veniret eo, et venit post octiduum, sed Protopopa non stetit promissis, fortasse alia vice fiet quod non factum est nunc. Discessi igitur ad dictam Palatinam Vilnensem, et quando redibat Religiosus noster ad suam residentiam, postquam deduxit me extra portam, a plebe primum verbis iniuriosis tractatus, tandem etiam fustibus pulsatus fuit, et nisi fuga sibi consulisset, forte gravius aliquid evenisset, et quidem eadem hora in duobus locis ita verberatus fuit; pro duo debebant administrare iustitiam Praesides; quid factum postea fuerit nondum scio. Domina Palatina Vilnensis quoad Ostrog respondit expectandum esse biennium, et interim Dux Dominicus, Successor Ducis Joannis ab Ostrog, Castellani Cracoviensis³⁵⁶, perveniet ad annos discretionis, et accipiet medietatem Ostrog, et tunc Schismatici non habebunt ullum refugium, quod in praesentia habent et iura Patronatus ad utramque partem pertinent, tunc veniendum esse et omnia perficienda iri ex animi sententia. Quoad alia bona, quae ipsa sola possidet, sine socio, se velle facere quidquid mihi videretur, suaviter tamen, et pedetentim. Obtuli medium ut praesens Protopopa moveatur et Unitus substituatur, ad quem Protopopam pertinent 16 Parochiae. Promisit se id facturam, sub alio tamen pretextu, non religionis; non defuturas autem tales occasiones.

Apud Ducem Korecensem multa bona inveni, licet needum in re, et quidem certa; primo petii ut amoveretur Protopopa, qui non tantum est Schismaticus, sed (f. 21) mere Haereticus, homo pestilens; cum tamen apud homines sit in opinione doctrinae, potest enim loqui latine et graece, dicitur scire prae aliis; propterea creditur ipsi, magnam in illis partibus habet autoritatem, multa habet sub se eiusdem Ducis opida, et totum plane Ducatum ipsius, nec est spes de conversione ipsius, sicut est spes de Ostrogiensi, propterea obsecravi ipsum Ducem ut tantum malum amoveret a sua civitate, ne tot animas subdivi-

³⁵⁶ Joannes (Janusius) Ostrozskyj, filius Constantini († 1608). Hic obiit an. 1620, ut ultimus ducus Ostrogensis. Erat Ritus Latini, et Palatinus Cracoviensis, unde primum locum obtinebat in Senatu Regni Poloniae.

torum ipsius occideret, satis malorum fuisse tempore Matris ipsius; Schismaticam ut emendet filius Catholicus. Ostendit primum difficultates, quas videbat in amovendo ipso; interim tamen se velle hoc medio uti: procuraturum se, ut prematur, nullam experiatur gratiam a Duee iniuriae contemptus si ab aliquo ipsi irrogabuntur se non curaturum, ut clare intelligat se contemni et roget licentiam abeundi et tunc dimmittendum; in nostrum autem iam esse ut tunc provideamus de bono successore et certissimo hoc medium succedet; homo enim est superbus; in magno honore fuit apud Matrem huius Ducis schismaticam, quae ante biennium obiit; si semel et iterum dishonorabitur cum cognatis suis ibit suas vias, et Dux non inhibebit; in hoc districtu forte sunt ultra 100 Popi cum Parochiis suis, sunt praeterea in statu huius Ducis 3 Monasteria, 2 Virorum per diversa loca, unum Virginum in ipso Korets, in quo est germana soror Dueis; illa duo vult tradere postquam sustulerit Igumenos ex ipsis; hoc, tertium, quod est opulentius caeteris, nonnisi post mortem sororis suae; sed dummodo loco movebitur dictus Protopopa, illum procuraturum ut convertatur et se habere spem bonam; praeterea debere se 40 milia florenorum, quae Mater sua testamento legavit pro tribus his Monasteriis, plus autem pro hoc Monialium; hanc pecuniam habet penes se, illis autem dat censem; dixi ut illis duobus Monasteriis negaret censem, soli Monasterio Monialium, idque tantum respectu sororis, daret portionem, quae ratione summae pendebat ipsis. Illi duo Igumeni petendo censem et non accipiendo illum relinquunt Monasteria et nos succeedemus; dignus esset iste Dux ut honoretur Brevi Apostolico, et ut commendetur ipsi negotium S. Unionis.

Redii postea per Dubnam ubi visitavi Ducem Alexandrum ab Ostrog Zaslaviensem, Palatinum Kiovensem, valde infirmum post mortem consortis suae, cuius sepulturae etiam interfui induitus ecclesiasticis cum multis de Clero meo unito, quos hinc inde congregare potui; iste bonus Dux author est omnium bonorum, quae facta sunt in Volinia tam circa Rd.mum Meletium quam circa Ecclesiasticos Dubnenses et Monasteria. Jam enim Dubnae habemus tria Monasteria et quartum, septem inde miliaribus; ecclesiae omnes in civitate et pro Schismaticis nulla relicta est, etiamsi magnis donis emere conati fuerint. Protopopa in locum illius qui inde discessit (f. 21v), de quo superioribus literis plura scripsi³⁵⁷, alius a nobis consecratus et in ecclesia primaria collocatus est; unus Popus qui erat pestilentior aliis loco motus est, non propter religionem, sed quod ebriosus esset, ita per Dei gratiam et favorem huius boni Ducis totam Dubnam sub pedes Suae Sanctitatis proiecerimus; Breve Apostolicum nullum adhuc habuit, et certe dignissimus est, ut habeat, rogamus ut pro consolatione spirituali in hac infirmitate ipsis, intercedente Sacra Congregatione obtineat. Et haec de Volinia; quae modo in Comitiis Regni in negotio nostro facta sint, alii literis significabo.

Hoc scriptum dari debet R.mo Domino Secretario S. Congregationis de Propaganda Fide, et per ipsum Ill.mis ac Rev.mis Dominis meis dictae Congregationis Antistitibus; subscriptum manu mea.

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.
(fol. 21v, *in margine*): Relata die 13 Julii 1629, in Congr. 112.

³⁵⁷ Cfr. supra, et secundum *Indicem nominum et rerum*.

111.

*Bilopil, 25 . III . 1629**De conaminibus Unionis Universalis et de Synodo cum non Unitis.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 132, fol. 322rv.**Ill.mi et Rev.mi Domini, S. Congregationis de Propaganda Fide Antistites.**

Quod ardentibus vōtis a nobis pridem desideratum, hoc nunc Deus Opt. Max. nobis iure cogitantibus concēssit, quod Schismatici Ruteni colloquium generale nobiscum ipsi et quasi motu proprio desiderarint, et in his proxime praesentibus Regni Comitiis privato suo scripto, quod ipsi et nostri subscrīpserunt, firmarint, ut scilicet generalis conventus nobis cum illis sit Leopoli 28 Octobris. quem praecedere debent particulares conventus utrimque 9 Iulii, nostri Vladimiriae ipsorum Chioviae³⁵⁸; Possemus quidem Uniti conqueri quod locus ille pro nobis est incommodus, ubi nulla est ecclesia Unitorum, et Episcopus loci illius est Schismaticus, qui unus solus ex antiquis omnibus Schismaticis Episcopis Rutenis adhuc invanum vivit, et impedimento nobis est ne occupemus Catedram Episcopalem, et Unionem Sanctam in nobilissimam alias civitatem Russiae introducamus. Provisio pro omnibus Episcopis nostris, multo magis pro Clero ipsorum est difficilis, maxime illorum qui sunt in Alba Russia et aliqui ipsorum ducentis polonis milliaribus distant ad illa civitate, possemus igitur alium locum nobis et ipsis aequē commodum assignare, sed si non venirent nobis imputarent, maluimus has difficultates devorare, vel illis aliqua ratione remedium adferre satius quam istis quod in Comitiis petierunt et obtinuerunt denegare, quandoquidem etiam nostri, qui ibi fuerunt, non adverterint hoc. De ecclesia quidem disputatum est sed dixerunt Schismatici, ubicumque erit Synodus nos ad vestram ecclesiam ad Collegium vestrum non advenimus, sicut nec a vobis ut (veniatis) ad ecclesiam nostram desideramus, sed utrique convenimus in Castro Regio et ibi Sessiones Synodales habebimus. Restat igitur ut Vicarius Christi annuat, nobis filiis suis benedicat, et nos in nomine ipsius levabimus retia; speramus accepta hac benedictione bonam punctionem; venire (autem) interea tempestive possunt literae, si non ante privatum nostrum conventum, saltem ante illum generale, in quo totum situm est. Quae porro successerunt in Visitatione mea Volhinensi³⁵⁹, quam superioribus mensibus hac hyeme peragebam, annotata sunt in alia charta et manu mea subscripta, quae proponebuntur Ill.mis ac R.mis Dominationibus Vestris. Quos ut Deus Opt. Max. Ecclesiae suae Sanctae et Reipublicae Christianae conservet incolumes, etiam atque etiam precor.

Nunc vehementer opus habemus libro illo in quo haereses Cyrilli moderni Constantinopolitani continentur; in hac futura Synodo erit hoc nobis contra Schismaticos evidens documentum. Obsecro ut mittatur nobis tempestive, et

³⁵⁸ Synodi hae locum quidem habuerunt, sed sine ullo effectu. Synodus nempe Kiovensis non Unitorum impedita fuit interventu laycorum, praesertim vero Cosacorum.

³⁵⁹ Cfr. documentum *praecedens*.

si non illud ipsum exemplar, quod ibi habetur, saltem descriptum, mallemus tamen ipsum impressum, non enim dabitur ab illis fides exemplari scripto. Liber autem eiusdem Cyrilli contra Judaeos inventus est apud Meletium nostrum³⁶⁰, et invenimus fol. 81 blasphaemiam illam contra Venerabile Sacramentum quod numquam scivissemus, nisi seripsisset nobis S. Congreg. Ille Meletius enim, visa inscriptione libri, quod sit contra Judaeos, non legit tamquam rem parum pertinentem ad se. Sed aliae haereses ibi non sunt. Constantinopoli est allatus ille liber ad Archimandritam Chioviensem schismatum³⁶¹ et ab ipso ad nos devenit, ubi autem sit impressus nescimus.

Bialopoli, 25 Martii, Anno 1629.

III.marum ac Rnd.ssimarum Dominationum Vestrarum
humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiov. totiusque Russiae (mp.)

(fol. 322v): Ill.mis ac Rev.mis Dominis Antistitibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Dominis Colendissimis. (*notae et sigillum*)

112.

Lublin, 5 . VI . 1629

Transmittit varias res, de quibus reauisitus fuit. Gratias agit pro donis sibi oblatis. Refert de Synodo Schismaticorum.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, Codex familiae Santacroce,
vol. 10759, fol. 99.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime³⁶².

Quae mihi iniunxit Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra sibi mittenda mitto; quod attinet ad Decreta Sacrae Congregationis, itemque ad petitiones nostras ad eamdem directas, sententiam meam mitto in scriptis Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae. Mitto item transumptum ex libro Graeco Cyrilli Patriarchae Constantinopolitani. Tertio mitto discursum meum de promovenda Unione, quem miseram ad Sacram Congregationem ante tres annos, quia ita voluit Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra; scribo etiam litteras Roman de rebus quae nunc transactae sunt Varsaviae, sed breves, remittendo me ad litteras Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae.

Amplius mihi non occurrit in praesentia, nisi ut humillima obsequia mea offeram Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae quam diligentissime.

Dona mihi gratissima oblata sunt mihi a Patre Andrea nomine Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, quae mihi eo gratiora fuerant, quod ex animo benevolo erga me indignum perfecta sint, pro quibus ego maxime Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae ago gratias, et compensare omni genere officiorum conabor.

Datum Lublini, die 5 Iunii 1629.

³⁶⁰ Meletius Smotryckyj, olim Polemista anticatholicus, nunc vero ab am. 1627 unitus Ecclesiae Catholicae.

³⁶¹ Petrus Mohyla, ut videtur; dein Metropolita Kioviensis (1633-1647).

³⁶² Nuntio Varsaviensi, Antonio Santacroce (1627-1630).

Castellatum Siradiensem non inveni Lublini, est autem Leopoli; mittam litteras Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, sed non statim, nisi postquam cognoverimus ex Schismaticis quid velint a nobis, quod haud difficulter cognoscemus ex Synodo ipsorum particulari. De iis quae acta sunt Varsaviae scribo ad Patrem Nicolaum, Agentem meum Romae, ut ea referat Reverendissimo Domino Ingoli.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae obsequentissimus servitor
Joseph Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis (m.p.).

113.

Bilopil, 27 . VII . 1629

Transmittit documenta Synodi Chioviensis Schismaticorum cum suo iudicio et informatione de futuro Synodo Leopoliensi. Commendat Adamum Kysil, ut hac in re benemeritum.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, Codex familiae Santacroce,
vol. 10759, fol. 81-82.

Ill.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime³⁶³.

Ante aliquot dies scripsi litteras ad Rev.mam ac Ill.mam Dominationem Vestram significando de Synodo nostro Vladimiriensi, et puncta eiusdem Synodi misi ad Ipsam per Patres Iesuitas Lublinenses, qui debebant transmittere ad Patres suos Varsaviam. In iisdem litteris in pagina sequenti scripsi summam illorum, quae mihi allata fuerant Chiovia ex Synodo Schismaticorum³⁶⁴: acta po... huius ipsorum Conventus tum polonica, quam ex polonico versa in latinum, debui mittere quamprimum. Nunc quia iam parata et descripta sunt, mitto; ex quibus intelliget Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra de statu rerum apud ipsos, qualiter affecti sunt erga Unionem, quod in nullo articulorum hucusque inter nos controversorum faciant difficultatem, excepto Primate Papae; sed et de hoc quam perplexe loquuntur, cum terminis implicite et explicite, agnoscentes implicite, non agnoscentes explicite, patet ex hoc scripto. Quid autem intelligent coniicere haud difficile erit, quod volunt habere suum Patriarcham, cui si obedient, implicite agnoscent Primum Papam, a quo ipse accipiet hanc dignitatem. Si ita est, non procul sunt a nobis, sed ista verba suspensum me reddunt, et hanc explicationem meam in dubium revocant. Quousque guttula sanguinis Rutheni? Tamen animum bene sperare de illis iubet, quia verba admittunt hanc meam explicationem. Opus ergo est nobis congressu publico cum illis, Synodo scilicet, et quod hunc Conventum suum sine ulla rationabili causa dissolverunt. digni sunt maximis reprehensionibus a Sua Maiestate, quando venient Nuntii ipsorum, venire autem debebunt. Putarem etiam opus esse consilio Dominorum Senatorum residentium, quomodo Sua Maiestas in posterum in Comitiis se gerere debebit cum Schismaticis,

³⁶³ Eidem Nuntio Varsayensi.

³⁶⁴ Non nobis constat an puncta haec Roman transmissa fuerunt. Fortasse inveniuntur in Archivio S. Officii,

quando petent, ut petere solent, pacificationem Religionis suae. Incolae Palatinatus Chioviensis prohibuerunt suo Metropolitae, ne celebraret Synodum, et Metropolita non celebret, etiamsi Nobiles ex aliis Palatinatibus, in qualcumque numero venerint, spirituales autem illorum in maximo numero confluxerant. Unde timeo ne sit ista... huius Metropolitae, qui Nuntio Regis semper dabat bona verba, contrarium autem reipsa faciebat. Ego certe nihil ipsi credo, licet auctor harum scripturarum, qui officio Nuntii Regis fungebatur in hoc Conventu valde commendat illum. Synodus tamen illis etiam in extraordinariis Comitiis, qualia scilicet proxima futura sint, concedenda erit, sed Synodi particulares antecedentes illam paenitus negandae. Satis errorum quod haec concessa fuerit. Iam quod attinet ad Synodum indictam Leopoliensem, nos Uniti ibimus ad illam, licet Schismatici non venient, nisi aliter domino Palatino Chioviensi³⁶⁵, qui Legati Regis munus in hac Synodo obire debet, videbitur, ad quem iam expedivi litteras, et Acta huius conciliabuli. Rationes istae me movent: habebimus in quo condemnemus ipsos, tam publice in Comitiis, quam extra Comitia in privatis Congressibus, quod ipsi petierint Synodum a Rege et Republica. Huic petitioni suae subscriperunt, et chyrographum ipsorum apud me est. Rex concessit non tantum Synodum, sed etiam locum qualem ipsi elegerunt sibi, et postea illuserunt Ser.mo Regi, et toti Regno. Obiicient quod universalia non sint scripta vigore Comitiorum, sed tantum auctoritate Regis; responderi potest: nihil desiderari, quoniam vigore Comitiorum ista universalia emanasse intelligantur. Nuntii terrestres petierunt, quinimo, quod non facient in aliis Comitiis, suae petitioni subscriperunt, Senatus assensu etiam et Rex confirmavit. Obiicient secundo: se petisse et obtinuisse Synodum pro pacificatione nobiscum, non pro unione cum Sancta Romana Ecclesia, quasi vero esse nobiscum vera pax poterit, nisi sit unio cum Ecclesia Romana. Mitto etiam exemplar polonicum et litteras meas ad Illustrissimos tam Cancellarium quam Vicecancellarium Regni; cum enim non sciam uter ipsorum sit penes Curiam, propterea ad utrumque scripsi. Iubeat, quaeso, Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra ipsis tradi, ut informantur de hoc negotio, et informent Ser.mum Regem, sed tutius erit et maioris auctoritatis, si ipsa Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra istas partes assumpserit et Suam Maiestatem proprio ore informaverit. Praeterea etiam atque etiam rogo ut hunc Nobilem Adamum Chisiel, qui officium Nuntii Regii sustinuit in illo Conventu Chioviensi, commendare dignetur Suae Maiestati; certe dignus est commendatione, cum labore et sumptu adhibendo numerosam familiam, nec sine periculo aliquo vitae sua, et cum industria funetus est ipso officio, prouti ex ipsa relatione illius facile colligere poterit Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra, et in posterum potest esse nobis utilis, quia est magnorum partium apud ipsos, et habent ipsum pro suo, et propterea credunt ipsi omnia; cum tamen intimesit Unitus, licet nondum externe. Si vel Ill.mus Cancellarius scriberet ipsi quod iste labor gratus fuerit Suae Maiestati, promptiorem ipsum redderet ad praestanda plura. Cur Archimandrita³⁶⁶ agere de hoc, de quo cum Ill.ma ac Rev.ma Dominatione Vestra egi, non est visum quibusdam nostris, ut agamus per illum Senatorem, ad quem Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra dedit

³⁶⁵ Alexander Zaslavskyj, Palatinus Kioviensis ab an. 1628.

³⁶⁶ Petrus Mohyla, archimandrita Kioviensis Pečarensis.

litteras, sed per Palatinum Chioviensem, qui, ut speramus, ibit Chioviam. Omnino videntur esse iacta bona fundamenta, si non progrediemur ultra, ipsi met docuimus nobismetipsis et culpa non... bimus. Qualem resolutionem obtinebo ab Ill.mo Palatino Chioviensi faciam certiorem Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram, cui me meaque omnia, cum debita submissione subiicio.

Datum Bialopoli, die 27 Iulii, Anno 1629.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humillimus servitor
Iosephus Velamin Rutschi, Metropolita (mp).

Licet habeam facultatem vivae vocis oraculo ab Ill.ma ac Rev.ma Dominatione Vestra publicandi meis praesentem Iubilaeum, tum quia cum maiori consolatione esse videtur, ut veniat ab Ill.ma ac Rev.ma Dominatione Vestra charta cum subscriptione manus eiusdem, propterea rogo; puto autem terminum huius Iubilaei nondum expirasse.

(*Scriptura epistolae manu R. Korsak; subscriptio manu Metropolitae*).

114.

. , 1629

Josephus Rutskyj refert Nuntio Apost. diversa negotia, praesertim vero de communi Synodo cum Schismaticis celebranda, vel saltem de Synodo ordinaria Catholicorum. Item de Episcopatu Chelmensi vacanti et de missione Methodii Terleckyj in Croatiam. Sine loco et data, sed tamen scripta est anno 1629. prout patet ex negotiis tractatis, fortasse primis diebus mensis Octobris.

ARCHIVUM MUSAEI NATIONALIS UCRAINI LEOPOLIENSIS, Codex familiae Santacroce,
vol. 10759, fol. 117-120.

APF, Scritt. rif. n. Congreg. gen., vol. 57, fol. 141-142v.

III.me ac Rev.me Domine. Domine Colendissime³⁶⁷.

Mandata SS.mi Domini Nostri et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide cum debita reverentia accipio, et illa fideliter et prompte exequi, Deo adiuvante, volo. Cum Schismaticis Synodum non celebrahimus, sed nec Nuntios ab illis ad nostrum Conventum admittimus: proponere tamen nostra humiliiter Domino et Patri Nostro per Ill.mam ac Rev.mam Dominationem Vestram tenemur.

Ab annis forte plus quam decem, ad instantias Schismaticorum quas ipsi in Comitiis Regni generalibus contra Unidos et Unionem faciebant, respondebatur, aliud medium ad componendas dissensiones cum Unitis esse non posse, quam Conventum utriusque partis in unum locum, et una pars alteri dicat suas offensas, et vicissim audiat, et ad obiecta respondeat. In singulis fere Comitiis hoc agitabatur, et taliter respondebatur; Schismatici nunquam acceptabant hoc medium. Nunc in his ultimis Comitiis cum admiratione omnium acceptarunt, ad quod consentit missus a nobis Archimandrita, supponendo Suam Sanc-

³⁶⁷ Nuntio Varsaviensi.

titatem et eius Sanetam Sedem pro rato id habituram, ex eo quod id toties iam agitatum fuit, et assenserant Ill.mi Domini Archiepiscopi, imo ipsi hoc proponebant Schismaticis, dum ex commissione Comitiorum negotium hoc inter nos et Schismaticos peragebatur in ipsorum Palatio, scientibus Ill.mis Dominis Nuntiis Apostolicis, qui sub id temporis erant in Regno, unde et ego in hac eadem sententia fui. In hoc tamen inculpabam Archimandritam, quod de hoc negotio, quando tractabat, maxime vero quando finem imponebat, cum Ill.ma ac Rev.ma Dominatione Vestra intime non contulerit, et ex illius sententia non fecerat, quae facienda erant. In hoc Conventu utriusque partis non debebant examinari articuli fidei, sed nos Uniti debebamus probare illos Schismaticis ex Sanctis Conciliis, ex Sanctis Patribus, maxime vero quod illos plurimum convinceret, ex libris nostris ecclesiasticis, ex quibus legimus et canemus in ecclesiis tam nos quam ipsi.

Conditiones vero unionis vel concordiae nobiscum, si ab ipsis propone-rentur, nunquam a nobis concederentur, nisi consulta Sancta Sede, ad quam pertineret approbare, vel reprobare in hae vel illa forma; nos enim ad nutum Suae Sanctitati sicut semper antea fuimus, ita nunc essemus obedientissimi. Intimationem vero Synodi, qualem feci mitto Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae, prout iubet, item mitto consiam Brevis Apostolici, quo non tantum conceditur mihi, sed et praecipitur quolibet quadriennio convocare Synodus omnium nostrorum Episcoporum. Et nunc post ultimam Synodum Cobrynen-sim canonice celebratam iam ferme est quartus annus. Vigore igitur huius concessionis conveniemus sive Leopoli, ubi fuit praeparatio, sive alibi, ne frustra venient Episcopi et alii Ecclesiastici, qui a 200 milliaribus polonicis, quorum quodlibet 5 ad minimum millaria italica continet, venient; erit enim talis Polocensis, Smolenscensis, et meus Coadiutor³⁶⁸, Religiosi etiam ex diversis monasteriis nostris, quos avertere ab hac via ferme est impossibile, cum iam duo menses restent ad tempus designatum pro Synodo; duabus enim septimanis convenire debebunt ad locum, qui 20 millaria distat Leopoli, ubi et ego ero, et alii Episcopi Volhyniae, et tunc aperiā ipsiis hoc mandatum Suae Sanctitatis, et ad effectum deducam. Iam vero Synodus, quae ex praescripto Brevis Apostolici debebat celebrari anno sequenti praemittitur; haec erit pro illa, cum etiam quadriennium non mathematice, vel metaphysice, sed morali-ter accipiendum esse arbitramur. In hac Synodo maxime tractabitur de Se-minario, quia aliquot Episcopi nondum vel unum teruncium dederunt, et aliqua quae occurrunt necessaria inter nos ipsos.

Hierosolymitanus ille Pseudo Patriarcha³⁶⁹, qui commoratur in Valachia, venit fugiens tyrannidem Turcicam, non vocatus a Schismaticis. Quinimo sub haec tempora venerat Chioviam Metropolita Anchiali Graecus, non est admissus a Schismaticis, dicentibus: turbas hic excitatis, quando venitis, propter quas multa postea ab apostatis — nos tali dignantur honore — patimur cum iactura rerum nostrarum.

³⁶⁸ Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis (1624-1655), Leo Kreuza, Archiep. Smolenscensis (1625-1639), et Raphael Korsak, Episcopus Haliciensis, et Coadiutor Metropolitae Kioviensis (1627-1637), dein et ipse Metropolita (1637-1640).

³⁶⁹ Fortasse agitur adhuc de Patriarcha Theophane, qui anno 1620 Hierarchiam non unitam consecravit.

Licet enim Schismatici Leopolim non venient, Nuntii tamen illorum dicuntur venturi, prout mihi ante aliquot dies ex Volhynia scriptum est, sed nos illos non admittemus, solum inter nos nostra agemus, et pro hoc intimabitur Synodus viva voce; per scriptum enim iam non potest, ut dixi. Puto ergo quod satis fiet plene mandato Suae Sanctitatis quando ita fiet. Haec quoad praesentia.

Iam in futurum si in Comitiis proponunt vel Schismatici ipsi, vel Ordines Regni Synodus tamquam medium ad Unionem universalem Ruthenorum, videndum est Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae quid facto opus sit. Ego putarem supplicandum esse Suae Sanctitati ut hoc ante tempus nobis concedere dignetur, antequam proponetur in Comitiis, ut liberius tam nos, quam Illma ac Rev.ma Dominatio Vestra habendo iam talem facultatem cum adversariis agere possemus. Securissima sit Sancta Sedes Apostolica de nobis, filiis suis, quod fideliter nos gerimus, trahendo illos enim ad Sanctam Unionem, non examinando puncta vel conditiones illius, quia hoc esset in dubium vocare ea quae in Concilio Oecumenico Florentino sanctissime conclusa sunt, et tot Decretis Summorum Pontificum, sed aperiendo non videntibus oculos, monstrando libros Ruthenos, legendi, explicando; Spiritus Sanctus daret lumen ad intelligendum ea, et efficacius ista proponi possunt in unum congregatis, quam hinc inde dispersis. Proponere igitur id dignetur Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra Sacrae Congregationi de Propaganda Fide.

Illa quae acta sunt in Conventu Schismaticorum Chioviensi accurate descripta iam ante octo dierum misi Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae, et simul exemplar polonicum ad Cancellarium Regni; direxi enim ad domum professam Societatis Jesu, et Patrem Praepositum illius, adiunetis litteris meis ut diligenter transmittat. Ibidem scriptae sunt binae litterae ad Ill.mum Cancellarium et Vicecancellarium Regni; nescio enim uter illorum modo sit in Curia. Libros Rev.mi Meletii Smotricii, quos edidit contra Schismaticos, misi ego Ill.mae ac Rev.mae Dominationi Vestrae; ultimum etiam qui adhuc sub praelo est, mittam quando in lucem prodibit. Unum ego revidi, et R. D. Nucerinus, censor librorum per Episcopatum Cracoviensem, et mitto hoc exemplar. Ultimum porro, quod nondum prodiit, examinavit Rev.mus Episcopus noster Vladimiriensis, qui est bonus theologus, ita ut non videatur esse opus versione latina, quae multum temporis insumeret. Tres hucusque libellos edidit, ex quo ipse est nobiscum, quos omnes puto me misisse. De Apologia³⁷⁰ optime recordor misisse me, de aliis non item; propterea nunc mitto duos, ad vertendum enim in latinum cuperem, ut non obligarentur, quia est longi temporis negotium. Si tamen Sacra Congregatio his opus habet, et replicabit adhuc semel, obedientiae cedent omnia. In posterum vero si volet Sacra Congregatio, ut libri nostri, quos contra Schismaticos forte scribemus, maxime provocati ab ipsis, committat id Ill.mis Nuntiis Apostolicis, ut examinari faciant ab illis, qui norunt linguam polonicam.

De inhibitione Sacrae Congregationis Synodi cum Schismaticis silentium servare, quod Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra iubet, servabo diligenter, et rationabiliter servandum est, quia in nostro Regno, licet catholico, multi cum Sancta Sede gerunt se non satis catholice, dum putant sibi licere omnia. In quo

³⁷⁰ *Apologia peregrinationis in terras orientales...*, in lingua polonica, edita an. 1628, Dermani. In hac *Apologia* ipse describit suum iter ann. 1623-1624 in Orientem.

si quis certe nos Uniti habemus experientiam; patimur enim ab illis in singulari Comitiis ac si essemus seditiosi, quod propter Unionem non possit esse pax, et ista patimur et ab Ecclesiasticis, et ab ipsis, quod certe valde dolendum est, Antistitibus. Scio ego quale certamen fecerit sanae recordationis Nuntius Diotalevius cum uno primario, qui iam mortuus est, de Synodo quam tunc lege publica stabilire voluerunt, sine facultate Suae Sanetitatis, et iam responsum inter alia ad exorbitantias publice in Senatu lectum erat, quod et ad executionem deveniret, si Schismatie acceptassent.

Scribere ad Ill.mum Archiepiscopum Leöpoliensem³⁷¹ pro favoribus nobis praestandis non puto esse necessarium, quia iam misimus unum ex nostris Archimandritis cum litteris meis; licet ipsum non invenit, sed in Capitulo pleno dedit illas litteras, et alias ad Capitulum, licet ipsi captant occasiones extendendi iurisdictionem super nos, et licet ab Ill.ma et Rev.ma Dominatione Vestra caute scribentur illae litterae, quibus potius significaret nos immediate subiectos esse Sanctae Sedi, quam ut inde putant se aliquid habere supra nos ex eo, quia est Metropolitanus in Ritu Latino, tum quia forte illam privatam Synodus nostram, de qua super, si ita videbitur Coepiscopis meis, absolvimus in aliquo alio loco, et non Leopoli, et propterea non erunt necessariae tales litterae.

Reverendissimi Domini Ingoli tot favoribus et gratiis cumulati sumus, ut qualiter rependere debeamus non scimus, licet ipsi in caelis sit ab omnium honorum Remuneratore Deo paratum sibi copiosum praemium; nostra obsequia humana non sunt congrua tot beneficiis ipsius in nos collatis. Deus retribuat ipsi in hac vita et futura. Quod reliquum est, Deus Optimus Maximus Ill.mam et Rev.mam Dominationem Vestram Ecclesiae suae sanctae et Reipublicae christianaem quam diutissime servat incolumem.

Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae humilis servitor,
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

Pro Episcopatu Chelmensi Rutheno ante annum est praesentatus a Ser.mo Rege nostro unus ex Patribus nostris Ordinis S. Basilii, quem ego Suae Maiestati commendaveram³⁷²; erat enim tunc Viennae in Austria in studiis theologiae. Ego interim Episcopatum hunc tam in spiritualibus quam in temporalibus administravi, ipse in persona hic residens. In Lithuania enim residet Rev.mus Coadiutor meus, et obit munia episcopalia. Hic Pater impetravit a me facultatem eundi Romam pro aliquot mensibus; concessi, et simul ut meo nomine adiret sacra Limina SS. Apostolorum, et renovaret triennalem SS.mo Domino nostro obedientiam iussi. In hac via transivit loca Uscocchorum in finibus Croatiae manentium, qui Ritu Graeco et nostra selavonica lingua, qua in Sacris utimur, Sacra peragant, et libris iisdem, quibus in ecclesiis utimur nos, utuntur. Habent et Episcopum suae gentis S.R.E. unitum. Sua Caesarea Maiestas, forte suadentibus PP. Societatis Jesu, iussit ut visitaret hos populos, et quidquid videret Sacrae Congregationi de Propaganda Fide referret. Vedit, Sacrae Congregationi retulit, et ab ipsa ad dictos populos

³⁷¹ Archiepiscopus Leöpoliensis tunc temporis erat Joannes Andreas Pröchnicki (1614-1633).

³⁷² Methodius Terleckyj, Episcopus Chelmensis (1629-1649).

factus est missionarius, et sumptus ipsi dati sunt. De ipsis his scripsit ad me Rev.dus Pater Methodius Terlecki, submittendo se Sacrae Congregationi, missionem acceptando, me enim ut iuvem ipsi quando auxilio meo in submit-tendis operariis indigebit rogando respondi gratulari mihi, et ipsi, quod Sacra Congregatio et per ipsam SS.mus ipsum ad tam eximum opus destinaverit, me non tantum impedire non posse, sed etiam cooperari huic missione, si praesertim iubebit Sacra Congregatio, velle. Sed de Episcopatu scripsi, ipsum non posse vacare nisi ad futurum Pascha anni 1630. Ego enim iam in Lithuania debo redire, proinde hic diutius residere non possum; si ergo ipse non potest pro illo tempore venire, ut mihi significet. Quaesum, scribere dignetur Ill.ma et Rev.ma Dominatio Vestra hac de re ad Sacram Congregationem, quae fortasse non scivit, quod ipse pro hoc Episcopatu iam assignatus erat, et resciat de voluntate Suae Sanctitatis; estne talis, ut ille Pater ibi iam maneat non redeundo, vel non tam cito redeundo ad nos, et tunc alteri designabitur Episcopatus. Ego ipse non scribo, ne videar impedire hoc sanctum missionis negotium per hanc viam.

Etiam atque etiam rogo ut resciat, et mihi significare dignetur Ill.ma et Rev.ma Dominatio Vestra.

Ad Ser.mum Regem propterea nihil scribendum in praesentia putavi, quia ea quae scribere debuerim iam seit Sua Maiestas tam ex illis scripturis, quae misi ad Cancellarium, quam a Schismaticis, quorum Nuntii iam fuerunt hucusque apud Serenissimum.

(Fol. 142): *In copia Romae asservata, praeter adnotaciones Secretarii, notatum est: Chelma 1629. Relatum in Congr. 117, die 30 Novembris 1629.*

115.

Dubno, 18 . II . 1630

De litteris scriptis ad Patriarcham Constantinopolitanum et de relationibus cum non Unitis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 132, fol. 324, 328v.

Ill.mi ac Rev.mi Domini, S. Congregationis de Propaganda Fide
Antistites Amplissimi.

Scripsi ante unum trimestre, a nonnullis praecipuis Schismaticis medium fuisse oblatum, ut scriberent ad suum Patriarcham de suis miseriis tam spiritualibus quam corporalibus, ut sic responsum eius obtinerent, et intellegent sitne Calvinista, prout nos affirmabamus; literas autem ipsorum scribendas esse a nobis, et ab ipsis subscribendas, obsignandas et Constantinopolim transmittendas; R.mo Meletio nostro demandatum est hoc munus; scripsit, et harum literarum exemplar mitto Ill.mis ac Rev.mis DD. Vestris, itemque aliud exemplar litterarum Pseudo Patriarchae praesentis Constantinopolitani³⁷³, scriptarum ante aliquot annos ab illo ipso ad M. Ant. Spalatensem, propria manu ipsius descriptum et cum libris eiusdem M. Antonii ad Confraternitatem Vil-

³⁷³ Cyrus I Lucaris (1612, 1621-1623, 1623-1630, 1630-1633, 1633-1634, 1634-1635, 1637-1638).

nensem Schismaticorum missum. De caetero Deo Opt. Max. sit gloria: Schisma languescit. Hac hyeme magnam partem Russiae perambulavi³⁷⁴, ipsam etiam Chioviam³⁷⁵, quo non licebat nobis post caedes, submersiones et incarceraciones nostrorum venire, adii. Soli Cosaci sunt impedimento cum suis Antistitibus, quos habent Chioviae; sed dabit benignitas Dei etiam ad pertrahendos istos media; in quo nos operam nostram cum affectu filiali S.R.E. offerimus, curae sollicitudini et patrocinio Illustrissimarum ac Reverendissimarum DD. Vestrarum nos nostraque omnia cum humillima subiectione commendamus.

Dubnae in Volhinia, 18 Febr. 1630.

Illustrissimarum ac R.indissimarum Dominationum Vestrarum humillimus servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien,
totiusque Russiae. (m. p.)

(Fol. 328v): Ill.mis ac Rev.mis Dominis, Dominis S. C. de Prop. Fide Anti-
stitibus. Dominis et Patronis colendissimis. (sigil. et notae)

116.

Bilopole, 3 . III . 1630

De procuranda substantiatione Agenti Metropolitae Romano.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 6648, fol. 131rv.

Ill.me ac Rev.me Domine, Domine Colendissime.

Apprime necessarium esse iudicavimus, ut Agens Ruthenorum³⁷⁶ residenceat in Curia Romana, qui tam nostra proponat Sanctissimo D.N. quam mandata Suae Sanctitatis ad nos transmittat, quo melius et cura Suae Sanctitatis pastoralis supra nos extendatur, et nostra intima Sanctae Sedi Apostolicae subiectio in perpetuum solidetur. Huic Agenti provisionem congruam nondum procuravimus, impediti multis aliis Ecclesiae nostrae difficultatibus, inter alias non minori, fundatione Seminarii, quae antequam debite ad effectum deveniat, non possumus alia cogitare nedum praestare. Unum nobis occurrit, ut Sua Sanctitas, Dominus Noster Clementissimus, id quod liberaliter concedit plurimis aliis, concedere dignetur huic pauperi Patri. Magnam ipsi praestabit elemosinam, nobis autem et Ecclesiae nostrae beneficium, pro quo Suae Sanctitati eo magis obligati erimus, quo plures tituli harum obligationum multiplicantur in nobis. Interim me nostraque omnia gratiae et patrocinio Ill.mae et Rev.mae D.V. cum humili subiectione etiam atque etiam commendo et rogo, ut intercessione sua hoc apud Suam Sanctitatem efficere dignetur.

Bilopoli 3 Martii, Anno 1630.

Ill.mae ac Rev.mae D. V. Domini mei Colendissimi humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chiovensis
totiusque Russiae (m.p.)

Ill.mo Domino Cardinali Berberino.

³⁷⁴ Provinciam Volhyniae visitavit et partem Provinceiae Podoliae. Cfr. supra « Visitatio mea in Wolinia », nr. 110.

³⁷⁵ Cfr. infra, nr. 118.

³⁷⁶ Procurator Negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe. Primus erat Nicolaus Novak (1626-1633). Cfr. A. G. WELYKYJ, *Procuratores Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe*, in « *Analecta OSBM* », vol. I (VII), fasc. 1, Romae 1949.

117.

Volinia, VIII . 1630.

De visitatione Volinia et s.d. tragedia Stepanensi, i.e. de aggressione contra Metropolitam unitum.

APF, *Seritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 22rv, 25rv.

Tragedia Stepanensis³⁷⁷.

Habens ego collatum mihi ab Ill.mo Duce Zaslavien, ab Ostrog³⁷⁸, Domino Palatino Chiovien. Monasterium Stepanen. uno ab ipsa civitate Stepanum dicta milliari distans, situm ad fluvium Horen, hoc ego in possessionem acceptans iveram ad illud disponendum, sed quoniam eundum erat per civitatem Stepanen. (modus enim facilior traiiciendi fluvium ad Monasterium eundo, non erat, nisi per pontem civitatis), sum itaque Stepanum profectus, misso ante unam et aliam diem famulo meo, qui transeundo oppidum Derazna dictum, Stepanum spectans, 5 a se milliaribus distans, adiit Advocatum Oppidi eique significans me adventare, simulque petens ne portae venienti clauderentur; eadem etenim die oppidum clausum misso grassantis pestis rumore. Sacerdos autem illius oppidi idemque Protopapa Stepanen. ut primum didicit me Stepanum ire, statim equo consenso cucurrit Stepanum, famulo meo paulisper Deraznae commoranti relicto, ubi congregatis spiritualibus, et primariis civibus plurimis, modis quibus potuit adhortatur ad resistendum turbasque sic in populo rudi maximas cum coniuratione ferme concitavit. Paulo post illum Protopapam famulo meo venienti transitus per civitatem denegatur, quin imo Domino Praesidi Stepanen. nunciatum non esse famulum meum, sed esse Ill.mi Ducis Czartoriscensis. Quare famulus ille multo ad urbem tempore consumpto, atque aliquot ob talem actum illorum milliaribus inutiliter peragratis, sequenti non nisi die ad Monasterium pervenit, famuloque alteri ad Monasterium super dictum ab aliquot septimanis misso ad praeparanda necessaria in adventum meum nunciavit, me iamiam adventare, utque obviam iret et recto ad Monasterium itinere deduceret, misit; fatis tamen forte sic volentibus obvium habere non licuit. Ideoque nullam informationem habens recta Stepanum sum profectus. Portas vero civitatis a longe occlusas advertens, misi famulum cum petitione (hoc vero actum est die 21 Novembris anno 1629) ad Dominum Praesidem, ut liberum mihi concederet transitum ad Monasterium per civitatem Stepanensem. Verum enim vero Cives illi Stepanen. iam per illum supradictum Protopapam aliosque suos Spirituales turbati, notum Praesidi adventum meum esse nolentes, post longos cum famulo meo tractatus factos, dixerunt: ut primum Dominus vester ad ipsas pervenerit portas, statim eas aperiemus et liberum per civitatem transitum concedemus. Talibus ego certificatus promissis, nullam notitiam eorum perversarum cogitationum habens Stepanum veni, cum vero ad ipsas portas appropinquassem tamen quidam illorum, adito Domino Praeside, dixerunt, me trecentis stipatum equitibus et curribus aliquot supra 20, quidam vero extra portas egressi, quidam in portis et munitionibus civitatis residentes, verbis quibus poterant turpissimis, nec in ipsis cauponis dici solitis me salutarunt; haec ego audiens non audivi, et cum illis colloqui nolens

³⁷⁷ Pars visitationis Volhyniae. Cfr. supra, nr. 110.

³⁷⁸ Familia Ducum ab Ostrog (Ostrožskyj) tunc temporis iam in linea masculina disparuit. Bona eorum cesserunt diversis familiis ut dos filiarum Ducum Ostrosiensium.

etiam meos ne quidquam loquerentur interdixi, expectans responsum quale nam esse futurum, denegans vel concedens.

Interea venit decurio cum 10 peditibus comitatus, circumspexit an talis esset qualis alii ei referebant, advertens autem aliquot tantum comitum adesse mecum, dixit concessum quidem transitum esse per civitatem sed unicum (f. 22v) rhedae, aliis curribus et equitibus relictis extra portam; idem Decurio accepto equo priori perduxit ad pontem et ante ipsam consignationem costituit rhedam, ipse autem ingressus portam volens forte referre Domino Praesidi, quae vidisset. Rheda media ferme hora resolutionem ex arce expectavit. Haec dum ita agerentur, venit Vice Praeses, me nomine Praesidis salutavit, unaque percontatus est ex me quali animo Stepanum irem bono ne an certe malo; huic ego responsum cum declaratione dedi, me nullum malum animum Stepanum veniendi, sed bonum habere, quin imo non Stepanum, sed ad Monasterium mihi collatum, Stepanum vero ut tantum fluvium per pontem (qui est civitatis) traiicere possim. His Dominus Vice Praeses auditis, abiit, vixque portam ingressus, illi qui erant ante portam equis meis prioribus ad partem a ponte aversis exclamarunt: nunc, nunc aggredimini, aggredimini illos! alii eorum campanas ecclesiarum (ut eo maiorem tumultum concitarent) pulserunt, portas recluserunt. Plebs vero quaecumque in civitate potuit reperiri elapsa cum furore, variis onusta armorum instrumentis, tum bellicis, ut sclopetis, bombardis, easibus, frameis, hastilibus, tum domesticis, ut securibus, sareculis, ligonibus, barreulis, lignis, radicibus, quarum aliquot currus erant ante portam nobiscum simul introitum in civitatem expectantes; Rhedam prius tam crebris iactibus omnes illi sunt aggressi, ut non modo haidones lateribus astantes decuterentur, verum etiam ferramenta multa pangerentur, nullum tamen ego in rhedae sedendo passus detrimentum; tamen nec aliis curribus, quos spiritualis mei et saecularis familia occupabat pepercere, verum iisdem lignis, baculis, radicibus 20 aggravando, quosdam curribus detruserunt; cumque inter currus latitarent, aurigas et equos adorti, qui sustenere talia cum non possent, fuga sibi et curribus consulere docuerunt; interim qui potuerunt arripere currus, ascenderunt, qui autem non, in manus eorum devenerunt; duo praesertim Spirituales, Diaconus meus et Praesbiter saecularis, horum primus ab aliquot circumventus pugnis prius percussus, baculis deinde cum illo altero tam bene excepti, ut primus pileo subdueto detruso, alter crepidis missis, vix ab equitibus meis liberati. Sed neque isti omnes integri evaserunt, unique enim equum satis nocivis ictibus inflectis prostraverunt, et famulum ex equo detractum baculis exceperunt, alterum in foveam cum equo detruserunt, reliquos etiam baculis et aliis quibus poterant modis prosequuti. His equites ad ulciscendum concitati, armis et globis aggredi illos voluerunt, verum ego illos avocando et alias equites mittendo petii et minatus ne auderent iaculari; cumque currus paulo ulterius a munitionibus recossissent civitatis, me imperante sunt detenti, antequam Spirituales ex manibus eorum elapsi ad currus pervenissent; tunc quoque impetum Stepanensium equites sustinebant, verum cum neque isti diutius sustinere potuissent, ad currus alias appulerunt; hoc ego videns, equis stimulus addere iussi, amissi quamvis uno e cantoribus; tamen illi e muribus et ipsis portis iaculari incepérunt. Deus ipse sic nos sua protegebat manu, ut ne minimus quidem laederetur. Idem quoque Deus praepotens tale indidit consilium illis, qui praecebant, ut illis quibus eundum erat non irent plateis,

sed (f. 25) ad campos per aspera et devia loca sylvam quondam versus conseruent sese. Si etenim illis iremus plateis, globi dubio procul multum nobis nocuissent, quid nunc ipsi fatentur Cives et affirmant. Interim tamen rumor ad areem pervenit de tumultu. Maxime vero cum campanae pulsari per ecclesias audirentur. Cucurrit ideo Dominus Praeses ad portas cum quibusdam Nobilibus, qui sub id temporis cum illo in arce erant, vix plebem illam ira et furore ardenter potuit coercere, mihi autem et meis per magnam noctis partem per sylvas errantibus, vix ad villam quandam Stepanen, Verbova dictam, distantem uno a civitate milliari lieuit pervenire. Ibidem per reliquum noctis tempus commoratus. Brevi postmodum tempore elapso, Dominus Praeses, sedatis tumultibus, misit ad me D. Stabuli Praefectum Ill.mi Ducis Zaslavien.; hic me eadem die assequi voluit et petere, ut ad civitatem redirem Stepanensem, sed quoniam nox erat, aberravit ab eo quo iveram itinere, neque ad illam (in qua ego pernoctavi) villam potuit pervenire. Crastina quapropter venit meque nomine Praesidis rogavit ne discederem ulterius quo animus erat, sed ut redirem Stepanum, omnem securitatem et honorem domesticum promittendo. His ego petitis faciens satis, Stepanum ivi. Dominus autem Stabuli Praefectus rediit ab civitate et 50 secum acceptis equitibus medio ante civitatem milliari obvius factus, recta me ad arcem cum illo duxit comitatu, in qua duobus commoratus diebus, tertia ad Monasterium perveni Stepanense. Intra hos dies cives attentabant ut hanc sibi ignoscerem culpam, principes huius faeti tradere volentes, sed brevibus tamen expedii illos; idem postea aliquot vicibus attentabant, mittendo Nobiles, et ipsi ad monasterium veniendo, unamque peccati misericordiam expetendo. Verum pari ut antea expediti ratione, addito responso tali: nostrum ut ii ad quos id scio pertinere redditur certiores.

(Fol. 25v): Die 5 septembr. 1630, Congr. 128).

118.

Volinia, VIII . 1630

De visitatione civitatis Kiovensis ex parte Metropolitae uniti.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 23-24v.

Peregrinatio Chiovien.³⁷⁹

Post illam tragediam aut potius inhospitalitatem Stepanensem, de qua ut puto iam satis constare, commoratus Ill.mus in illo Monasteriolo paucō supra duas hebdomadarum tempore in profundorem Polessiam, aut potius Ukrainam, in villas Metropolitanas ire statuit. Recens pavor incussus a Stepanenibus familiam fecit murmurare et quasi pertimescere, ne forte qui in plures Schismatum civitates progrediemur, inimiciis ipsorum obrueremur. Sed ab Ill.mo fama sparsa se non ultra iturum Zwiahel, civitatem Ill.mae Palatinæ Vilnen³⁸⁰, fecit eos acquiescere. Ceptum itaque iter nona circiter Novembribus;

³⁷⁹ Tempore suae visitationis Volhyniae Rutskyj etiam Kioviam visitavit, ibique per duas hebdomadas remansit.

³⁸⁰ Ex familia Ducum Ostrosiensium, uxor Palatini Vilnensis, Joannis Chodkiewicz, vidua inde ab anno 1621.

non defuere hoc in itinere complures, qui falso spargebant (quod libenter ut puto viderent) conspirasse Kozakos in necem Ill.mi et certis in locis, in nemoribus scilicet occultantes, adventum expectare. Felicibus auspiciis in quiete pervenimus in Koree, ubi humanissime exceptus est Ill.mus a Duce Koreckij inchoatorumque praeterito anno cum ipso negotiorum partem perfecit, partem reliquit perficiendam. Hinc primo divertit ad Castellatum Chiovien. Dominum Hoyskij, deinde ad Zwiahel. Gratum adventum Ill.mi omni humanitatis officio excepit D. Palatina Vilnen. Hic in commoratione unius septimanae additus est Ill.mo animus visitandi non modo villas proprias, verum Chioviam ipsam. Hoc non omnes quidem sciverant, sed quod Ill.mus Mitram, et alia praeiosiora reliquerit penes Ducissam, suspicio orta inter aliquos, qui etiam proprias res relinquere apud Cives Zwiablenses volebant. Ill.ma Palatina, quantum ei licuit, omnem Rev.mo nostro securitatem in universo Districtu Chiovien. pollicebatur et ad tutiorem mansionem partem satellitii, quae placet, Ill.mo concedebat. Verum ne adeo Ill.mus aggravaret currus, tres tantum delegit. Itum igitur sic ad proximam villam, Weremeyki nuncupatam, commoratus in illa triduo, ceptum iter prosequetur. Pridie diei Dominicai ad Dominum vexilliferum Chiovien. Jelec declinavit, qui hilari vultu Ill.m excepit et per eam retinuit diem. Presbiter illius, Unioni addictissimus, potestati R. sese submittere paratus erat, multumque exoptavit, ut Patres nostri eius in ecclesia liturgisarent, ipseque Ill.mus adesse dignaretur. Verum loci Dominus nomine solum Catholicus Schismati addictissimus Presbiterum reprehendit dixitque coram Rev.mo se hoc tuto facere non posse, ne forte incursionem aliquam a Kozacis perferret. Ea ipsa die abiit Ill.mus pro nocte ad praeparatam mansioni suae villam Worobienicz dictam. Huic villaे Presbiter perverso rumore scilicet quasi Ill.mus multos alios ad rhedam vineulis adnectos secum ducat, alios ligatos et immaniter concusso, re hac percitus fugit inde duodecim millaribus ad civitatem Owru³⁸¹. Post aliquot dies D. Martinus Korsak venit Chiovia, quo etiam sequenti die redire iussus, ut pro adventu omnia necessaria compararet. His auditis familia iter aggredi ob periculum mortis recusabat, cui vix est persuasum, tum quod Regii essent milites non pauci in civitate, tum quod Kozaci haberent quid secum agerent cum Commissariis Regiis in supplendo defectu 6 Millium, vel si superessent in minuendo numero. Itum igitur e loco sola cum familia, vero appropinquantibus nobis Chioviam Nobiles in bonis Metropoliae residentes (f. 23v) obviarunt, post haec D. Korsak et D. Sadkowski cum aliquot curribus ad condecorandum adventum adfuerant, honoremque debitum praestiterunt. Mox Kozaci Rev.mi agros incolentes non absque consilio et licentia suorum occurrerunt, debitamque reverentiam exhibuerunt. Propius nobis civitatem accendentibus pars Cleri latini supervenit, duo scilicet praecipui ex Canonicis, duo ex Monachis Dominicanorum, item Plebanus. Hi dum longa Rev.mum oratione salutant, advenit Centurio cum sua cohorte, quae sub id tempus Chioviae residebat parique ratione Rev.mum salutavit omne offerens officiorum genus. Tali Rev.mus comitatu Nobilium, Militum et Spiritualium stipatus decenter satis civitatem est ingressus rectaque in celeberrimum illud Sapientiae Domicilium tetendit, inde cum eadem copia hominum ad Aulam est deductus. Eo die Spirituales et aliquos ex Nobilibus

³⁸¹ Civitas in parte septentrionali Volhyniae, quasi iam in Polissja, prope Turiv.

in caena exceptit. Postridie, qui dies erat Divi Basilii³⁸², celebrare ipse Rev.mus non poterat ob defectum Mitrae, quam, ut dictum, in Zviahel reliquerat, ea propter ne (ut postmodum rescivimus) si forte sie fata tulissent, occideretur, mytra praetextu Kozacis fieret, ipse tum post finem Sacri est concionatus in magna frequentia Sacerdotum, Militum, et ipsorum Schismaticorum. Suffecit vox, Deo ipso auxiliante, tantae capacitati cum admiratione omnium nostrorum, cuius capacitas ni fallor triplo aut quadruplo maior ecclesia SS. Virginis Vilnensis, commumerando curritoria, esse potest. Plurimi aderant Schismatici, inter quos magna spes nepotum, duo filii Pseudo Metropolitae subtristes quodammodo Rev.mo adhaerere videbantur. Exeuntem de Ecclesia, multi prohibant et consequebantur, multi adventum felicem gratulabantur, visum nobis ac si omnium votis et studiis requisitus Chioviam appulisset. Ea die lautissimo prandio Milites sunt excepti. Delatum est ad nos Cives Chiovien intranti Chioviam Ill.mo obviam ire, dona et honorem deferre non tanquam Pastori, sed tanquam suo vicino voluisse, quod dubio procul fecissent ni Kozaci eos prohibuissent. Vacabant multoties tacitis Kozaci consiliis cum nonnullis ex Spiritualibus schismaticis, quorum conventiculis adesse non poterant nec Antesignanus eorum nec Archimandrita, quia sumpta non suo tempore medicina morbo gravati lecto affixi decumbebant. Ubi haec precipue sunt constituta ne compareant in quantum fieri posset Kozaci et Spirituales in montis planicie prope ecclesiam et aulam; neque per plateas Civitatis divvagentur, a colloquiis quoque cum familia R.mi abstinuerant, erat demum prohibitum ne potus, qui inebriaret, post subadventum R. venderetur. Haec ideo ne forte ansam utraque ex parte iurgiis et turbationi porrigerent. Pseudo Metropolita quantum sibi timebat vel hinc R.T. colligat, perpetuo armata manu excubebant 60 Kozaci qui cum decedebant illi, eo alii in locum eorum succedebant, quodsi ad civitatem aut ecclesiam aliquam contigit ire, septus non nisi centenis Kozacis ibat. Sed de his satis. Prima Dominica post D. Basiliū ipse R. solenni forma (Mitra subtiliori quidem illa tamen satis pulchra praeparata) Sacrosanctam Liturgiam celebravit. Aderant multi spectatores Schismatici qui ausi sunt coram suis (f. 24) laudare et praedicare quod nihil novum, uti sparsum erat, reperiretur. Ceterum reliquis diebus disternandis limitibus cum Ill.ma D. Palatina Vilnen, vacavit itemque hic multi visitabant Ill.m schismatici Nobiles, multi Cives, nonnulli Kozaci, quorum praecipius Putiwlec, qui et Atamanum egit apud ipsos, homo, ut de illo nobis dicere licet, admodum bonus. Sed bonorum maior pars secuta Nicodemum de nocte non nisi veniebat. Et ipse Archimandrita ad Ill.mum visitandum misit duos ex Nobilibus, unum Notarium Chiovensem Terrestrem D. Proskuram, secundum D. Woronicz, Magistrum Rotae, Ruthenos utrosque, qui nomine Archimandritae salutem Ill.mo sunt imprecati et ne inhumanitati, quod non id munus sua persona obiret, sed potius minus commoda valetudini adscriberet, petierunt. Vicissim Ill.mus redditdit hanc illi officiositatem, missis itidem duobus, uno Canonico et Custode Ecclesiae Chiovien, R.do D. Gromackij, altero D. Suchodolsky, qui nunc nomine Regio, Sede vacante Palatini, praesidet arei, coram quibus eadem humanitate animi sui in Ill.m propensionem est contestatus,

³⁸² Prima Januarii, festum S. Basiliū et Circumcisionis Domini N. Jesu Christi, secundum calendarium graecum. Festum primae classis. Tunc nondum erat prima dies novi anni, quia annus ecclesiasticus et civilis inchoabatur die 1 Septembri.

dixitque per salutem liceret visitassem, verum propter respectus (de quibus non dubito Ill.m constare) nequaquam id facerem tuto. Ad cognoscendam maiorem animi propensionem Archimandritae in Ill.mum permisit Dominus Deus errorem unum. Abduxerunt eius Cantores tres pueros, unum Altistam, duos Discantistas, hos tribus milliaribus Chiovia remissos recuperavit et Ill.mo restituit. Nostrum nonnulli visitarunt Peczerense Monasterium, quos grato animo susceptos per catacumbas et loca subterranea duxerunt monstrando hucusque intacta corpora et varia loca Monasterii, frementibus aliis, sed ne quicquam hiscere audentibus, regit enim illos in virga ferrea Archimandrita³⁸³, poenitentiae hic imponuntur funibus, vulgo pøstronkami, iussu Archimandritae, ipso vidente ab haydonibus ipsius et ut fortius percutiantur iubente. In his duabus ferme hebdomadis absumptis et rebus Chioviae compositis iterum in villas Ill.mus sese contulit. Unde post aliquot septimanias Zaslaviam ivit R. pro funere D. Palatini Chiovien. qui sepultus est Februarii 5, anno 1630. Haec Ill.mus T. P. per me voluit scire. Duo omisi, *I-m*, quod schola Schismatistarum penultima die, qua descendere debebamus, misit Juvenem gratulantem Rev.mo, et obtulit Epigrama Polonicum, quem Iuvenem R.mus humaniter acceptum, tractatum et donatum dimisit et multa de Schola ipsorum cum illo contulit. *2-dum*, quod subditi R.mi qui manent circa aedem S. Sophiae in ipso die discessus rogarunt dari sibi Pastorem, nam per totum tempus mansionis R.mi nullus e Popis audebat venire ad illos ad exercenda munera sacerdotalia, etiamsi invitabantur; ibant subditi R.mi etiam ad Monachos Pseudo Metropolitae, responsum est: habetis vestros; quod ubi R.mo significatum est, assignavit unum ex nostris, qui tantisper Parochialia exercebat, et sine ullo impedimento exercebat, quoisque ibi manebamus.

(Fol. 24v: Die 5.IX.1630, Congr. 128).

119.

Ruta, 1 . XII . 1630

Responsum Metropolitae et Episcopi Haliciensis de matrimoniis clandestinis et de decreto in Synodo Kobrynensi promulgato.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 423, 428v.

Eminentissimi et R.mi Domini. Domini Colendissimi.

Frequens vestrarum Eminentiarum de uno eodemque interdum negotio Ruthenam concernente Ecclesiam gravissimis indies occurrentibus difficultibus interpellatio timore nos merito configere deberet, et audaciae ne dicam temeritatis arguere, nisi id ipsum e munere onereque nostro esse videretur. Quare cum paucos ante menses Breve supra constituzione Sacri Concilii Tridentini de Matrimonii Clandestinis³⁸⁴ per Ruthenos Praelatos publicanda ad me pervenisset, simulque difficultates Breve illud concernentes a R.mo Episcopo Haliciensi Eminentissimo et D.no Cardinali Sanctacrucio oblatae sperabam fore ut brevi nobis in illis satisficeret, quidve faciendum esset commonere-

³⁸³ Petrus Mohyla, dein Metropolita Kiovienis non unitus (1633-1647).

³⁸⁴ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrativa*, vol. I, pagina 475-476, nr. 408-409.

mur. Verum cum hucusque nil certi habeam, supplicandum iterum Vestris Eminentissimis censui, quatenus hac animi pendentia eliberemur, quidve hac in parte agendum edoceamus. Difficultates enim per R.m Haliciensem propositae³⁸⁵ tales sunt, quae cuique nostrum, dictum Breve penitus introsipienti, facile occurrere possint, et revera insigne per Sacram Congregationem et S.D.N. requirant moderamen. Et ille quidem rem totam in difficultatibus propositam, illiusque plenam prosecutionem ad me distulisse videtur (quod fortassis tantum in decidendo causat moram). At enim cum mihi quid adderem non occurrat, per praesentes petitum praememoratum, supra difficultatum propositarum resolutione humillime renovo; ne Synodus nostra quadriennalis brevi futura hac scientia defraudetur. Interim me aniversamque Russiam curae et patrocinio DD. Vestrarum Eminentissimarum humillime commendo; quas Deus Ecclesiae suae sacrosanctae et Reipub. Christianae quam diutissime servet incolumes.

Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum humillimus servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.
(Fol. 428v): Rev.mae ac Eminentissimae Congregationi de Propaganda Fide.
(sigil.)

(Die 5 Julii 1631. Congr. 144). (13 Febr. 1632. Congr. 153).

120.

Ruta, 1 . XII . 1630

De titulo archiepiscopali pro Meletio Smotryckyj, de Alumnatibus, et de quodam monacho Constantinopolitano Benedicto.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 73, fol. 60-61v.

Perillustris et R.me Domine, Fr. Observandissime³⁸⁶.

Scriptis prioribus meis ad R.m D. V. literis supervenerunt aliae manus R.mae D.V. ad me scriptae de data 31 Aug. anni currentis, quae mihi tanto gratiores fuerunt, quanto locupletiores in me sui affectus testes. Christus Jesus repleat in bonis sancta D.V. R.mae desideria. Ut vivat et narret opera Domini. Pro autentico de titulis Eminens. DD. Cardinalis maximas ago gratias. Optimo sane illud supervenit tempore cum plane Romanas literas expedirem. Quod attinet ad titulum R.mi Meletii³⁸⁷ ad libitum S. Congregationi relinquendum putarem; utrum scilicet alter illi titulus dandus, vel cum eodem relinquendus; quod fortassis magis consonum videretur; tum quia iam passim ab omnibus hoc nomine (scilicet nuncupatus Archiepiscopus Polocensis) vocatur, tum quia hic cum tali addito titulus nec ipsi odiosus esse possit Ordinario, tum denum quia posset ad aliquem ex nostris vacantem Episcopatum

³⁸⁵ Cfr. *Epistolae Metropolitae Kioviensis Raphaëlis Korsak*, Romae 1956, pag. 78, nr. 23.

³⁸⁶ Meletius Smotryckyj, conversus a Metropolita an. 1627. Primum acerrimus oppugnator Unionis et Ecclesiae Catholicae. Ab anno 1620 Archiepiscopus non unitus Polocensis. Obiit an 1633. Anno 1631 tit. obtinuit in partibus infidelium Archiepiscopi Hieropolitan. Cfr. *Documenta Pontificum*, vol. I, pag. 482, nr. 412.

brevi promoveri. Ut omittam difficultatem huius novi tituli in Curia Rom. tanto tempore examinatam needum absolutam. Faciat D. Vestra R.ma quod sibi in Domino videtur. Novum a D.V. R.ma beneficium mihi occurrit petendum. Suppono D.V. R.mam optime scire quod a fe. mem. Paulo V. Pontifice Maximo. dum essem Romae³⁸⁸, obtinuerim loca pro duobus nostris Ruthenis in omnibus Alumnatibus Pontificiis Europaeis. Nunc mitto authenticum Patrum Pragensium in quibus videntur iam nos proscribere ex Alumnatu Pragensi. Idem quoque timeo in aliis locis, etiamsi actu fere omnia possideamus, Supplico itaque D.V. R.mae ut S.D.N. et S. Congregatio de Propaganda Fide ad conceptum in afflictas res nostras affectum id quoque dignetur adiicere, ut renovet per suum Deeretum hanc S.D.N. gratiam. Alias Operarios nullomodo habere poterimus. In nostro enim Seminario altiora studia, ut Philosophia et Theologia, nonnisi post plures paelegi poterunt annos, ob plurima quae in initiosis (semper gravissimis) facile occurrunt. Illa autem loca semper... Philosophi et Theologi nostri occupabant, cum maximo S. Unionis incremento.

(f. 60v) Ut autem loca illa pro nostris quae hactenus possedimus in Alumnatibus Pontificiis specificem, haec sunt: Vilnae et Brunsbergae (nunc aut Pultoviae) pro 10, licet mihi concessum fuerat pro 12; Pragae 2, Holomutii 2; Viennae 2, novissime Graecii 2³⁸⁹, sed obsecro caute in hoc procedere dignetur, ut si difficile obtinere omnium simul locorum confirmationem, saltem pro nunc confirmentur loca Pragae et Olomutii, in quibus praesens est difficultas. De aliis omnibus, quae actu possidemus, subsileri posset, dummodo non dicatur et decernatur contrarium. Sed hoc ad cordialem D.V.R. in nos affectum remitto.

Anno proximo elapso venerat Chioviam Pseudomonachus quidam, magnae existimationis inter Constatinopolitanos, Benedictus nomine, Archimandrita Constantinopolitanus quasi in transitu; ibat enim in Moschoviam. Hic nullo modo nobiscum conferre volebat, sed tantum cum Catholicis Ritus Latini, etiamsi iidem illum ad nos remitterent. Nunc proxime redditus ex Moschovia Leopoli convenit R.mum nostrum Episcopum Vlodimirensem, qui haec in suis ad me 9 Novembris scriptis addit: Convenit me Leopoli Benedictus ille Archimandrita Constantinopolitanus, de quo facit mentionem R.mus Meletius in quodam suorum librorum, quod haeretice praedicaret Constantinopoli coram Patriarcha de suffragiis pro mortuis; quod fortiter cum execratione negabat ille. Hie mittebatur a Patriarcha cum muneribus in Moschoviam. Atque in redditu Chioviam deseenderat ad suos Pseudo Episcopos. Collegi illum aliquid habere in commissis de Synodo mea cum illis quia est versatus, plus nihil ex illo excerpere potui. Cumque de necessariis quibusdam cum eodem contulisset, discessit Leopoli. Sed de his coram. Haec Ill.mus Vlodimirien. Ego quicquid in posterum ab eodem acciperem scribere non negligam D.V. R.mae, cui me ex corde offero.

Rutae, I Decembris 1630.

Perillustris et R.mae D. V. addictiss. Fr. et Orator
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

(Fol. 61v): Perillustri ac Rev.mo Francisco Ingolo, Secretario S. Congreg.
de Prop. Fide. Fratri observandissimo.

(sigil. et notae)

³⁸⁸ An. 1615-1616, post suam promotionem ad Metropoliam Kioviensem.

³⁸⁹ Gratz in Austria.

121.

Ruta, I . XII . 1630

De Agente Romano et aliis negotiis Metropoliae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 73, vol. 59, 62v.

Perillustris et R.me Domine, Fr. Obser.me.

Cum in omnibus plane gravissimis Ecclesiae meae negotiis cum scitu. D.V. R.mae quantum quidem memini me processisse sciam, tum hoc quoque pro mea cum D.V. R.ma confidentia silentio praetereundum nequaquam putavi. Multi hic Patrem Nicolaum Novacium incusant, quod sibi commissis non seriam navet operam. Immo eundem cum dishonore Nostratium ibidem degere. Ego quoque experientia didici quod literae sive a nobis Romam, sive Roma ad nos scriptae depereant, plures expeditiones pereant, nonnullae implexis ambagibus haereant, pleraeque in manus Schismaticorum abeant; quod sane evidens documentum culpae illius. Quocirea supplico D.V. R.mae ut nos candide pro more suo, et solito in nos candore admonere dignetur, utrum illum expeditat diutius inibi manere, an alias forte in locum eius submittendus. Cum enim haec Agentis missio proprio motu suasunque D.V. R.mae sit instituta, eodem quoque dirigente et ordinante in futura suum sumere progressum debet tempora; a cuius mente ne ad latum quidem, ut aiunt, congitem discedere vellem. Episcopatus Vilnensis adhuc vacat. Quisquis ille pro honore Dei Episcopus futurus, supplico D.V. R.mae ut cum expeditione confirmationis res nostrae Unitorum eidem gravissime commendentur, plurimum enim in utramque poterit partem. De quo optime scit Eminent.mus D. Cardinalis Sanctae Crucis. Reliqua, sive illa concernant Canonisationem S.P.N. Josaphat, sive Coadiutoriam R.mi Haliciensis, sive matrimonia clandestina, sive denique alia quae in re nostra expedienda occurrent, commendare D.V. R.mae non possum, quem sciam in nostra maiori quam dici possit ferri affectu. Secundum quem Deus gloriosus soletur D. V. R.mam iis modis et mediis, quae ad solum summum eius honorem illi soli videbuntur. Interim me D.V. R.mae ex corde offero.

Rutae, 1 Decembris 1630.

Perillustris et R.mae D.V. addictiss. Fr. et Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien.

(Fol. 62v): Perillustri et Rev.mo Domino Francisco Ingolo, Secretario
S. C. de Prop. Fide. Fratri observandissimo. *(sigil. et notae)*

122.

Novogrodek, 1630

Erectio monasterii Monialium unitarum facta a Metropolita Russiae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 443-444.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,
Sanctae et Individuae Trinitatis.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Ego Josephus Velamin Rutski, misericordia divina Archiepiscopus Metropolita Chioviensis, Haliciensis et totius Russiae, significo praesentibus litteris nostris, quod cum volumtate et misericordia Dei Omnipotentis et ardenti desiderio Religionis S. Basilii Magni, Ritus Ruthenici Orientalis, nobiles et Deo dilectae Virgines, et nominatim: Religiosa Christina Barovia, Superior pro tunc illius Congregationis, Catharina Ciarchovia, Sebastiana Chorsacovia, Fides Unichovia³⁹⁰, et cum reliquis aliis in Christo Sororibus, multo ante tempore, conservata virginitate sua aeterno suarum sponsi animarum Christo Salvatori, et hanc piam intentionem ad effectum deducentes, ad perpetuam Dei gloriam, suarum salutis ergo animarum, cum facultate mea Archiepiscopali, penes ecclesiam Collegiatam Sanctorum Martyrum Borisi et Hlebi, in sancto baptisme nuncupatorum Romani et Davidis, degere, et Domino Deo in aeternum servire constituissent, coemissaentque propriis dotalitiis, et ex piorum collectis eleemosinis, domos aliquot civium meorum metropolitanorum in civitate Novogrodensi, in aliquod arcis hucusque manentibus, in particulari penes Collegiatam supradictam ecclesiam Sanctorum Martyrum Borisi et Hlebi, sitam in colle — dicto ad duos Puteos —, prout nomina, et area cum terminis suis, in litteris venditionis dictorum civium in Acta nostra relatis, vel in litteris authenticis possessionis, expressa habentur. Atque ita cum facultate et benedictione nostra Archiepiscopali, Monasterium sibi erexissent. Quod sanctum opus, et monasterium illarum Dominus Deus adiuvet et benedicat.

Quare, ut huius Fundationis et Monasterii illorum securae existant, iustis precibus earundem Sacrarum Virginum inclinati, omnes areas in litteris empotionis expressas, Ego Archiepiscopus cum notitia atque consensu Capituli Collegiae ecclesiae Novogrodensis, illis pro tam pio opere dono, et praesentibus litteris meis inscribo et in perpetuum fundo; et ab omni censu ac onere, utili meo Metropolitanano inserviente, in perpetuum libero, et me liberare profiteor, ad ulteriorem probationem et confirmationem Sanctae Sedis Apostolicae. Hocque illis praesentibus litteris meis confirmo et roboro; atque in hoc supra dictas et illis successuras Virgines Religiosas, in eodem monasterio in Nomine Domini congregatas, — promittens pro me ipso et meis successoribus Metropolitis — certas et securas illas facio, quod illae secure in dicto loco Monasterium erigere possint et valeant, ligno vel muro, secundum suam necessitatem exaedificare. Sed etiam in futurum, si quid amplius illis non addetur, nihil omnino minuendum, illo loco nullo modo movendas, aut ex areis vel parte illarum, ab illis quovis praetextu detrahendum, nullo denique onere aggravandas sub anathemate in Conciliis Sanctorum Patrum expresso.

Hoc dumtaxat addito, quod in dicto Monasterio vivere debeant secundum Regulas Sancti Basilii Magni³⁹¹, sub obedientia mea Metropolitanana, et Successorum meorum, ac in Unione cum S. R. E.

Pro meliori autem fide, et perpetua huius rei memoria, praedictis Venerabilibus Sororibus do praesentes litteras meas, manu mea propria subscrip-

³⁹⁰ Nomina quarundam Monialium Basilianarum, ut videtur ex familiis Nobilium Lithuaniae et Russiae Albae.

³⁹¹ Fortasse secundum easdem *Regulas Communes*, quas Rutskyj etiam Monachis paravit, tamen vitae Monialium accommodatas. Cfr. *supra*, sub nr. 8.

tas, et sigillo meo munitas, pariter subscriptas a Religiosis et Sacerdotibus Capituli Metropolitani Novogrodensis.

Datum Novogrodeci, loco solito residentiae Metropolitanae, Anno 1630, Indictione XIV.

His litteris sigillum impressum, manuum vero subscriptio hisce verbis habetur:

Josephus, Archiepiscopus
Raphael Chorsach, Episcopus Haliciensis, Coadiutor
Metropolitae Chioviensis
Silvester Chotlubay, manu propria
Eustachius Pieschoschi, manu propria
Paulus Tarasievicius
Stephanus Trezcho
Joannes Bricitius, Sacerdos ecclesiae Collegiate Novogrodensis.

123.

Varsavia, 31 . I . 1632

Tenor concordiae et transactionis initiae a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj cum Josepho Mokosij Bakoveckyj, Archimandrita Zydycinensi de successione in Episcopatu Volodimiriensi.

ASV, Sec. *Brev.*, vol. 795, fol. 60-61v.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 58-61.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Praesenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum: Quod Anno a salutifera Nativitate eiusdem D.ni nostri Jesu Christi MDCCXXXII, indictione Romana XV, die vero trigesima mensis Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et D.N.D. URBANI, divina prouidentia Papae VIII, Anno IX. Cum sit, quod Ill.mus et R.mus Pater Josephus Velaminus Rutskij, Chioviae, Haliciae, ac totius Russiae Archiepus, Ordinis S. Basilii, administrationem etiam E.patus Vlodimirien³⁹² ex gratia S. Sedis Apliceae ac Regis assensu habens, ex zelo tum gloriae Dei, tum salutis animarum eidem Ecclesiae Volodimirien. de idoneo Pastore provideri cupiens, apud S. R. Maiestatem promoverit et obtinuerit nominationem in personam Adm. R. Patris Josephi Mokosiej Bakowiecki³⁹³, eiusdem Religionis professi Archimandritae ac de Ecclesia Dei benemeriti, nec tamen ex causis urgentissimis possit ipsemet Archiepus libere omnino, et in continuo eiusdem Ecclesiae administrationem dimittere.

Hinc propterea ad quarundam Conventionum tractatum iidem R.mus Archiepus et praedictus Archimandrita, salvo tamen et reservato semper S. Sedis Apliceae beneplacito et assensu, devenientes, invicem et vicissim mutua concordia, et reciprocis conditionibus, tractationem quandam inter se pro-

³⁹² Post obitum Joachimi Morochovskij (1613-1631).

³⁹³ Postea Episcopus Volodimiriensis (1632-1650).

pria manu subscriptam, mihi Notario traditam ad effectum in praesenti Instrumento inserendi, tenoris inferius registratam inierunt, per Sedem Aplicam confirmandam et approbandam, et non alias, aliter, nec alio modo, in qua inter caetera pensio sexcentorum florenorum per antea etiam a Sede Aplica pro sustentatione Metropolitae Sedis, stante illius redditum tenuitatem, ac variis gravibusque oneribus, ex fructibus eiusdem E.patus Volodimirien. pendit et solvi solita, ut ipsi asseruerunt, constituit et designat.

Cupiens dictus Ill.mus Archiepus quam primum harum conventionum, sive potius tractatus et conditionum, unanimisque concordiae a Sede Aplica confirmationem habere, illique, ut par est, assentiendo praedictus Adm. R. Archimandrita, suo Generali Procuratori Ecclesiae Ruthenicae Unitae ad hoc etiam speciale negotium, quatenus generale illud mandatum non sufficeret, speciale mandatum tradere decreverunt. Ideo praenominati Ill.mus P. Joseph Archiepus et adm R. P. Archimandrita, in mei Notarii publici testiumque infrascriptorum ad id specialiter vocatorum, et rogatorum praesentia, praesentes personaliter constituti sponte etc. omni etc. fecerunt, crearunt, et constituerunt, ac faciunt, creant, et constituunt, ac quilibet ipsorum in solido constituit, facit, et solemniter creat suum speciale et particularem Plenipotentem, sive Procuratorem R.m. Patrem Nicolaum Novatium³⁹⁴, eiusdem Ordinis Professum, eiusdemque Ecclesiae Ruthenae Unitae Generalem Procuratorem, Romae degentem, absentem etc. Ad ipsorum et cuiuslibet eorum nomine, et nominibus, et pro eis et eorum quodlibet a Sanctissimo D. N. Papa, seu quocumque alio ad id potestatem et authoritatem habente praedictum beneplacitum et assensum applicum, omni qua decet reverentia, impetrandum et obtinendum, et obtentum expediendum, expedirique faciendum et curandum, nec non quoscunque consensum et consensus idecirco necessarios et opportunos ac requisitos, nomine ipsum et cuiuslibet eorum constituentium, praestandum, omnibus et singulis capitalis et punctis in dicto tractatu concordiac, et conditionum sic, ut supra insertis, et contentis, nec non omnia alia et singula faciendum, gerendum et pertractandum, necessaria a quomodolibet, et opportuna in praemissis, et circa praemissa, et quodlibet eorum etiam si mandatum respicerent magis speciale, quam praesentibus est expressum. Item quaecunque iuramenta super praemissis necessaria et opportuna, in animam ipsorum et cuiuslibet eorum constituentium praestandum, et subeundum. Dantesque eidem Procuratori, ut supra constituto, omnimodam authoritatem, et facultatem praemissa agendi, et exequendi, quae ipsimet Constituentes, seu quilibet eorum peragere et exequi potuissent, seu potuisset, si praesentibus interesset seu interessent; Promittentes habere ratum, gratum et firmum et medio iuramento, tactis pectoribus etc.

Tenor vero dictae concordiae, de qua est mentio, sequitur et est talis verbaliter:

Facta est transactio inter me Josephum Velaminum Rutski, Archiepum Chioviae et Haliciae, nec non totius Russiae ab una, et me Josephum Mokosieij Bakowiecki, Archimandritam Zydicinen. ab altera parte. Quo ego Metropolita, habens mihi collatam administrationem E.patus Volodimirien, post decepsum R.mi Joachimi Morochowski, E.pi Volodimirien. vacantis ad gratiam Suae Maiestatis, nolens duplex beneficium simul tenere, imo volens, ut

³⁹⁴ Procurator generalis in Urbe (1626-1633).

ad hunc E.patum promoveatur a Sua M.te persona digna, de medio fratrum meorum, iudicans esse dignum R.ndum Patrem Josephum Mokosieij Bakowiecki, Archimandritam Zydycinensem, benemeritum de Ecclesia Dei, et Curia Regiae M.tis, ipsum hac occasione apud Suam M.tem promovi, prout Sua M.tas Regia notam sibi habens ipsius aptitudinem, et merita, privilegium presentationis ad hunc E.patum conferre ipsi dignata est; quo supposito ipse pro Ep.atu et non aliis a me consecrari et institui debet. Ratione tamen administrationis mihi debitae dicti E.patus, unanimiter conditiones infra notatae utrinque proposuimus et acceptavimus:

In primis, ego Metropolita manifestum facio, quod dictam administrationem mihi ad gratiam Regiam collatam non volo nec debo ultra extendere, quod a data privilegii Sac. M.tis mihi pro hac administratione dati ad trienium, quod ita clare intelligi debet, quod possessio mea dicti E.patus ratione administrationis terminari debet in Anno, Deo favente, venturo 1634, Dominicæ Conductus Paschæ, stylo veteri; quo tempore et die initium debet sumere possessio huius E.patus in bona et redditus ipsius, quae per me fieri debet praefato Admodum R.do Archimandritæ Zydicinae, tanquam E.po Volodimirien, a Sa. M.te nunc praesentato. Interim autem quoad expirationem huius administrationis meae, modo suprascripto, R.ndus D.nus Archimandrita Archimandritam Zydicinae, cum bonis et redditibus, ad eam pertinentes, tenere et possidere debet. Pro qua Archimandritia, etiamsi privilegium Sac. Reg. Maiestatis in personam Pachomii Oranski nunc obtentum est, possessionem tamen huius Archimandritiae dictus Pater adire nec in Archimandritam consecrari debet, usque ad translationem praesentis Archimandritæ ad E.patum Volodimirien, modo suprascripto. Cavemus etiam hoc nobis invicem, quod bona et redditus tam E.patus Volodimirien, ego Metropolita intra hoc tempus administrationis meae, quam Archimandritiae meae ego Archimandrita nullis contractibus, vel inscriptionibus onerare, vel per modum arendae ulli concedere debemus, ultra hoc tempus Dominicæ Conductus Paschæ anni 1634 supra definitum, ita ut bona et omnes redditus liberi, et ab omnibus oneribus immunes in utroque horum beneficiorum successoribus maneant; exceptis in E.patu Volodimirien, arendae villaæ Quassova et villa Tyszkowicz Polupanszczina. Nobili Domino Adamo Kisiel³⁹⁵ per me Metropolitam ad triennium concessae. Itemque arendae villaæ Grodek similiter ad triennium Nobili Domino Joanni Zalenski, Judici terrestri Volodimirien. In Archimandritia vero Zydicinae arenda villaæ Onielamk (?) nobili Domino Alberto Staniszewski, Judici terrestri Luceorien, in annos sex, qui hoc tenere debent secundum inscriptiones a nobis factas. Quod autem attinet ad villam Dorohinice, uterque nostrum constituere arendare debemus cum D.no Romanozowski. Hoc etiam ego Archimandrita Rd.mo D. Metropolitae caveo, quod pensionem in dicto E.patu Volodimirien, sexcentos florenos polonicos annuatim R.mo Raphaeli Korsak E.po Halicien., Coadiutori Metropolitæ Chiovien. post apprehensam possessionem huius E.patus pendere tenebor ad vitae meae tempora. Has omnes conditiones supranominatas utraque pars nostrum implere et ipsis in omnibus satisfacere debemus, et tenebimur sub verbo sacerdotali.

Quocirca hanc Concordiam nostram maioris firmitatis causa, nos uterque

³⁹⁵ Adamus Kysil, Nobilis ruthenus, qui dein mediator fuit inter polonos et ucrainos in bello polono-cosatico (1648-1656), temporibus Bohdani Chmelnyckyj.

tam apud Acta Ill.mi D.ni Nuncii Ap.lici pro nunc apud S. R. M. residentis, quam apud Acta Cancellariae Maioris Regni personali recognitione nostra firmamus. Quod si alterutra partium nostrarum non satisfecerit euicunque conditioni supradescriptae, forum nobis assignamus et acceptamus coram Ill.mo ac R.mo D.no Nuncio Sedis Ap.licae praesenti et pro tunc existenti pro prima citatione termino peremptorio comparere, respondere, et huius concordiae nostrae in omnibus conditionibus, et in singulis illarum, prout supra, satisfaere tenebimus, praecisis omnibus contradictionibus, exceptionibus, dilationibus, appellationibus, toties quoties necessitas occurret.

In cuius rei fidem praesentes manibus propriis subscrispsimus.

Josephus Velamin Rutski, Metropolita Chiovien, totiusque Russiae, salvo et reservato in omnibus beneplacito Sedis Ap.licae.

Josephus Mokosieij Bakowiecki, Archimandrita Zydicensen., praedictis conventionibus me subiicio, salvo, reservato beneplacito S. Sedis ap.licae, subscripsi manu propria.

Super quibus omnibus et singulis praemissis, petitum fuit a me Notario infrascripto, ut unum vel plura publicum seu publica Instrumentum et Instrumenta traderem atque conficerem, prout fuerit et requisitus ero.

Actum Varsaviae in domo lignea Ill.mi D. Leonis Sapieha, Palatini Vilnen. ibidem praesentibus, audientibus et intelligentibus, Fratre Josaphat Makowicz Ordinis S. Basilii Monasterii Vilnen... et Fratre Benedicto Bakowiecki, eiusdem Ordinis Conventus Zydicensen. Joannis filio, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Et quia ego Alexander Bernabeus, clericus Pharensis in Sabina, publicus ap.licia auctoritate notarius et in Archivio Romanae Curiae descriptus, et ad praesens Ill.mi D. Nuncii Ap.lici Curiae Cancellarius, de praemissa rogatus, ideo praesens Instrumentum (licet aliena manu, mihi fida, conscriptum) subscripsi et publicavi, meumque signum, quo in talibus utor, apposui requisitus.

Nos Comes Honoratus Vicecomes, Archiepus Larissenus in Regnis Poloniae Nuncius Ap.licius³⁹⁶. Universis et singulis praesens Instrumentum visuris et lecturis, aut audituris notum facimus, et attestamur, praedictum Alexandrum Barnabeum esse verum, publicum, legalem, et authenticum Notarium, ac Curiae nostrae Causarum Cancellarium, eiusque scriptis semper adhibitam et adhiberi debere fidem.

In quorum... Datum Varsaviae ultima Januarii 1632.

(L.S.) Hon. Archiepus Larissenus, Nuncius Apst. m. pp.

V. B. Rinaldus, Secretarius.

124.

Varsavia, I . II . 1632

De villa Torokanie eiusque applicatione pro Seminario.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 57rv.

Emin.mi ac Rev.mi Domini, Antistites Sac. Congr. de Prop.
Fide. Domini Colend.mi.

³⁹⁶ Honoratus Visconti, Nuntius Varsaviensis (1630-1635).

Villa Torocanii³⁹⁷, ab antiquo pertinens ad Archimandritiam Zydiciensem, applicata est Seminario Ruthenorum, ubique illud constitueretur, et Privilegium Regium obtentum est, confirmans hanc applicationem, procurante Antecessore meo, Metropolita Hypatio³⁹⁸, ultra quam a triginta annis; erat pro tune Archimandrita Zydicien. Gedeon Balaban³⁹⁹, Schismaticus, qui ab Episcopo unito, suo Ordinario, de inobedientia iudicatus, et hac Archimandritia privatus est. Et quia viventi illi monasterium hoc auferri non potuit, eo quod armis potenter se defenderet, et excommunicationes, imo etiam benedictionem Regis nihil curaret; habuit etiam Magnates schismaticos, qui illum defendebant. Mansit id Monasterium cum redditibus suis, qui sunt in Volynia, penes ipsum ad vitae ipsius tempora; sola haec villa possidebatur titulo Metropoliae; et licet Schismaticus ille iure agere usque ad mortem non cessaret, nihil tamen lucratus est. Mortuo illo, successit in Archimandritam unitus Nicodemus Szybinski, qui peculiare chyrographum dedit consensus sui in abstractionem dictae villae a suo Monasterio, et applicationem Seminario Rutheno. Post decesum ipsius data est haec Archimandritia Josepho Bakowieki, qui similiter consensum suum in scriptis dedit, prout prior. Interim illa Villa erat sub patrocinio Metropolitae, et reditus illius applicati erant pro Monasterio Vilnen. Unitorum, quia aliud Seminarium non erat; ibi autem juvenes Religiosi instituebantur in studiis tam inferioribus, quam altioribus, et possidebatur pacifice per totum hoc tempus; sola confirmatio Sedis Apostolicae deerat, quam (f. 57v) non procurabat Antecessor meus, nec ego, quia Seminarium nondum erectum est; nunc quia erigitur, et hoc anno, Deo favente, initium fiet, hanc confirmationem ad intercessionem Eminentissimarum Reverendissimarum Dominationum Vestrarum a sua Sanctitate, Domino Nostro Clementissimo, ut obtineat Seminarium Minscense etiam atque etiam rogo. Quod reliquum est Eminentissimas ac Reverendissimas Dominationes Vestrarum Deus Opt. Max. Ecclesiae suaee Sanctae et Reip. Christianae in annos plurimos servet incolumes.

Varsaviae, Februarii 1, 1632.

Eminentissimarum et R.rum Dominationum Vestrarum

humillimus Servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totius Russiae.

125.

Varsavia, I . II . 1632

De bonis Ruthenorum in possessione Unitorum declarandis.

APF, Scritt. rif. n. Congreg. gen., vol. 58, fol. 61, 66v.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, Antistites S. Congr. de Prop.

Fide, Domini Colendissimi.

Magnates Catholicos Ritus Latini, qui possident bona Ecclesiae Ruthenae,

³⁹⁷ Positio huius villae remansit incerta usque ad nostra tempora. Saec. XVIII per breve tempus erat sedes Protoarchimanditarum Ordinis Basiliani.

³⁹⁸ Hypatius Potij (1600-1613).

³⁹⁹ Gedeon Balaban, Episcopus Leopoliensis (1568-1607). Hic primum Unioni Ecclesiarum nomen dedit, sed sub influxu Ducis Ostrožskyj consensum suum retractavit et devenit inimicus Unionis Berestensis.

quando rogamus ut restituant illa bona, respondere solent, illa esse fundata pro Schismaticis, non pro Unitis; quam obiectionem docuit illos Suffraganeus quidam Ritus Latini, qui ante duos menses vita functus est. Et de facto persuasit quibusdam ut bona illa applicarentur ecclesiae latinis, quas habent in bonis suis. Hoc modo etiam haec bona, quae pro nunc pacifice possidemus, auferre nobis possent, dicendo haec bona olim tenuisse Schismaticos. Rogamus ut Em.mae ac Rev.mae Dominationes Vestrae declarare id dignentur peculiari suo decreto vel scripto: Ad omnia bona ecclesiastica Schismaticorum habere ius Ruthenos unitos, et illos qui haec bona tenent, quae olim tenebant Schismatici Ecclesiastici, teneri in conscientia restituere Unitis. Deus Opt. Max. Em.mas ac Rev.mas Dominationes Vestras Ecclesiae suae Sanctae ac Reipublicae Christianae diutissime servet incolumes.

Varsaviae 1632, Mense Febr. die 1.

Em.marum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus Servitor
Josephus Velamin Rutschi Metropolita Chioviensis.

(fol. 66v): Eminentissimis ac Reverendissimis Dominis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Amplissimis. Sae Congr. de Prop. Fide Antistitibus. Dominis Colendissimis. (*sigil. et notae Secretarii*)

126.

Varsavia, I . II . 1632

De testamento Gymnasiarchae Volodimiriensis et de applicatione eius bonorum.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 62, 65v.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, Antistites S. Cong. de Prop.
Fide. Domini Colendissimi.

Theodorus Mieleszkowicz, Gymnasiarcha Vlodimiriensis, constitutus in infirmitate condidit testamentum. Convaluit ex illa infirmitate et vixit sex annos; interim evocatus est ad Episcopatum Chelmensem⁴⁰⁰, tenuit bona huius Episcopatus ante consecrationem, uno plus minus anno, postea consecratus est in Episcopum, et post consecrationem uno quadrante horae mortuus est; in scrinio ipsius inventi sunt ducenti Ungarici et pauca pro usu quotidiano moneta. Ungaricos applicavi Seminario, moneta solvi famulis, residuum converti in funus. Et quia nollebam expensas facere ex Ungaricis, moneta etiam deerat, nihil datum est Monachis in quorum Monasterio est sepultus; quia tamen mihi subsunt illi Monachi, fecerunt quod obedientes Religiosi iubente suo Praelato facere solent. Aliquot mensibus post adfertur mihi testamentum illius ante tot annos scriptum; ex quo cognoso illum existimasse quod in illo quo fungebatur officio, existens Vlodimiriae, mori debebat et sepeliri in ecclesia illa, pro qua et ministris eius assignavit distribuenda duo millia florinorum, itemque pro amicis sanguine sibi iunctis; et ego iam amplius illos Ungaricos in manibus non habui, quia iam ad aliam summam quae collige-

⁴⁰⁰ Theodorus Melesko (Ep. Clemensis, 1626). Statim post consecrationem obiit.

batur, pro Seminario tradidi. Ita ergo processi: inquisivi mentem Testatoris et inveni fuisse talem: propterea illum legasse hoc peculum suum ecclesiae Vlodomirien et ministris eius, quia se moritum et sepeliendum ibi; nunc quia alibi mortuus est et sepultus, rationabile videtur et ad mentem ipsius, ut haec legatio transferretur ad ecclesiam in qua sepultus est; cum consensu autem huius ecclesiae Seminario erigendo, ad quod ipse singularem affectum habuit. Consanguineos vero contentos reddidi aliunde prospicio ipso aequivalens. Item in testamento dicuntur esse duo millia florenorum, penes ipsum autem ducenti ungarici solum inventi sunt et quinquaginta circiter floreni de moneta. Non poterat id dividii secundum testamentum, in quo pro sola campana ad ecclesiam Vladimiriensem scripti sunt octigenti floreni polonici. Et quia in eodem testamento facta est distributio librorum, residuum autem pro schola Vladimiriensi, quam ipse tunc temporis regebat, libros ad Grammaticam et scholas triviales pertinentes, dedi pro hac schola Episcopatus Vladimiriensis, quae pro tempore erat. Reliquos qui erant theologici, philosophici etc. designavi pro futuro Seminario Ruthenico, qui tamen adhuc sunt in manibus non distracti. Supplico igitur Em.mas ac Rev.mas Dominationes Vestras, ut intercedentibus ipsis obtineam ratificationem huius ordinationis meae a Sua Sanctitate, Domino Nostro Clementissimo. Deus O. M. Em.mas ac Rev.mas Dominationes Vestras Ecclesiae suae Sanctae ac Reipublicae Christianae diutissime conservet incolumes.

Varsaviae, Febr. 1, 1632.

Em.marum ac Rev.marum D. Vestrarum humillimus Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque
Russiae.

(fol. 65v): Em.mis ac Rev.mis Dominis S. R. E. Cardinalibus Amplissimis.
S. Congr. de Prop. Fide Antistitibus. Dominis Colendissimis. (*sigil. et notae*)

127.

Varsavia, I . II . 1632

De missione Basiliyanorum in partes Hungariae.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 63, 64v.

Eminentissimi ac Rev.mi Domini, Antistites. Sae Cong. de Prop.
Fide. Domini Colendissimi.

Scriptum est mihi ab Em.mis ac Rev.mis D. Vestr, ut mittam Monachos unitos in partes Ungariae, quae sunt sub Turcis; et ut eos dirigam ad Dominum Simonem Matheicovic in Albam Graecam. Parati sumus, sicut in omnibus aliis, ita et in hoc S. Cong. de Prop. Fide morem gerere, modo hoc petimus, ut ille Dominus Simon scribat ad me litteras, informando me, quando et quo mittere eos debeam. Causa huius petitionis meae est ista, quod ibi bellis miscentur omnia; an ergo oportunum est modo mittere illos an vero expectandum tempus beneplaciti Divini, hoc nos scire non possumus, propterea informari petimus. Propterea oportet, ut idem dictus Dominus suscipiat illos in patrocinium suum, et prospiciat illis de levi licet, tamen congrua provisione ipsorum, quia apud Schismaticos nihil parati invenient, nisi postquam possederint

animas illorum. Meum est ista sugerere Em.mis ac Rev.mis D. V., ipsarum autem ordinare et praecipere. Deus O. M. Em.mas ac Rev.mas D. Vestras Ecclesiae suae Sanctae et Reipublicae Christianae in annos plurimos servet incolumes.

Varsaviae, 1632, die 1 Febr.

Em.marum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus Servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(fol. 64v): Em.mis ac Rev.mis Dominis Romanae Ecclesiae Cardinalibus Amplissimis. Sacrae Cong. de Prop. Fide Antistitibus. Dominis Colendissimis. (*sigil. et notae*)

128.

Varsavia, I . II . 1632

De miraculo Kiovieni.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 67, 77v.

Eminentissimi ac R.mi D.ni, Antistites

S. Congr. de Prop. Fide. Domini Colendissimi.

Scriptum est mihi ab Eminentissimis ac R.mis Dominationibus Vestris anno superiori de verificatione miraculi quod contigit Chioviae⁴⁰¹ in confirmationem fidei catholicae, cuius meminit Rd.mus Meletius noster, in suo contra Schismaticos edito libro, qui vocatur Exethesis⁴⁰². Feci qua potui facere diligentia inquirendo veritatem huius miraculi. Scripsi igitur ad eundem Rd.mum Meletium, unde nam hoc haberet, et ut plures testes fide dignos quibus id notum esset conquerireret; scripsit ipse et hoc ipsum autographum manu ipsius polonico idiomate scriptum mitto et simul versionem latinam. Ut autem aequiramus testes de misu, praesertim, qui deponant cum iuramento, ferme impossibile est, quia qui fuerunt in illa ecclesia, in qua contigit hoc miraculum, omnes erant Schismatici neque ullo modo ad hoc praestandum inducerentur. Non occurrit de hac materia quod amplius R.mis et Eminentissimis Dominationibus Vestris scribam. Deus Opt. Max. Ecclesiae suae S. et Reipublicae Christianae in annos plurimos servet incolumes.

Datum Varsaviae, 1632, Mense Februarii die 1.

Eminentissimarum ac R.marum Dominationum Vestrarum humillimus Servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviens. totiusque Russiae.

(fol. 77v): Em.mis ac Rev.mis Dominis, Dominis S. R. E. Cardinalibus Amplissimis. S. C. de Prop. Fide Antistitibus. Dominis Col.mis. (*sigil. et notae*)

⁴⁰¹ Agitur de concione Meletii Smotryckyj, qua durante puer quidam exclamavit in Ecclesia Catholica esse veritatem.

⁴⁰² *Exethesis vel expostulatio*, in lucem prodiit a. 1629. Cfr. S. S. SABOL, *De Meletio Smotryckyj - Polemista anticatholico*, Romae 1951.

129.

*Varsavia, I . II . 1632**De missione Unitorum apud Uscocos.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 69, 76v.

Eminentissimi ac Rd.mi D.mi, Antistites Sacrae Congr. de Prop.
Fide. Domini Colendissimi.

Decreta fuit ab Eminentissimis ac R.mis D. Vestris missio in Bosnam ad Valachos, alias Vscocos; misi eo unum e Patribus Ordinis nostri S. Basilii, P. Methodium⁴⁰³, qui fuit apud illos populos, vidi quid facto opus esset ad conversionem illorum, et invenit bonam dispositionem in ipsis, licet asperior in ipsum fuerit Episcopus illorum; quia omnia retulit ipse Suae Sanctitati et Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, dum obiret limina Apostolorum et renovaret obedientiam Suae Sanctitati nomine meo; ubi et benignissime acceptus est, et supra omne meritum plusquam paterne tractatus, pro quo maximas Eminentissimis ac Rev.mis Dominationibus Vestris et per ipsas Suae Sanctitati, Domino Nostro Clementissimo, agimus gratias, ibidemque instructio ipsi data. Postquam venit Viennam et responsum retulit, quod velit Sua Maiestas totam se impendere in hoc salutare negotium, et Monasteriolum pro nobis aedificare, et Seminarium ibidem erigere, applicando illis certos redditus. Insuper ad Regem nostrum dedit literas, ut quando maturescet opus huius missionis in illis partibus, et signifieabitur id a Sua Caesarea Maiestate, Serenissimus Rex noster iuvet Personas ituras ad hanc missionem, quae deputabuntur a Superioribus. Interea temporis moritur Episcopus illorum Vscocorum, ferme decrepitus; offert se alius Caesareae Sanctitati, natione Valachus, ut hic apud nos datur, illi confertur Episcopatus, et sic missio illa ferme evanuit. Rursum ista scribo ut S. Cong. intelligat nos non defuisse ex parte nostra quominus ad effectum deduceretur hoc sanctum propositum S. Congregationis. Deus Opt. Max. Eminentissimas ac Rd.mas Dominationes Vestras Ecclesiae sua et Reipublicae Christianae in annos plurimos servet incolumes.

Varsaviae, 1632, die 1 Febr.

Eminentissimarum ac R.marum Dominationum Vestrarum
humillimus Cliens

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque
Russiae.

(fol. 76v): Em.mis ac Rev.mis Dominis, Dominis S. R. E. Cardinalibus
Amplissimis, S. C. de Prop. Fide Antistitibus, Dominis Col.mis. (*sigil. et notae*)

130.

*Varsavia, 3 . III . 1632**De administratione Volodimiriensi, de modo scribendi Romam et aliis negotiis
quamplurimis.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 29-30v.Rd.me D.ne, Fr. Observandissime⁴⁰⁴.⁴⁰³ Methodius Terleckyj, dein Episcopus Chelmensis (1629-1649).⁴⁰⁴ Franciseus Ingoli, Secretarius S. C. de Prop. Fide (1622-1648).

Gavisus sum lectis literis Rd.mae D. Vestrae. Confirmarunt me etiam in opinione mea de retinenda administratione Episcopatus Vlodimiriensis, quae erat cum formidine appositi. Et nunquam mihi plene satifacere potui, ut tutus essem in conscientia, licet plerique, ne dicam omnes, cogerent me pene ad id tentandum. Ed quidem si citius istae literae mihi redditae fuissent, triennio dictam administrationem non circumscriptissem, prout circumscripti coram Ill.mo Nuntio Apostolico et coram Ill.mo Cacellario Regni⁴⁰⁵; eius transactionis confectum Instrumentum misi ad S. Cong. de Prop. Fide, quod forte iam pervenit; viz etiam status praesens Regni nostri patiebatur ulteriore administrationem. Spero, Deo propitio, hunc redditum triennalem facturum, si non omnia illa quae percenset Rd.ma Dominatio Vestra, saltem aliqua illorum, vel omnia, licet imperfecta. In Annatis nescio quas difficultates Curia Regis texere videtur. Dux ipsos Latinos habere Annum Gratiae, sit talis apud Ruthenos. Dux Episcopos latinos solvere primam Annatam Curiae Romanae, solvatur ista Metropolitae, qui tenebitur has duas residentias fundare, et census illarum augere auctis successive Annatis. Respondit S.mus Rex non esse necessarias istas residentias, et Episcopatus Ruthenos esse tenues. Ante videbatur Rex id concedere, nunc nescio qua re durior factus est. Si vellet Cancellarius Regni perficeretur facile, ut arbitror, cur non vellit ipse et alii iudicare non audeo. Hoc unicum scio, dum hoc impediunt magnum bonum Ecclesiae impedire. Tale medium mihi occurrit, quod antequam S. Cong. proponam, R.mae Dominationi Vestrae propono, ut scilicet Sua Sanctitas assentiatur, si ego, vel, me decedente, Successor (f. 29v) meus teneat hunc Annum Gratiae cum hoc onere. Etiamsi Sua Sanitas non exprimat hunc suum assensum, nisi vivae vocis oraculo, quo obtento sine ulla turbatione Regis vel Officiarium Regni possumus tenere hunc Annum et nullus quicquam dicet et conscientia iam erit libera, dum sciemus consentire Suam Sanctitatem. Si id videbitur Rd.mae D. Vestrae, proponat ipsa Suae Sanctitati et impetrat consensum, ne eat in publicum.

Quod meas literas ad S. Cong.nem intermittam gratias ago maximas pro hac admonitione, faciam libenter. Quod etiam feci ante octiduum, ante acceptas a Rd.ma D. Vestra; tunc enim forte septenas scripsi literas in diversis negotiis ad S. Congr. Causa porro intermissionis erat ista: volebam prius coram alloqui Ill.mum Nuntium, antequam, quicquam scribebam Romam. Insinuavit enim mihi id Pater Nicolaus noster, ut de quolibet negotio prius agerem cum Ill.mo Nuntio, antequam scribebam. Adventum porro meum ad ipsum teto hoc anno impedivit infirmitas oculorum meorum, quae valde videtur invaluisse. Item impedivit pestis quae grassabatur Varsaviae, propter quam facultas communicationis cum Ill.mo denegabatur, et propterea literae Romam non mittebantur. Ista scripseram Brestae, ubi nunc fui, quando literae Rd.mae Dominationis Vestrae redditae mihi sunt; unde redii Varsaviam propter fastidiosam litem cum uno ex Magnatibus Lituaniae, Chotchevicio, de monasterio nostro Suprasliensi, ubi multa bona fieri possent: habent enim ad quatuor millia florenorum in reditu, ubi sunt Monachi pauci iisque idiotae, maiori ex parte tenebat dictus Nobilis sub titulo iuris Patronatus; quod Monasterium totum, Dei auxilio, lucratus fuisset, si ad iudicium Regium venisset, propter quod expectavi sex septimanis et expendi mille ducentos florenos. Actio ta-

⁴⁰⁵ Jacobus Zadzik (1629-1633).

men iudicata non est propter adversam valeditudinem Serenissimi Regis nostri, qui tamen commendavit hanc causam Senatoribus et tunc residentibus in Curia, qui sedulo laborarunt, sed dispositionem tantum fecerunt. Ill. mus Nuntius Apostolicus finem huic operi imposuit, habendo rationem iniquitatis temporum, in quam hoc praesertim anno incidimus; spero tamen successu temporis aliquod notabile commodum Ecclesiae Dei ex isto Monasterio. Legi literas Rnd.mae Dominationis Vestrae ad Reverendissimum Coadiutorem meum, in quibus scribit de progressu Canonisationis vel Beatificationis (f. 30) Servi Dei Josaphat. Vehementer gavisus sum; utinam audiamus finem huius negotii. Quidquid interim potero conquirere pecuniae mittam, quamvis vix puto possibile propterea quia pro festo S. Joannis debeo solvere quatuordecim millia florenorum et quingentos, etiam data sunt undecim millia, prout scripsi superioribus literis. Literas distinctas ad Sacram Congregationem scribere non possum propter magnam caritatem Postae. Ecce fasciculus superioribus diebus missus constitut novemdecim florenis; nunquam fuit talis caritas, unde proveiat nescio. Interim me solitae gratiae Rnd.mae Dominationis Vestrae etiam atque etiam commendo.

Datae Varsaviae, 3 Martii, Anno 1632.

Non miretur quod alia manus finiverit epistolam, quia ille qui incepit discessit Bresta Vladimiriā, propter expensas Varsaviae.

Ad P. Nicolaum⁴⁰⁶ nihil modo occurrit scribendum, nisi ne Fratrum literas facile transmittat in suo fasciculo, dum ad me scribit. Magni enim constat Posta et quandoque ab ipsis non necessaria scribuntur.

Ad Ill.mum Palatinum Vilnensem reliquo hic literas, petens subsidium promissum centum zechinorum pro Canonizatione Servi Dei Josaphat, quos si dabit, per Ill.mum Nuntium Poloniae transmittentur ad manus Rnd.mae Dominationis Vestrae.

Vestrae Dominationis Rev.mae addictissimus Fr. et Servitor Josephus Velamin Rutschī, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

(fol. 30v.): Perillustri ac Rev.mo Domino Francisco Ingoli, Secretario S. Congreg. de Propaganda Fide. Domino et Fratri observandissimo. (*notae*)

131.

Varsavia, 5 . VII . 1632

De oppressione Unitorum in Comitiis electionis Regni Poloniae.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 75, fol. 373v.

(PS. ad litteras R. Korsak ad Seer. SCPF Ingoli)⁴⁰⁷

Varsavia, 5 Julii 1632.

Certus sum quod provisio facta Patri Nicolao, Agenti meo, procurata sit a Rev.ma D. V. quoearcta infinitas eidem ago gratias. Deus Opt. Max. retribuat, ego certo nihil invenio pro tot gratiis Perillustris ac Rev.mae D. V., ut aequi-

⁴⁰⁶ Nicolaus Novak, Procurator in Urbe (1626-1633).

⁴⁰⁷ Post scriptum ad litteras Raphaëlis Korsak. Cfr. vol. II, *Epistolarum Metropolitarum Kiovienorum Catholicorum*, Romae 1956.

valenter rependam. In praesentibus Regni Comitiis sumus in torturis a Schismaticis, qui magna prudentia oppugnant nos, immo conantur auferre nobis omnibus Episcopis unitis omnes fundationes nostras. Cosacorum stant in armis 30 millia, qui suos nuntios miserunt hic petentes cum tali resolutione: si non obtinebunt rogando se sibi provisuros. Dicere non audeo Rev.mae D. V. quae ista occultare sciet dicta. Paucissimi sunt, non audeo dicere nulli, qui nos iuvent, et si iuvant aliqui, Senatores catholici iuvant. In nobis 4 Episcopis, qui hic adsumus, ista resolutio tollet omnia. Animas nostras integras offeramus Deo. Cras instat... nostram apud Serenissimum Principem Poloniae Vladislaum, eum quem omnes expectant Regem.

Plura scribam postea. Non moerens sed gaudens. Deus seit quod non metimur, quod dolce mihi erit pro nomine Christi mei exilium pati, quam ut quid concedam ipsis quod sit contra Sedem Apostolicam vel in minimo neque demum in vim ratihabitionis.

Perillustris ac Rev.me D. V. addictissimus Servitor
Josephus Archiepiscopus.

Reverendissimus Episcopus Armenus⁴⁰⁸, qui manet in Regno Poloniae, conversus ad fidem catholicam proficiscat ad Suam Sanctitatem, ut reddit Pastorii Suo debitam obedientiam; quem ergo iuvare dignetur ipsum. Non est ex his Armenis, ut mihi videtur, qui aliquando decipiebant Sedem Apostolicam ficta obedientia, nec vero potest hoc facere in Regno Poloniae; quidquid dicit debet opere praestare, alioqui scit ipse, si fidem non servabit, contemnetur ab omnibus.

(In eadem pagina etiam adnotationes Cong. Prop. Fide)

132.

Varsavia, 18 . VII . 1632

De causa Unionis in Comitiis electionis Regni Poloniae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 72-73v.

Perillustris et Rev.me Domine. Domine et Frater observandissime.

Talis est constitutio Regni Poloniae, ut sub Interregnum⁴⁰⁹, omnes male contenti, errores Regnorum priorum, prouti ipsi vocant, corrigant, condendo novas leges et proponendo eas futuro Regi ad confirmandum. Quod nisi quis impedit, impedire autem non potest, si debilis est, multa peccata in Deum et proximum committuntur. Schismatici aggressi sunt evertere Unionem, hanc qui defendat non est. Venimus huc quattuor Episcopi, sed vocem non habemus, quia nec Senatores sumus nec Nuncii terrestres, qui soli habent suffragia in Comitiis Regni. Convocationis partem finivimus non sine damno nostro, sed maiora pericula imminent in Electione. Obsecro scribantur litterae Apostolicae ad Archiepiscopum Gnesnensem, ut personaliter defendat nos et alios

⁴⁰⁸ Nicolaus Torosowicz (1626-1681). Cfr. G. PETROWICZ, *L'Unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede*, Romae 1950.

⁴⁰⁹ Post obitum Sigismundi III (1587-1632). Reges in Polonia tunc temporis eligebantur in Comitiis electionis totius Regni. Reges noviter electi « *Pacta Conventa* » revisa iuramento confirmabant.

Episcopos Senatores ad id inducat. Ad saeculares vero ad Albertum Radziwil, Cancellarium Lituaniae⁴¹⁰ et Thomam Zamoyski, Vicecancellarium Regni Poloniae, docendo eos causam Unionis esse causam Ecclesiae Catholicae et quicumque laborat pro ea, laborat pro Ecclesia Christi, quae una est et extra quam non est salus. Maiores partem subditorum habet Ritus Graeci, tenetur curare salutem illorum. Nunc autem in Convocatione tacebant illi dum nostra ageretur causa, laborabant autem ferventissime ne quidquam statueretur contra fidem catholicam et effecerunt plurimum. Nostram vero Unionem forte putant quid diversum esse, licet nos ipsis monstramus esse maioris adhuc apud Deum meriti si debiliorem partem iuvat quam fortiorum, quae plurimos per Dei gratiam habet propugnatores. Ex Nunciis unitis habuimus solum duos et inter hos unus tantum loqui poterat. Erant alii, sed iam transierant omnes ad Ritum Latinum, quod nobis valde obest. Ex adversa parte erant 10 cum titulo; Nuntii Schismatici, et Haeretici omnes perfectissime defendunt illos. Ad Ill.mum quoque Nuntium, ut hoc negotium habeat cordi, scribantur litterae. Plurimum porro interest, ut novus Rex sit affectus Unioni, et quia Vladislauum Principem et non alium speramus futurum Regem, ad ipsum post electionem scribendum erit Breve cum ea qua sciunt efficacia, ut ipse sit promotor Unionis et defendat illam a Scismaticis. Interim me cum promptis obsequiis meis commendo gratiae Perillustris et Rev.mae D. V.

Varsaviae, 18 Julii 1632.

Perillustris et Rev.mae D. V. addictissimus Servitor et Frater
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

Post scriptas has litteras, rescivi Archimandritam Kioviensem Piecierensem⁴¹¹, qui hic est primus, hodie scripsisse litteras ad omnes Provincias, Palatinatus et Districtus, invitando omnes Schismaticos Nobiles ut venient ad electionem, esse negotium Dei et non esse aliud tempus recuperandi sua. Et scio quod convolabunt, nec ad electionem novi Regis accedere volent, nisi obtineant quae petunt. Scio ab uno ex primis Cancellariae, ipsos in hac Convocatione 6 millia florenorum dedisse duabus personis, in omnes alias quos putant sibi utiles vel ut prosunt vel ne obsunt effusi sunt ex prodigo; nos ista habere non possumus. Duceamus et nos Nobiles, quos ducere poterimus, sed sumptu nostro et certe pauci sunt ex Unitis, qui vellent, etiam si possent, imo passim dicunt, se transituros ad Ritum Latinorum, ne inquietentur et sit ingens iactura Ecclesiae et intentibus Unionis. De nobis hoc sciat Rev.ma D.V. et omnibus etiam sub iuramento dicat, nos non tantum sumptui, etiamsi oppignorare deberemus Ecclesiastica, sed etiam incommodis valetudinis usque ad mortem pavere nolle; 2-do, si vellent plus a nobis quam iam concessimus, quamvis et hoc dependet a consensu Suae Sanctitatis, nos unanimiter conclusse potius eligere ut nobis per violentiam auferant omnia, et tamen non desistemus pugnare cum Schismate, etiam in extrema paupertate constituti; 3-o, si futurus Rex favebit Schismaticis et penes ipsum sunt Jura Patronatus, pessum dabit omnes Episcopatus dando Schismaticis, licet et tunc fatemus fa-

⁴¹⁰ Stanislaus Albertus Radziwill (1623-1656).

⁴¹¹ Petrus Mohyla, dein Metropolita Kioviensis non unitus (1633-1647). In historia Ucrainae vir insignis, tunc in Ecclesia tum in rebus instructionis scholasticae.

cienda, invocando nomen Jesu Christi, cuius hoc est negotium (fidens ita scribo); 4-o, si videbimus Regem talem, denunciabimus Sedi Apostolicae, et in Regno solemniter protestum faciemus, non in nobis culpam esse si ex hac parte Sanctae S. damnum acc... (*textus corruptus*) (fol. 72).

Hoc etiam significo, quod Serenissimus Princeps noster Vladislaus accepit a Patre moriente titulum Regis Sueciae, et utitur illo. Totum Regnum dat ipsi hunc titulum. Si videbitur sugerere Suae Sanctitati ut eodem titulo honoretur puto gratissimum ipsi futurum.

(Fol. 73v): Perillustri et Rev.mo Domino Francisco Ingolo, Secretario Sacrae Congreg. de Prop. Fide. Domino et Fratri observendissimo.

(*Sigil. et notae*)

133.

Varsavia, 20 . VII . 1632

Refert de statu Unionis in Comitiis Regni Poloniae petitque protectionem.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 6648, fol. 132.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Quam longe lateque altas Ruthenorum cum S.R.E. unio egerit radices, re-gnante in Polonia S.M. Serenissimo Sigismundo 3, notius est Universali Christi Ecclesiae, quam ut loqui expediat. Ut proinde quantum in pientissima sua vita nos nostraque optimus tuebatur Princeps, tantum dolentissimo suo obitu fundotenus nos commovere debuit et commovit. Unicum scilicet in Septen-trione Unionis praesidium, asylum et profugium unicum, quoad vixit semper Russia Catholica et vidit, et omnia inimicorum deridens tela vicit. Auxerunt dolorem elatae Schismaticorum voces, se tandem votis suis potitum iri. Quae vero vota? Catholicae oppressio Ecclesiae. Cuius cura quoniam ad te, Beatissime Pater, ut Christi Vicarum, et Universi Caput Orbis divina Providentia meritissime devoluta, ad pedes S.V. humillime procidentes supplicamus, ut non det nos obedientes suos Filios videre ultimam rerum Catholicae Fidei in Ruthenis desolationem, et divina sua autoritate qua Serenissimum Sueciae Regem Vladislaum, qua Ill.mos Regni Antistites et Senatores, atque adeo totum illius Catholicum Senatum Brevibus suis ad nos tuendos defendendosque promovere non dignetur. Ut in electione novi Regis nullius hostium aut credant politici, aut cedant terroribus. Scimus Beatissime Pater ultra omne meritum et possibilitatem nostram oneratos nos plane esse S.V. beneficiis, ut in hoc extremo fere passu solitae suae beneficentiae thesauros proferre dignetur iterato supplices obsecramus. Sanguinis etiam profusione aeternas gratiarum actiones reddituri. Caeterum quantum Ruthenae navicula Ecclesiae praesentis tempestate Convocationis iactata fuerit, quamquam vix non cum Jona in mare electi fuerimus, totius rei series ad S. de Propaganda Fide Congregationem directa, S.V. totum integre aperiet processum. In quo si quid contra mentem S.V. factum, a quo ne ad latum quidem unguem discedere unquam vellemus, dabit extremo Schismatis impetu, et omni praesidio destitutis dabit; ac suae plenitudine protestatis, et praesentibus et futuris opportunam adferre manum non dedingabitur malis. Pedes interim

D.V. humillime deosculor pro me, Coepiscopis meis et ovibus a Deo per S.V.
nobis commissis, paternam benedictionem implorantes.

Varsaviae, 20 Julii, Anno Domini 1632.

Beatitudinis Vestrae obedientissimus filius et humillimus
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

134.

Varsavia, 20 . VII . 1632

*De statu Unionis et periculis in Comitiis Regni Poloniae et electione novi
Regis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 78, 85v.

Eminentissimi et R.mi Domini, Antistites S. Congregationis
de Propaganda Fide. Domini Col.mi.

Illud quod in votis et vocibus semper hostes Ecclesiae S., Schismatici, habuerunt, tandem occultis Dei Omnipotentis iudiciis novissime consecuti sunt, dum Serenissimus Rex noster Sigismundus III, sanctae mem. ultimum naturae persolvit debitum, nos atque Universam Ruthenam Unitorum Ecclesiam orphanam relinquens, omnibus inimicorum telis et dolis oppugnandam. Et impugnarunt profecto in praesentia Convocatione tam valide hostes, ut nonnisi ad paeta nos descendere opus fuerit, quae cum suis Informationibus ad D.V. Eminentissimas per Patrem Nicolaum, Agentem nostrum, direximus, scilicet ad vicem nostram non sine compassionie examinandam. Cum autem Schisma ante ultimum triumphum canat victoriam, ne ulteriorem spem lucri somniet, nobis supplices ad S. Sedem Apostolicam atque Eminentissimum illius Senatum manus extendendae. Quamobrem quoniam eo res nostrae vertuntur cardine, ut nunc nobis aut vincendum aut moriendum videatur, supplicamus humillime D.V. Eminentissimis, ut potentem suam interponere dignentur autoritatem apud S.D.N., quatenus Brevibus suis Serenissimum Sveciae Regem Vladislauum, Ill.mos Regni Poloniae Antistites et Senatores incitare dignetur eo loco et tempore, quo futurum Dominum nostrum auspicatis legent eligentque suffragiis, ad nos Ecclesiamque Unitorum Ruthenam defendendam et petitis Schismaticorum impiissimis resistendum. Ne praetextu confoederationis, iuramento per Praedecessores Reges firmatae, aut pacis quam Christus Jesus non venit mittere colore, aut gratuitis militarium suppeticarum officiis, hostes iam per P. olim Regem depresso blanda faciat indulgentia et pravos et impios. Cum is sit Schismatis et Haereseos genius, ut si semel quod appetunt, assequantur nullius contenti terminis; duplex haec sanguisugae filia, plus plusque in horas affer contra omne fas, affer contra omne ius inclamat. Atque cum ipsa res pro nobis clamet, ipsa loquatur et supplicet veritas, quam tueri sanguinis etiam effusione parati, hoc nostrum pluribus non exagerantes petitum, manum D.V. Eminentissimarum cum Coepiscopis meis humillime deosculamur. Deum O.M. toto corde exorantes, ut Ecclesiae suae S.

et Reipub. Christianae D.V. Eminentissimas quam diutissime servet incolumes.

Varsaviae, 20 Iulii 1632.

Eminentissimarum ac Revendissimarum Dominationum Vestrarum humillimus Servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiov. totiusque Russiae (*m.p.*)
(Fol. 85v): Em.mis ac Rev.mis Dominis, Dominis Antistitibus S. C. de
Prop. Fide. Dominis colendissimis. (*sigil. et notae*)

135.

Varsavia, 8 . XI . 1632

Protestatio Ruthenorum unitorum et Polonorum contra puncta Schismaticorum in comitiis electionis anno 1632. Actum in curia regia Varsaviae.

ASV., *Nunz. di Polonia*, vol. 46, fol.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, pag. 402, nr. 338.

Nos Iosephus etc. nomine nostro, et omnium Spiritualium nostrorum in Unione cum R. R. E. existentium⁴¹², videntes quod in modernis Electionis novi Regis Comitiis Ordines Regni et Magni Ducatus Lituaniae id requisierint, pacis et securitatis publicae tuendae ergo, ut controversia de Episcopatibus et aliis bonis ecclesiasticis inter nos et non unitos per certa media moderaretur et sufferretur. Quam quidem Pacificationem ad effectuationem totius Reipublicae, ut in proxime elapsa convocatione cooperat, Ser.mus Rex Suetiae Vladislaus cum certis ex utroque ordine deputatis, ita et in praesentibus quoque Comitiis magno labore et zelo Princeps Christiano digno prosecutus est. Quoniam tamen controvertebatur de bonis ecclesiasticis, quorum alienationem etiam in minima parte prohibent iura ecclesiastica S. R. E. Quocirea nos, ut in illo controversiae loco nullum ex parte nostra consensum praebui-
mus, in omnibus appellantes ad S. Sedem Apostolicam Romanam, ita et nunc protestamur, quod ut Reipublicae praescribere non possumus, ita vice versa consensum nostrum non praebemus, donec expressus S. D. N. consensus accedat. Et quoniam rescivimus, quod iam puncta hoc in negotio concepta sint per oblatam Actis Castri Varsaviensis inserta, ideo coram iisdem Actis solemniter iterum atque iterum contra protestamur, ad Sanctam Sedem Apostolicam Romanam in omnibus appellantes.

Actum Varsaviae, in Comitiis Electionis, Novembbris 8, Anno 1632.

Iosephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae.

Iosephus Machosi Bachovetschi, Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis.

Hieremias Poczapovschi, Episcopus Luceorienensis et Ostroviensis.

Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis, Vitebsensis et Mstislaviensis.

Athanasius Krupetschi, Episcopus Praemisliensis et Samboriensis.

Methodius Terletschi, Episcopus Chelmensis et Belzensis.

Raphael Corsach, Episcopus Pinscensis et Turoviensis, Coadiutor Metropolitae Chioviensis.

⁴¹² Praesertim nomine omnium Episcopum unitorum, qui tunc fere omnes, exceptis Leopoliensi et Peremysliensi, obedientiam Pontifici Romano praetabant.

136.

. 1632

Varia puncta ex litteris Metropolitae ad suum Agentem Romanum summarie collecta et executioni demandata.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 58, fol. 70rv, 75v.

Puncta literarum Metropolitae Russiae ad P. Nicolaum, suum Agentem, quae Sacrae Congregationi de Propaganda Fide petit referri⁴¹³.

1. Pro munitione Monasterii Zirovicensis, ne ibi ulla Religio extruat monasterium ineconsulta Sede Apostolica, summas agit Sacrae Congregationi gratias⁴¹⁴.

2. Testamentum Episcopi Vločomiriensis⁴¹⁵, etsi ex natura sit invalidum, cum tamen in illo dicatur quod bona consanguineis relictia fuerint ex patrimonio defuneti, ideo Metropolita Divino examini causae veritatem relinquent, voluntati illius ultimae non vult praeiudicare.

3. Cum Episcopi latini ad impediendam Romanam et Varsaviensem Ruthenorum residentiam, institerint apud Regem, ne primi annui vacantium Episcopatum reditus Metropolita acceperet, quos applicaturus erat dictis residentiis, ideo suplicat Metropolita instari apud Regem pro supradicta gratia, suppresso nomine residentiarum, sola proposita insufficientia Metropolitae et impari proventu oneribus, quae supportat in Synodis provincialibus, et Capitulis religiosis convocabandis, ac suo sumptu alendis, tum in expensis itinerum ad Curiam et Comitia Regni in causa Unionis, tum in studiosis religiosis transmittendis ad loca in Alumnatibus benignitate Sedis Apostolicae concessa, tum in aliis expensis, quae solum Metropolitam concernant.

(f. 70v) 4. Significat quod iidem Praelati latini conentur impedire administrationem Episcopatus Vlodimiriensis⁴¹⁶, quominus illam Metropolita continuet, promoventes quandam aulicum ad dictam Ecclesiam, qui aulici quantum detrimentum Ecclesiis afferant, docet Episcopatus Praemisiensis, nunc per praesentem Episcopum aulicum miserum in modum deterioratus⁴¹⁷, proinde cuperet per Nuntium Apostolicum occurri, ut nemini beneficia Ecclesiae Ruthenae conferantur, nisi commendato a Metropolita.

5. Petit inhiberi in Curia quavis confirmationes applicationis bonorum Ecclesiae Ruthenae latinis Ecclesiis, non citata parte. Et specialiter supplicat declarari, bona Ecclesiae Ruthenae comprehendendi in Bulla Caenae Domini, quam pertimescens Ducissa ab Ostrog bona Episcopatus Turoviensis iam de facto restituit Episcopo Pinsensi, pro quo summas agit gratias Metropolita Sacrae Congregationi.

6. Petit ne confirmetur fundatio Patrum Jesuitarum Smolensi in Severia, facta ex bonis ecclesiasticis Ruthenis, sed ut illam teneant sine confirmatione prout hactenus tenebant, alias haec res scandalisaret Schismaticos.

(Fol. 75v): Relata die 13.II.1632, in Congreg. 153.

(notae)

⁴¹³ Nostra sententia « puncta » haec, fortasse, manu ipsius Metropolitae conscripta fuerunt.

⁴¹⁴ Cfr. *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. I, Romae 1953, secundum *Indicem nominum et rerum*.

⁴¹⁵ Joachimus Morochovskyj (1613-1631).

⁴¹⁶ Cfr. de hac administratione nr. 123.

⁴¹⁷ Athanasius Krupeckyj (1610-1652).

137.

(Varsavia) . . . 1632

Quaedam informatio, ut videtur Metropolitae, de articulis s.d. pacificationis Religionis Graecae in Comitiis Regni Poloniae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 100-101v, 103.

Informatio circa articulos⁴¹⁸ factae compositionis inter Unitos et Schismaticos.

1. Ut sciatur quare administr. Seismaticum et liberum exercitium permisérunt in toto palatinatu Chioviensi, Braclaviensi, Podoliensi⁴¹⁹, nec non in terra Leopoliensi, et Zydacensi⁴²⁰, supponendum est nullam nos in toto illo tractu terrae ecclesiam unitam neque habere et multo minus retinere facile posse propter metum Kosacorum, qui sedem suam in illis locis fixerunt; imo tota reliqua multitudo tam Unioni S. est infensa, ut Judaeum et Unitum uno eodemque notent calculo. Et ut subiecit Serenissimus Rex Sveciae, propter unum ex vestris Unitum in partibus illis defendendum, aliquot millia semper Respub. servare deberet. Hinc sola tantum in civitate Chiovensi penes Metropolitam fuit ecclesia Cathedralis, cum Monasterio Vidubicensi⁴²¹. Neque tamen haec permissio ita restringenda est, ut in dictis partibus Unitis non sit iam licitum suo tempore pedem figere. Plurimi cum Nobiles catholici, in quorum absoluta potestate est Unitos alere, vel Schismaticos in suis bonis volent ut sui subditi subiaceant unito Episcopo vicino, sed et in Civitatibus Regiis multiplicatis postmodum Religiosorum unitorum personis erigi Monasteria favente Divina clementia poterunt, donec Dominus misereatur et vocet omnes in vineam suam.

2. Quod attinet ad Monasterium S. Michaelis aurei verticis⁴²², dictum Chioviense, nunquam in illius possessione fuimus neque esse potuimus, eo quod Pseudo Metropolita illuc residentiam suam habeat, protectores autem et defensores illius Kosaci, et ille bonus Pater qui in memoriali nominatur nunquam habuit ius in re, nec tenere potuit propter eandem rationem, etiamsi Palatinus Chioviensis in proximo gradu consanguinitatis illum attingeret.

3. Mohiloviae et Orsae⁴²³ concessae sunt ecclesiae vacantes pro illis, quae ante decennium fuerant obsignatae. Multis de causis, inter alias 1º, quia vix aliquis ex respectu multitudinis populi ne vix quidem ecclesias nostras, in

⁴¹⁸ «Articuli» praeparati tempore Comitiorum electionis Regis Poloniae Vladislai IV, an. 1632. Cfr. de his plurima in *Acta et Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. I, Romae 1953, 1954, nec non in *Epistolis Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. II, Romae 1956, *Epistolae R. Korsak.*

⁴¹⁹ Hisce Palatinatibus coalebat s. d. Ucraina tunc temporis Regno Poloniae subiecta. Erat tantummodo denominatio administrativa, non vero ethnica, quae etiam alias partes comprehendebat, ut ex. gr. Volhiniam, Russiam etc.

⁴²⁰ Terra Leopoliensis erat pars maioris partis administrativae quae vocabatur Russia Rubra, vel simpliciter Russia. Item a fortiori agitur in casu terrae Zydacoviensis.

⁴²¹ Monasterium Vy dubicense Kioviae inde a saec. XI.

⁴²² Item monasterium Kioviense antiquum.

⁴²³ Iuae civitates in Russia Alba, hodie Bielarusja, in Archieparchia tunc temporis Polocensi.

quibus uniti Sacerdotes sacra absolvebant, frequentabant, sed exerent sibi tuguriola per modum ecclesiarum et in illis pseudo Presbiteros suos alentes ceremoniis suis vacabant. Hinc sublatis tuguriolis ecclesiolas tenere praestant; 2º, ecclesiae dictae illis permisae ligneae sunt et propter desolationem ruinæ proximæ, quæ si non cederentur illis, a nullo reparentur, propter nullos redditus. Et tamen semper Unioni imputaretur devastatio ecclesiarum; 3º, etiamsi tot ecclesiae permisae fuerint Schismaticis (f. 101) tamen in utraque dictarum civitatum decem si non ultra pro Unitis relictæ sunt ecclesiae, quorum pleraque quæ nullos tenent redditus vacarunt hactenus et vacabunt; 4º, quia ante aliquot annos per privilegium Serenissimi eodem ecclesiae Schismaticis concessæ fuerunt, licet postea per alias revocatorias fuerit suspensa haec concessio; tamen se iure repetere effectum prioris privilegii putabant Schismatici.

4. Quantum attinet ad fabricam ecclesiae Vilnen., supponendum quod in ipso renovatae Unionis initio, ante annos 26, Schismatici extruxerunt sibi ecclesiam ligneam, in eaque toto hoc tempore liberum exercitium hueusque habuerunt, donec tandem post annum 1620 novos indies sumentes vires miro illum extruere caeperunt. Serenissimus nomine suo inhibuit ne procederent sub vadio 100.000 scutorum, quod quidem vadum incurrerant, quia in fabrica processerant. Unde citati fuerant mandato Regio, sed postea res suspensa, donec Serenissimus lite pendente moreretur. Hinc haec ecclesiae illorum structura non pendebat absolute a nobis, sed a Serenissimi voluntate, quam impedire si vellemus non possemus. Cassationem etiam omnium processuum hac de causa institutorum prosequi non esset in nostra potestate, cedente Serenissimo Rege.

5. Episcopatus Leopoliensis semper fuit in manibus Schismaticorum ab initio erectionis suaæ⁴²⁴, id est ab annis 70, licet eum cum aliis Episcopis Ruthenis Episcopus Leopoliensis per litteras obedientiae reddiderit Clementi VIII, tamen statim idem Apostata factus est, et ad Schisma reversus⁴²⁵. Nullam tamen absolute habet fundationem, sed solam Archimandritiam Unionensem sibi annexam. Vivit duntaxat ex certa contributione, quam ipsi persolvunt Sacerdotes schismatici dioeceseos illius, et aliarum dioecesum, ubi ecclesiae non sunt in Unione.

Durissimum est in hoc puncto illud verbum (perpetuis temporibus) cui reclamavimus coram Serenissimo sed affectantibus Schismaticis, ecce scribi iussit, uti etiam in Archimandritia Peczerensi. Quæ tamen facile aboleri poterunt, si SS. Dominus noster Serenissimo scriperit, vel hinc cognosci facile possit, quam duro cardine res S. Unionis in praesentibus Comitiis veterentur.

(f. 101v) - 6. Archimandritia Peczerensis primum est ex omnibus Ruthenae Ecclesiae beneficiis, in redditu aureorum 30 mil., si non et amplius, exequans, vicina Chioviae est, sub tutela Kosacorum, quam pro nunc retinere prope fuit impossibile, et hactenus Schismatici illam possidebant, licet fuit consensus Summi Pontificis, ut uniretur Metropoliae Chioviensi, propter exi-

⁴²⁴ Inde ab an. 1539. Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, vol. I, pag. 377-397, 556-560.

⁴²⁵ Gedeon Balaban (1568-1607), Hic inde ab anno 1590 Unioni Ecclesiae inclinabat et omnia documenta praeparatoria, usque ad mensem Junium 1595, subscrispsit.

guos redditus. Nunquam tamen ius in re tenere potuit, exceptis quibusdam bonis in Lituania sitis, quibus modernus Metropolita unitus, iure mediante, necessario cedere debuit. Et haec fuit ratio cur Serenissimus Schismaticis concesserit; quia scilicet nullo modo Uniti illam retinere potuerunt. Illud duntaxat adiecile possit, quam duro cardine res S. Unionis in praesentibus Comitiis verguos redditus. Nunquam tamen ius in re tenere potuit, exceptis quibusdam bonis in Lituania sitis, quibus modernus Metropolita unitus, iure mediante, necessario cedere debuit. Et haec fuit ratio cur Serenissimus Schismaticis concesserit; quia scilicet nullo modo Uniti illam retinere potuerunt. Illud duntaxat adiectum durissimum (perpetuo). Haec tamen non est lex et facile impediri per S.S. potest, ut *infra*.

7. Archimandritia Zydziezen., decem ab hinc annis ad Unidos devoluta, nunc etiam Archimandritam unitum habuit, qui brevi in Episcopum Wlodi-miriensem consecrabitur¹²⁶, et Metropolita administratione cedere debet, no-lens dare occasionem clamoribus Schismaticorum hoc tempore Interregni de multiplicitate beneficiorum. Quoniam cum Schismatici, ut ollae amici villis tantum inhabant, non curae animarum, et villae ad Remp., ut Regni Proceres dicunt, pertinere videantur, ut his quoque redditibus amore pacis communis cederemus, omnibus acclamantibus, nullo resistente cum voce activa, careamus, contradicere nullo modo cessioni potuimus. Quod tamen non fiet nisi iure Patronatus Regio mediante. Proinde si pro suo zelo Rex Cathol. volet haec irritare pacta, nullo negotio poterit, maxime SS. Domino nostro per sua Brevia urgente, neque ea iniusta pacta possunt obligare successores Reges, quibus unus consentit. Optime id felicis memoriae Sigismundus tertius ad praxim reduxit.

8. Quod spectat ad Confraternitates Schismaticorum, sciendum est illas dependere a confirmatione Regia; quam impedire non est in nostra potestate. In favore scilicet Regio est multiplicare haec entia minime in nostro, vel non, qui magis confederationem quandam et conspirationem contra commune bonum olen, quam pietatem, licet pietatis titulo insigniantur.

9. In hoc ultimo puncto licet omnes ecclesiae Schismaticorum, quas actu habent, in pacifica illorum possessione relinqu videantur, specie pacis communis, magno tamen Dei beneficio aditus Schismaticis prohibitus ad plurimas M. Ducatus (f. 102) Lithuaniae Civitates, et quasdam nostras in Regno Poloniae dioeceses.

Quod attinet ad scholas et Seminaria hactenus etiam habebant nullo prohibente ex nobis, quia nullatenus nostrae fuit potestatis.

In Magistratibus Civitatum hactenus etiam in omnibus locum habuerunt, Vilna dumtaxat excepta, sed et hoc fuit summi favoris Serenissimi piae memoriae. Hinc Serenissimus Rex Sveciae, dum illi diceremus privilegia Civitatis Vilnen. huic puncto contradicerere, subiecit illa esse ad malam narrationem per vos Unidos obtenta. Mala scilicet narratio pro S. Unione supplicatio.

Denique ne occasio ultra procedendi in affectuationibus Schismaticis datur, invento Serenissimi Principis Vladislai adiecta est clausula illa, quod si non contentabuntur Schismatici, Uniti sua antiqua iura tueri debeant, quia alias in electione datis tot absurdis urgerent dari plura; longe enim maior frequentia illorum erit tune quam nunc fuit.

⁴²⁶ Josephus Bakoveckyj (1633-1650).

Apposuerunt adhuc unum articulum, ut tota Respublica et Serenissimus Rex Sveciae ad S.S. scribebat pro Episcopatu nostro Unitorum Premisliensi Schismaticis conferendo. Sed ultimo eraserunt, tantummodo ore tenus coram nobis supplicarunt ut hoc faceret Serenissimus et permisum obtinuerunt.

Nos vero ex parte nostra humillime SS. Dominum nostrum supplicamus, ut ad nullas informationes huic durissimo petito de Episcopatu scilicet Praemisliae consensum suum praebeat, alias summo esset Sanctae Unionis detimento. Et haec quantum ad articulos pactorum inter Unidos et Schismaticos.

138.

Cracovia, I . III . 1633

Gratias agit et commendat novos Alumnos Romanos.

ARCHIV. ROMANUM Soc. JESU, Epp. Ext., vol. 17, Episcoporum 1620-1649, fol. 169.

Rev.me Pater. Frater in Christo observantissime⁴²⁷.

Antiquus Rev.mae P. V. in me, atque adeo in Ruthena Unione affectus, tum plurimis mihi iam innotuit argumentis, tum praesertim per literas no viissime ad Rev.mos Patres Provinciales S. suae Societatis Poloniae et Lithuaniae datas, in quibus res nostras hac Regni Poloniae tempestate agitatas magnifice recommendat, atque sua sponte optimis illis Patribus currentibus calcar addit. Qui quidem Rev.mae V. P. zelus suam suo tempore coronam reportabit. Sed tamen ne nunc etiam ingratitudinis arguamur, praesentes gratissimae memoriae testes Rev.mae P. V. scribendas duxi. Et protestari, quod sicut hactenus quidquid fuimus per S. Societatem fuimus, ita quidquid erimus, totum eidem debebimus, dummodo ut alias Rev.ma P. V. semper, ita et in posterum apud illos quos in Socios tanti muneris vocandos agnoscat, S. Unionis opus promovere dignetur. Mitto in locum illorum, qui ex Collegio Graeco discesserunt duos meos Religiosos Sacerdotes, Philippum et Josaphat⁴²⁸, eosdemque Rev.mae P. V. cordialiter commendo. Sed mitto sine sumptu pro viatico intra sexennium futuro, quia propter Comitia Regni triplicia pauperes nostros reditus penitus exhaustire debui, ita ut vix pauperi viatico moderno aliquid residuum habuerim. Obsecro itaque ne hoc illis et aliis imposterum mittendis sit impedimento. Caeterum harum latores de rebus nostris dabunt sufficientem ore tenus Rev.mae P. V. informationem. Ego me interim eiusdem SS. Sacrificiis ex corde offero.

Cracoviae, 1 Martii, Anno D. 1633.

Rev.mae Paternitatis Vestrae addictissimus Frater et Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque
Russiae.

(*Epistula est sine inscriptione, sed ex textu ipso appareat, fuisse scriptam ad P. Generalem Soc. Jesu, P. Mutium Vitelleschi).*

⁴²⁷ Ad Generalem Superiorum Societatis Jesu. Epistola nobis benigne concessa ab Archivista Curiae Gen. Soc. Jesu, nobis instantibus. In genere, ex hoc Archivo duas tantummodo epistolae depromptas hic habemus. Utrum aliae extant, non nobis constat.

⁴²⁸ Philippus Borovyk, et Josaphat Isakovyc. Alumni Collegii Graecorum de Urbe inde ab anno 1633 (die 2 Maii). Discesserunt e Collegio die 8 Septembris an. 1638. Dein

139.

*Cracovia, I . III . 1633**Transmittit relationem de Statu Unionis novosque Alumnos commendat.*BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6648, fol. 133rv.

Eminentissime et Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Si tantum virium ad resistendum hostibus Ecclesiae Catholicae Unitis Ruthenis superesset, quantum tum S. D. N. in suis litteris, tum D. V. Em.ma habere iubet, eniteremur profecto toti palam notum facere mundo, nos in Sacrosanctae defensione Unionis non degenerare a Praedecessoribus nostris, qui olim in hoc sancto opere sanguinem animumque profuderunt. Sed quoniam haec summa rerum vicissitudine velle dumtaxat nobis adiacere videmus, perficere autem vix invenimus, iusto Dei furore in ingratam, et visitationis suea inseiam Russiam, in multis et voluisse sat nobis videtur. Quis sit Ruthenae status Unionis, praesentium latores, Rutheni Religiosi, Praesbyteri, ad Collegium in Urbe Graecorum pro studiis, atque ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli a me missi⁴²⁹, clare D. V. Em.mam de singulis edocebunt. Quos D. V. Em.mae et Rev.mae humillime commendando, ac simul eiusdem manum simul cum Coepiscopis meis deosculor.

Cracoviae, 1 Martii, Anno D. 1633.

Em.mae ae Rev.mae Dominationis V. humillimus Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totius-
que Russiae.

(fol. 133v): Eminentissimo ac Reverendissimo Domino. Domino Francisco Barberino. Cardinali Amplissimo. Domino colendissimo.

(alia manu): Respondi 24 Septembris 1633.

140.

*Cracovia, I . III . 1633**Dolet de morte Agentis sui Romani, nec non res Unionis commendat.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 75, fol. 356, 363v.HOFFMAN G., *Ruthenica*, in « *Orientalia Christiana* », vol. 12, pag. 206, fol. 20.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini. Domini Colendissimi.

Mors Patris Nicolai⁴³⁰, Agentis mei Rhuteni⁴³¹, inopinata, multis de causis Rhuteneae res Ecclesiae inter spem et metum haerere fecit. Idque effecit ut nunc a locis nostris centum et ultra leucis distantes, neque tam cito domum reddituri, nullomodo pro nunc de submittendo in locum illius altero cogitare possimus. Hinc etiam Em.mis et Rev.mis D. V. in multis forsan deesse cogar,

commorabantur in Hospitio SS. Sergii et Bacchi. Josaphat an. 1640 rediit in patriam, Philippus vero remansit Romae usque ad an. 1651, ut Procurator generalis in Urbe, ubi etiam obiit.

⁴²⁹ Cfr. notam praecedentem.⁴³⁰ Nicolaus Novak, primus Procurator stabilis in Urbe (1626-1633).⁴³¹ Tunc temporis Metropolita eum semper Agentem suum in Urbe vocabat.

aliquo intervallo, neque frequentem neque sufficientem munericis reddens rationem. Ne tamen omnino nullam de statu Rhutena Unitorum Ecclesiae D. V. Em.mae et Rev.mae habeant informationem, mittens Fratres meos duos Praesbyteros ad Collegium Graecum, per eosdem me coram S. D. N. et D. V. Em.mis praesento, cum ea, quam ferre poterant informatione. Ego vero D. V. Em.mas supplex exoro, ut cum alia Rhutenorum Unitorum negotia, per Patrem Nicolaum praedictum in Curia Romana promota, tum vel maxime Canonisatio Servi Dei Josaphat, Archiepiscopi Polocensis, desiderata sumat incrementa ⁴³². Quidquid vero vexatis, perque densissimos fluctus Schismate in medio agitatis Unitorum rebus addere dignabuntur D. V. Em.mae, addent profecto Catholicae in Ritu Graeco Ecclesiae, Catholico in Septentrione Regno decus diuturnum. Deus Gloriosus Em.mas et Rev.mas D. V. quam diutissime servet incolumes. Eorundemque manus simul cum Coepiscopis meis humillime deoscular.

Cracoviae, 1 Martii, Anno D. 1633.

Em.marum ac Rev.marum Dominationum Vestiarum humillimus Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(fol. 363v): Saerae ac Eminentissimae Congregationi de Propaganda Fide. (sigil.)

141.

Cracovia, I . III . 1633

De obitu Agentis sui Romani.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 75, fol. 357, 362v.

Perillustris et Reverendissime Domine. Frater Colendissime.

Mortem Patris Nicolai nostri plus dictu dolorem, nisi me litterae D. V. Rev.mae solarentur. Multum saluti vixit, qui et sibi et aliis bene vixit. Memoria itaque illius sit in benedictionem. Caeterum si quando D. V. Rev.ma suorum curam habuit Ruthenorum, nunc ut illam duplicet toto cordis affectu supplico. Et praesertim quod alium in locum boni Patris subrogare tam cito nullomodo possimus, distantes a nostris locis 100 et ultra leucis. Et vel maxime angit me negotium Canonisationis Servi Dei Josaphat. Revera quid in hoc negotio agendum sit nescio, ut rerum nostrarum amantissimum Patrem Florianum Kosinski in partem laboris vocare dignetur obsecro D. V. Rev.mam, et faciat quod in Domino Jesu videtur. Mihi quidem duos meos Patres ad Collegium Graecum, quos et D. V. Rev.mae cordialiter commendo. Ex illis etiam sciet illa quae de nobis rebusque nostris scienda, sicuti et tacenda et

⁴³² Post primum Processum Polocensem an. 1628 et duos Processus romanos an. 1629 et 1632, causa haec in plurimas incurrit difficultates, ita ut etiam anno 1634 Processus hic declarati fuerunt invalidi, et confectio novi Processus remissorialis commissa, qui revera fabricatus fuit tantummodo an. 1637. Beatificatio locum habuit an. 1643. Cfr. A. G. WEŁKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I, et II, Romae 1952, et 1955.

dolenda. Sed tamen illis novum procureae mandatum demandare nolui; eo quod occupatio scholastica illorum non patiatur talem distractionem. Si quid tamen interim facere illos D. V. Rev.ma iubebit, facient pro posse. Caeterum me Rev.mae D. V. ex corde commendo.

Cracoviae, 1 Martii, Anno Domini 1633.

Perillustris et Rev.mae Dominationis Vestrae addictus filius et servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

(fol. 362v): Rev.mo ac Perillustri Domino. Domino Francisco Ingoli, Secretario S. Congregationis de Propaganda Fide. Fratri colendissimo.

(sigil. et notae)

142.

Cracovia, III-VIII, 1633.

Informatio data a Metropolita Kiovensi Raphaëli Korsak in Urbem profici-scenti, de statu Unionis et difficultatibus provenientibus ex s. d. pacificatione Religionis Graecae in Comitiis electionis Regis Poloniae an. 1632 peracta.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 189-191v.

Informatio

data R.mo Raphaeli Korsak, Episcopo Pinsensi, Coadiutori Metropoliae Chioviensis, eunti ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli, Anno 1633, nomine meo Metropolitae Russiae caeterorumque R.m Coepiscoporum et Confratrum meorum infrascriptorum, aliorumque domi manentium⁴³³.

In primis nomine meo Metropolitae et nomine R.m Coepiscoporum meorum osculatis pedibus S. D. N. Urbani, Divina Providentia Papae Octavi, Domini nostri clementissimi, reddet rationem Villicationis nostrae usque in hanc horam, de statu quoque Ecclesiarum nostrarum et nostro S. D. N. edocet, secundum illam quam oretenus dedimus informationem. Maxime vero seriem totam processus nostri cum Schismaticis a morte Serenissimi Regis Sigismundi III, piissime defuncti⁴³⁴, exponet, quid actum in convocatione, electione ac novissime in coronatione, ut sciens vidensque singula sincere prosequitur.

In particulari autem committimus apud S. D. N. tractandum de compositione praeconcepta in electione Varsaviensi, et per modum punctorum digesta, ac manu Serenissimi Regis nostri subscripta, itemque de Diplomate recentissime in coronatione Schismaticis dato, atque scripto quodam ibidem pro Ecclesiarum alienatione permisso. Resignamus porro nos cum omni nostro iure plene, perfecte et totaliter in manus S. D. N., ut ille de nobis deque nostris Ecclesiis disponat, tanquam de proprio peculio, Patrimonioque Christi; supponendo nos filios S. R. E. obedientissimos, non modo bonis et Ec-

⁴³³ Missio haec Korsak parabatur iam mense martio an. 1633, Cracoviae, statim post coronationem Regis Vladislai IV. Quando tamen Korsak Romam profectus fuit non nobis constat. Nam etiam die I. VIII. 1633 prostant epistolae Metropolitae quae eum commendat ut in Urbem proficiscentem.

⁴³⁴ Sigismundus III, Rex Poloniae (1587-1632). Obiit mense Aprili, die 30, Varsaviae.

clesis nostris cedere velle, sed vita quoque ipsa, si res ita e commodo S. R. E. postularet. Quare cum tota cum Schismaticis transactio ad confirmationem S. Sedis Apostolicae seposita esse videatur, supplicabit R.mus Orator noster S. D. N. ut si omnia et singula in electione Schismaticis promissa eisdem dari urgebit Serenissimi Regis nostri Legatus⁴³⁵, quoad literam scilicet omnium paragraphorum S. D. N. consensum suum dignetur denegare. In aliquibus tamen schismaticis condescendere non deditur. Tum quod si omnino suum SS.mus negabit consensum in proximis Comitiis res tota iure dirimetur cum periculo sententiae contra Unidos, tum quia quibus cives Comitiis praesentes adesse omnes cogeremur, quod redditus nostri tenuissimi et exhausti penitus impediunt, tum denique quia Nuncios nobiles pro Comitiis multis de causis non habemus; Latini vero nostram odiosam in hoc Regno causam (*due righe non decifrabi perchè corrose*).

(f. 189v) Quodsi ergo in Domino placitum fuerit S. D. N. ut ad moderamen aliquod punctorum infraponendorum et diplomaticis descendere vellet, quidque sine extremo S. Unionis dispendio per nos permitti possit inquireret, hoc quod nostro omnium communi stetit consilio S. D. N. proponendum. Ut vero ad singulos punctorum paragraphos descendamus, operaे pretium duximus singulis punctis sua per nos examina apponenda. Punctorum vero originale seorsim dabit R.mus Pinscensis.

Punctum 1.

De libero exercitio Religionis.

R. — Hoc punctum, servatis servandis, posset transire pro non Unitis sine extremo Unionis praeiudicio. Dicimus servatis servandis, quia iurisdictio, et cura animarum totaliter debet pro unitis Ordinariis reservari. Itemque caveri ne quid concedatur ex illis, quae promissa sunt, in praeiudicium iurium tum nostrorum ut Pastorum, tum locorum particularium, in quibus manent Uniti, qui supra similes quoque praerogativas a Serenissimis Regibus sua habent Privilegia.

Punctum 2.

De Metropolita Chioviensi.

R. — Hoc punctum Metropolitam Chioviensem et totius Russiae catholicon penitus tollit, cum titulo, et omni iurisdictione, ut patet. Immo cum ipsorum bonorum alienatione a Mensa Metropolitana. Qui post ablationem horum bonorum in tota Lituania vix tertiam illorum reddituum partem habet, quos habet in Palatinatu Chioviensi. Si ergo ita videbitur S. D. N., ut iam Metrop. unitus cedat Chiovia, relicto tantum titulo Metropolitae Chioviensis et totius Russiae, sine addito Unitorum, eo quod oves etiam scabiae infectae ad eundem verum spectant pastorem, ut perpetuo Uniti cum Schismaticis plene acquietari possint, si hoc proponendum erit S. D. N. omnia bona Metrop. Chioviensis in Palatinatu Chioviensi sita et ecclesia S. Sophiae sint penes non Unidos. Unitus vero Metropolita habeat omnia bona Monasterii Chioviensis

⁴³⁵ Georgius Ossolinski, Legatus ad reddendam obedientiam nomine Regis Vladislai IV, et ad tractanda varia negotia Romae, praesertim vero ea, quae spectabant pacificationem s. d. inter Unidos et non Unidos. Cfr. de his tractationibus *Acta et Litterae S. C. de Prop. Fide*, vol. I, nec non *Epistolas Raphaelis Korsak*, et *Metropolitae Rutskyj*, diversis in locis, ann. 1632-1634.

Peczerensis (quoniam non Uniti, non alienant a suo Pseudo Metrop. dictum Monasterium Peczerense.), bona inquam in M. D. L. sita, tam illa quae actu possidet Monasterium Peczerense, quam illa ad quae habet ius, sed in manibus sunt aliorum, cum omni illorum iure pro bonis actu possessis, quam quae poterant possidere in Lithuania. Quodsi hoc impossibile bona Metropoliae cedat Unitis, et non Unitis novum Censum, si vult, assignet. Alias et quod actu habet Metropolita et novum nunquam dabitur. Scienter loquimur. De bonis Chioviensibus Metropolita pauperi det quolibet suo Suffraganeo in possessionem. Metropol. tamen unito plene iurisdictio lege adiudicetur, et detur Chioviae ecclesia S. Basillii, ad quam sacerdos ante aliquot annos a Cosacis decallatus est, propter... ut ibi maneant... (*textus absolute corruptus*).

(f. 190) Ad haec liberum sit tum Chioviae tum in toto Palatinatu Chioviensi, aliisque Palatinatibus, terris, districtibus, et locis, in quibus nunc Schisma praevallet, ut Leopoli etc... erigi a Catholicis pro Unitis ecclesias et monasteria. Et licet et ecclesia S. Sophiae et bona Chioviensia a Metropolita unito auferantur, tamen titulus Metropolitae Chioviensis debet manere penes Metropolitam unitum, multis iisque gravissimis de causis, quas oretenus R.mus Pinsensis S. D. N. exponet. Schismatico vero potest dari titulus Archiepiscopi Zytomiriensis⁴³⁶, quae Regia, Zytomir dicta, nobilis Civitas est eiusdem Palatinatus Chioviensis. Hoc autem lege expressa permissiva pro Schismaticis, positiva pro Unitis, firmetur, et privilegio. Nunquam tamen hic Pseudo Archiepiscopus habeat licentiam praefereendi Crucem ante se, ut moris est Metrop. Chioviensi, propter summum scandalum. Nunquam etiam visitet Lituaniam propter tumultus; quia et unitus Metropolita non ibit Chioviam. Nunquam etiam in Lithuania hic pseudo Pastor suas Pseudo Synodos celebret.

Punctum 3.

De Episcopatu Praemisliensi.

R. — Episcopatus Praemisliensis et Samboriensis cum titulo, Cathedra et bonis semper maneat penes Unitos. Schismatico vero Episcopo possit dari titulus Episcopi Stryiensis vel Drohobycensis⁴³⁷; quae Civitates sunt in eadem Dioecesi. Hic potest residere in monasteriis S. Salvatoris, S. Onofrii, et Smolnica dictum, cum omnibus bonis ad dicta Monasteria spectantibus. Sed et Praemisliae habentur ecclesiae non unitae.

Punctum 4.

De episcopatu Luceoriensi, qui nec advitalitio quidem iure promittitur Unitis.

R. — Episcopatus Luceoriensis et Ostrogiensis sit perpetuo penes unitos, praeter alienationem aliquorum bonorum ab Episcopatu Luceoriensi. Quia Episcopus Luceoriensis in persona sua reddidit obedientiam Clementi VIII, Summo Pontifici⁴³⁸. Non unito vero Episcopo cedat Archimandritia Zydien. cum bonis Archimandritiae in Volhinia tantum existentibus. Luceoriae habent

⁴³⁶ Nihil tunc temporis ex hac suggestione venit. Postea, temporibus iam nostris, dabatur in haec civitate Eparchia non unita, nec non etiam Dioecesis Ritus Latini.

⁴³⁷ Civitas haec nunquam habuit sedem Episcopalem usque ad annum 1946, quo anno, episcopus schismaticus, a patriarcha Moscoviensi missus, sedem suam in hac civitate statuit, occupando partem Eparchiae Peremysliensis unitae. Per summam rei catholicae in Ucraina iniuriam.

⁴³⁸ Cyrilus Terleckyj (an. 1595-1596).

non Uniti ecclesiam muratam. Hic Episcopus non unitus habeat titulum Episcopi Bracławiensis⁴³⁹.

Punctum 5.

De Episcopatu Mstislaviensi⁴⁴⁰.

R. — Episcopatus Mstislaviensis cum titulo maneat penes Archiepiscopum Polocensem unitum, quia Mstislavia est pars Archiepiscopatus Polocensis, empta sanguine B. Josaphat⁴⁴¹. Schismaticus in Lituania Episcopus vocetur sane Episcopus Mstislaviensis et resideat Mohiloviae. Ita tamen et Mohiloviae Monasterium S. Salvatoris et Mstislaviae ecclesia Collegiata SS. Trinitatis omnimo penes Unidos e Vitepsci per Visceram Jesu nulla Ecclesia concedatur intra civitatem... (*textus omnino corruptus*)⁴⁴².

Punctum 6 (f. 190v).

De Ecclesiis Vilnensibus.

R. — Hoc punctum cum extremo est S. Unionis opprobrio. Hinc nullum aliud occurrit remedium quam ut et titulus et res in Privilegiis Serenissimi Sigismundi III, pro Confraternitate SS. Trinitatis collatis, maneat penes Unidos, ut ipsa quoque ecclesia SS. Trinitatis. Potest vero Serenissimus huic novae Confraternitati nova conferre Privilegia. Titulus etiam Archimandritae Vilnensis, quo monasterium SS. mae Trinitatis a 200 et amplius annis gaudebat, maneat penes Unidos. Sed etiam ecclesiae aliae tres Schismaticis promissae, in extremum S. Unionis vergent detrimentum. Si tamen aliter facere erit impossibile, posset dari Schismaticis intra muros una, altera extra muros area pro fabrica pseudoecclesiarum, quod oretemus explicabit R. mus Pinscensis. Idem etiam sentiendum de ecclesia Resurrectionis, S. Georgii et S. Joannis, quae in punctis habentur; ad quas quotannis Uniti suas processiones instituunt.

Punctum 7.

De Monasterio Grodnensi.

R. — Hoc punctum est summe damnosum pro S. Unione. Grodno quippe est meditullium Unionis, in qua hactenus nullus Schismaticus cernebatur, aliquot vero millium Catholici. Circum circa etiam per oppida et villas longo satis tractu et per leucas plusquam 20 in longum, et latum omnes fere Unitorum ecclesiae habentur. Hinc satius expedit Unioni ut pro hoc monasterio Grodnensi Schismaticis inscribatur Monasterium Vidubicense sub Chiovia sicutum, pro Unitis assignatum, licet longe ditius sit Grodnensi, tale tamen, ut nullus inibi speretur fructus Unionis, ut Grodnae actu habetur. Similiter quia Uniti habent ius ad aliquot monasteria Ourucensia ultra Chioviam; illo iure cedent, immo ipsa ecclesia S. Basillii Chiovien, quam requirunt a Schismaticis, dummodo monasterium S. Salvatoris Mohiloviae pro Unitis relinquunt et Grodnense praedictum.

⁴³⁹ Nihil evenit.

⁴⁴⁰ Episcopi Mohilovienses non uniti etiam hunc titulum sibi postea usurpabant.

⁴⁴¹ Josaphat Kuncewycz, Archiepiscopus Polocensis, Vitebsensis et Mscislaviensis (1618-1623). Martyr (1623), beatus (1634) et demum Catalogo Sanctorum adscriptus (1867).

⁴⁴² Hie et aliis plurimis in locis charta omnino corrupta temporum nequitia et inde *textus illegibilis*.

⁴⁴³ Tempore coronationis, Cracoviae, an. 1633, Mense Februario.

Punctum 8.

De libero exercitio et Commissariis.

R. — De hoc puncto diei potest cum Joël, quia residuum bruchi comedet rubigo; quia scilicet quascunque ecclesias Unitis non abstulerunt puncta electionis et Diploma coronationis cum novo suo scripto auferant Decreto⁴⁴³...

Quare si omnino ... habeant ibi ecclesias, ubi Serenismus determinavit in scripto ... ultra in novo petant. Principales tamen hoc in aliquot locorum possunt Unitis auferri sint insigni illorum detimento . . . (*textus omnino corruptus*).

Punctum 9 (f. 191).

De Cura Pastorali

R. — Hoc punctum summam et extremam involvit Dioecesum perturbationem, ut res ipsa loquitur; quia nullomodo iurisdictionem suam supra suos Dioecesanos exercere possit unitus Episcopus. Statim enim dicent se alium agnoscere Pastorem. Hinc humillime supplicamus S. D. N. ut haec Cura Pastorali Schismaticis omnino denegetur. Sed adminus ubique actu illis ecclesiae non sunt assignatae, ibi nec etiam unquam alias curam habeat Pastor, quam Ordinarius unitus. Sed et quicquid manebit pro Unitis iure expresso, diplomate et constitutione firmari debet.

Punctum 10.

De perpetuo etiam per scripta silentio.

R. — Si Catholicis non erit licitum scribere contra Haereticos non licet etiam Unitis contra Schismaticos. Quoniam autem prius est absurdum, ideo Uniti ab hoc onere omnino liberandi. Haec quoad puncta electionis. Sed quoniam iam diploma pro Schismaticis est datum, assecurans illos in omnibus his punctis, consilii impotentes ad pedes S.D.N. provoluti in sinum S.R.E. cogitata nostra iactamus. Quoad nos candide profitentes, quod si aliquid amplius Schismaticis concedetur, et quod mutuatis permitti posse vidimus consiliis, Unionem non solum modo desiderata non percepturam incrementa, verum etiam licet profiteri plurium serie annorum penitus abrogandam.

Denique expresso scribendum erit Serenissimo, ut in nullo Privilegio, Diplomate, Constitutione Comitiorum apponatur particula (semper vel in perpetuum debent non Unitis vel Schismaticis), sed tantum indeterminate. Hoc enim valde S. Unioni esset ...

Caeterum nomine nostro supplicabit S.D.N. pro Canonisatione Servi Dei Josaphat, quatenus in his Regni undique periculis cincti angustiis, Unitorumque afflictionibus hoc solamen addere D.N. dignetur et vexillum erigere martyris contra triumphos hostium S.R.E.

Denique pro Residentia Romana⁴⁴⁴ nostra ecclesiam a S.D.N. petet, quae quidem fuerat iam ante promissa; sed, ita volente fortuna, hucusque dilatum, nescimus qua de causa. Obsecramus S.D.N. ut hoc quoque levamen pauper-

⁴⁴⁴ Quae habetur tantummodo ab an. circiter 1639, usque ad nostra tempora, penes ecclesiam SS. Sergii et Bacchi, in Suburra, liberalitate familiae Barberini donata et dotata.

tati nostrae addere dignetur. Breve ad Serenissimum Regem Dominum clementissimum scribere vellet pro Cappella Varsaviensi a Serenissimo nostro promissa.

(F. 191v): In maiorem autem omnium fidem hanc informationem manibus nostris subscripsimus.

Datum Cracoviae, 16 Martii 1633.

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totius Russiae

Josephus Mokosi Bakoviecki, Episcopus Vladimirien. et Brestensis (*mpp.*)

Antonius Sielawa, Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis et Mscislavensis (*mpp.*)

Leo Creusa Revuschi, Archiepiscopus Smolenscen. et Cernihoviensis (*mpp.*)

Athanasius Krupecky, Episcopus Praemislien. et Samboriensis (*mpp.*)

Methodius Terlecki, Episcopus Chelmensis et Belzensis (*mpp.*)

(*sigillum*)

143.

Polonia-Lithuania, III-IV . 1633

Refert de difficultatibus Unionis nec non commendat Raphaëlem Korsak in Urbem proficiscentem.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 75, fol. 358, 361v.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 286.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini. Domini Colendissimi.

Dolorem Unionis Rhutenorum Schismaticorum in S.R.E. odium in electio-
ne Serenissimi Regis Varsaviae conceperat⁴⁴⁵, iniuriam Schismatis in
coronatione Cracoviae⁴⁴⁶ pariturum. Cum enim certam compositionem sibi
inscriptam viderent Schismatici, solam iam ambientes Compositionis execu-
tionem convenerant omnia sibi promissa extorsuri. Obtinuerunt itaque certum
in favorem sibi Diploma a S.R.M. et tota Repubblica, prout fusius et clarius
Rev.mus Episcopus Pinscensis, Coadiutor Metropolitanus, Confrater no-
ster⁴⁴⁷, D.V. Em.mis et Rev.mis explicabit. Quem ad limina SS. Apostolorum
Petri et Pauli euntem D.V. Em.mis humillime commendamus, eidemque fidem
in singulis ac omnibus nobis dari postulamus. Cuius relationi hic nihil ad-
dentes, D.V. Em.mis humillime supplicamur, ut quoniam haec totius moles
negotii ad ultimum S.D.N. seposita est consensum, Causam nostram suo Apo-
stolico discernere iudicio dignet. Nobis firmum fixumque stetit mala nos
pro S.R.E. potius omnia cum ipsius dispendio vitae perpeti, quam expressam
Suae Sanctitatis approbationem nostro antevertere consensu. Interim manus
D.V. Em.marum et Rev.marum humillime deosculamur.

⁴⁴⁵ Anno 1632, tempore Comitiorum electionis, autumno.

⁴⁴⁶ Anno 1633, mense Februario-Martio.

⁴⁴⁷ Raphaël Korsak, Archimandrita Vilnensis (1626), Episcopus Haliciensis (1626-1632), Coadiutor Metropoliae Kioviensis (1631), Episcopus Pinscensis (1632-1637), et demum Me-
tropolita Kioviensis (1637-1640). Obiit Romae, mense Augusto an. 1640. Cfr. eius epistolas in vol. II, *Epistolarum Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, Romae 1956, et A. G. WELYKYJ, *Annus et dies mortis Raphaëlis Korsak, Metropolitae Kioviensis*, in « *Analecta OSBM* », vol. I(VII), pag. 145-160.

Datum ex Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae, Anno Domini MDCXXXIII⁴⁴⁸.

D.V. Eminentissimarum et Reverendissimarum humillimi Servitores.

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.

Josephus Mokosi Baccoviecki, Ep.pus Vladimiriensis.

Antonius Sielawa, Archiep.pus Polocensis et Vitebscensis et Mscislaviensis.

Leo Creusa Revuschi, Archiep.pus Smolenseen. et Cernihovien.

Athanasius Krupecky, Epp.us Premislien. et Samborien.

Methodius Terlecki, Ep.pus Chelmen. et Belzensis.

(*omnes mp*)

(Fol. 361v): Sacrae Congregationi de Propaganda Fide.

(*sigil. et notae*)

144.

Polonia-Lithuania, III-IV, 1633

Refert de negotiis Unionis commendatque Raphaëlem Korsak in Urbem missum.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 283rv.

Sanetissime ac Beatissime Pater.

Domine, Domine noster Clementissime.

Praegnans malorum Schisma in electione Varsaviensi certam concordiae ambitu competitionem obinuerat. Spem tamen nobis reliquerat sine consensu S.V. illam executioni non mandandam. At iam velox hoc malum novissime in Conventu Coronationis praedictae urgens promissa compositionis, quale Diploma abtinuerit, Orator noster R.mus Episcopus Pinsensis, Coadiutor Metropolitae Chioviensis, Confrater noster, S.V. edocebit. Quem ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli dirigentes, humillime S.V. commendamus, eiusdem Relationi in omnibus subscriptibentes. Quapropter ad pedes S. V. humillime provoluti, id dumtaxat obsecramus obtestamurque, ut quoniam res tota ad ultimum S.V. decretum reiecta esse videatur (f. 283v) suo sive potius Christi oraculo rem tantam dirimere dignetur. Cuius solius sacrosancta voluntas etiam in medio paupertatis et exilii nos uberrime solabitur. Rem tanti momenti p[re]ae angustias cordis nostri non dilatantes, pedes S.V. humillime deosculamur, pro nobis et o[ste]ribus nostris paternam illius benedictionem implorantes.

Datum ex Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae⁴⁴⁹.

Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, obedientes Filii et indigni Clientes.

(*Iidem ac supra, in littera praecedenti*).

⁴⁴⁸ Deest mensis et dies. Sed, videtur, scriptae fuerunt inter mensem Martium et Augustum.

⁴⁴⁹ Eodem anno, loco, et eadem occasione.

145.

Polonia-Lithuania, III-IV, 1633

Referat de iis quae acta fuerunt in causa Unionis tempore coronationis Regis Vladislai IV.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 287.

E.me, et R.me Domine. Domine Colendissime.

Quid in causa Ruthenorum Unitorum actum fuerit in electione Regis Poloniae praeterita, ereditus D.V. Eminentissimam ab Ill.mo Domino Nun-
cio Apostolico plenam habuisse informationem. Nunc quae et quanta passi
fuerimus in Conventu pro coronatione Serenissimi Regis Generali per R.mum
Episcopum Pinscensem, Coadiutorem Metropolitae, Confratrem nostrum, D.V.
Eminentissima sufficientem habebit informationem. In tantis Ruthenae Uni-
onis timoribus nil nobis residuum est, quam ad vos, Eminentissimi Domini, et
per vos apud S.D.N. atque adeo ad universam Catholicam Ecclesiam suspi-
rare, ut tam afflictis rebus nostris pro vestra in Universo Christiano Orbe
authoritate succurrere dignemini. Quibus vero mediis et formis ad tanto
obviandum malo utendum esset, nos revera nostrumque excedit captum. Sup-
ponat tamen D.V. Eminentissima nos pro imperio S. Sedis Apostolicae pa-
ratos, et si vivemus, nudos exulare. et si moriemur, tormentis etiam fidem
catholicam obsignare. Neque pluribus dolores nostros exagerantes D.V. Emi-
nentissimae manum humillime deosculamur.

Datum ex Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae, Anno Domini
MDCXXXIII.

D.V. Em.mae et R.mae humillimi Servitores
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien. totiusque Russiae.
Josephus Mokosi Bakoviecki, Ep. Vladimiriensis et Brestensis.
Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis, Vitebsc. et Mscislaviensis.
Leo Creusa Revuschi, Archiep. Smolenscen. et Czernihoviensis.
Athanasius Krupecki, Episcopus Praemislien. et Samboriensis.
Methodius Terlecki, Episcopus Chelmensis et Belzensis.

146.

Polonia-Lithuania, III-IV, 1633

*Raphaëlem in Urbem proficiscentem commendat et ea, quae ei commissa
sunt ut patrocinantur rogat.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 288v-289.

Eminentissime et Rev.me D.ne, Domine Colendissime⁴⁵⁰.

Unio cum S.R.E. Ruthenorum si continuis Schismaticorum spoliis navem
S. Petri oneraret, nescimus maiori ne solatio Catholicae Ecclesiae foret, quam
dum continuis schismatis odiis iactata agitataque semper se ipsa maior viriles

⁴⁵⁰ Fortasse Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide, tunc temporis Antonio Barberini,
juniori vel seniori,

in dies magis magisque assumit spiritus. Facile scilicet timere, et amare Deum, cum vallat universam substantiam hominis per circuitum, et operibus manuum eius benedicit. Id vero proprium (f. 289) catholicae virtutis esse dignoscitur: stare constantem Domino cum extendit paululum manum suam, et tangit cuneta quae possident, velut alterum Job patientem sane, Emin.me et Rnd.me Domine. Si quis pusillum Ruthenorum Unitorum Gregem, eiusque penitus consideret statum, mirabitur profecto illos quotidianis expositos hostium telis eminus cominusque noctu dieque decertantes non modo animis rebusque non concidere, sed maiores etiam sumere vires roburque. Tangit Dominus Unitorum vitam, non nisi aeternas elicit cum sanguine gratiarum actiones; tangit bona, abiudieantur, alienantur, occupantur, vastantur, uno verbo viri videntes paupertatem suam Uniti efficiuntur. Id vero est quod illorum in S.R.E. affectum velut ignem excitat inter spinas. Quae et quanta in Conventu Regni Poloniae praesenti passi fuerimus Dominationem Vestram Eminentissimam Rd.mus Episcopus Pinscensis, Coadiutor Metropolitanus, Confrater noster, a nobis ad limina S. Apostolorum Petri et Pauli missus, de singulis edocebit; fidem in omnibus dari humillime postulamus. Id dantaxat humillime a D.V. Eminentissima postulantes, ut si S.D.N. de confirmatione Diplomatis ad litteram plane illius requisitus fuerit, obstinere Divina sua Auctoritate dignetur. Cum a nobis nihil aliud petentes proponentesque obtinuerint, quam nos sine scitu sancitoque S.D.N. nihil penitus Schismaticis concedere velle, nulloque cedere, nisi vi et violentia pulsos, praesertim a nullo citatos, nullo iure convictos. Nos interim manum D.V. Eminentissimae humillime deosculamur.

Datum ex Regno Poloniae et M.D. Lith., Anno 1633.

D.V. Emin.mae et Rev.mae humillimi servitores.

Josephus Valamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totius Russiae (*mp*).

Josephus Mochosi Bachoviezchi, Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis (*mp*).

Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocen. Vitebsensis et Mscislaviensis (*mp*).

Leo Creusa Revuschi, Archiepiscopus Scolenscen. et Cernihoviensis (*mp*).

Athanasius Krupecki, Episcopus Premislien. et Samboriensis (*mp*).

Methodius Terlecki, Episcopus Chelmensis et Belzensis (*mp*).

147.

Polonia-Lithuania, III-IV, 1633

De missione Raphaelis Korsak Roman.

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. Ad. 3.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 187rv.

Em.me et Rev.me Domine, Domine Colendissime.

Mittimus ad Limina SS. Apostolorum Petri et Pauli Rev.mum Episcopum Pinsensem, Coadiutorem Metropolitae Kioviensis, Confratrem nostrum, simul eum Ill.mo D. Nuntio Serenissimi Regis ac Domini nostri. Sie. S.RM. volente et iubente, ut de statu Ecclesiae Ruthenae pleniorum S.D.N. per nos posset habere informationem. Qui Rev.mus Orator noster quoniam ad D.V. Em.mam, tanquam inlytissimum Regni Protectorem amplissimum, confugere

debet et tenetur necessitatibus, eundem D.V. Em.mae humillime commendamus, obseeramusque ut illi in omnibus fidem dare dignetur D.V. Em.ma et apud S.D.N. accessum ad expedienda illi commissa facilem comparare non dedignetur. Hoc D.V. Em.ma favore nos ipsos atque adeo universam Russiam Catholicam aeterna sibi obligatione devinctam redditura. Manum interim D.V. Em.mae ac Rev.mae humillime deoseulamur.

Datum ex Regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae, Anno Domini 1633.

D.V. Em.mae ac Rev.mae humillimi servitores

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae (*mp*).

Josephus Mokosi Baccoviecki, Episcopus Vlodimiriensis (*mp*).

Antonius Sielawa, Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis et Mscislavensis (*mp*).

Leo Creusa Revuschi, Archiepiscopus Smolenscensis et Cernihov. (*mp*).

Athanasius Krupecky, Episcopus Premisliensis et Samborensis (*mp*).

Methodius Terlecki, Episcopus Chelmensis et Belzensis (*mp*).

(Fol.-retro): Em.mo et Rev.mo Domino, Domino Cosmo de Torres⁴⁵¹, S.R.E. Cardinali Amplissimo. Domino Colendissimo.

148.

Vilna, 30 . VII . 1633

Certiorat de missione Romana Raphaëlis Korsak.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 75, fol. 359, 360v.

Perillustris et Rev.me Domine. Domine, Frater Obseivandissime.

Discedit⁴⁵² hinc ad Curiam Romanam Rev.mus Dominus Raphaël Korsak, Episcopus Pinseensis et Coadiutor Metropolitae Chioviensis; hic erit viva epistola in qua leget Rev.ma D. Vestra ea, quae fuerunt, sunt et ea quae timentur vel sperantur in negotio Unionis Rhutenorum, leget etiam observantiam nostram erga S. Sedem Apostolicam et ipsius Ministros, inter quos de primis est Rev.ma Dominatio V., cui quidquid sumus et hucusque possumus iuxta Deum debemus omnia; quo circa neque Rev.mum Coadiutorem meum Rev.mae Dominationi V. commendare volo, tanquam maxima ex parte notum ipsi. Hoc saltem superest, ut mea promptissima obsequia, et si dicere fas est, cor ipsum offeram Perillustri ac Rev.mae Dominationi V., cui a Deo Opt. Max. precor omnia felicia.

Vilnae, Anno Domini 1633, mense Julio 30 die.

Perillustris et Rev.mae Dominationis Vestrae addictus Servitor et Frater Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

(Fol. 360v): Perillustri et Rev.mo Domino, Fratri Colendissimo. Domino Franciseo Ingolo, Segretario S. Congregationis de Propaganda Fide. Roma.

(*sigil. et notae*)

⁴⁵¹ Olim Nuntius Varsaviensis (1621-1622).

⁴⁵² Videtur ex tenore epistolae R. Korsak tantummodo mense Augusto Romanum discessisse. Sed fortasse litterae hae Raphaëli Korsak transmissae fuerunt tantummodo a posteriori.

149.

Vilna, I . VIII . 1633

Superiori Generali Soc. Jesu Raphaëlem Korsak in Urbem proficiscentem commendat.

ARCHIV. ROMANUM SOC. JESU, Epp. Ext., vol. 17, Episcoporum 1620-1649, fol. 165.

Rev.me Pater. Frater in Christo observandissime.

Mittens ad limina Apostolorum Rev.mum Episcopum Pinsensem, Coadiutorem meum, in certis Ecclesiae Rhutenae negotiis, ad Rev.mam P. Vestrarum eum dirigendum tanto liberius duxi, quanto nullum illi asylum in illis partibus securius adinveni. Cum enim suae Rev.mae Paternitatis benedictio qualem qualem supremi auxilio numinis in Patre est sortita effectum, eandem in filium quoque certius quam ex Sybillae foliis et collegi et promisi. Neque vero pluribus praedictum praesentium latorem commendo, quem ipsa Rev.mae Paternitatis Vestrae notitia atque erga eundem beneficia iam dudum commendarunt; quique vel hoc solum nomine Rev.mae P.V. addictissimus, quia a prima sua conversatione non per alios et primae suae sensit autores vocations et totius magistros educationis, quam sanctae suae Societatis professores. In quo vero ille opem et operam Rev.mae P.V. imploraturus est ore tenus, ipse sincere et fideliter rem totam exponet. Cui omnino nam fidem auxiliumque per Rev.mam Pat. V. dari toto cordis affectu obsecro. Me vero ipsum et Res Sanctae Unionis antiquo Rev.mae P.V. favori et sacrosanctis sacrificiis unice commendo.

Vilnae, die 1 Augusti, Anno Domini 1633.

Rev.mae Paternitatis Vestrae addictissimus Frater et Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

(*Epistola directa fuit ad P. Generalem Mutium Vitelleschi S.J.*)⁴⁵³.

150.

Vilna, I . VIII . 1633

Commendat beatificationem Servi Dei Josaphat.

APF, *Scritti, rif. n. Congreg, gen.*, vol. 336, fol. 282.

HOFFMAN G., *Ruthenica*, in « *Orientalia christiana* », nr. 12, pag. 209-210, nr. 22.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Domine, Domine noster Clementissime.

Nullum bonum sine obstaculo, nullum desiderabile sine suis impedimentis aut haberi aut optari posse, quotidiana nos docet experientia! tamen nihil minus ita ipsius rationes boni tacitis licet at potentibus animum ad se alliciunt pertrahantque motibus, ut quod piamente secundum Deum nos ereditimus exoptare, per medios etiam difficultatum cuneos conemur adipisci. Quo in genere mihi censetur Canonizatio bonae memoriae Servi Dei Josaphat; quae dum hoc fere decennio multis de causis in menses prorogatur annosque occultis quibusdam sensibus cordis intima spiritu replet confidentia, ut pro

⁴⁵³ Alia epistola, quae nobis benevole ex Archivio Soc. Jesu Romano concessa fuit.

illa clamemus atque supplicemus ad pedes tuos, Beatissime Pater, provoluti. Non negotio equidem huius dilationis nos nostrumque in tali tantoque opere defectum causam fuisse et esse, et quidem talem, ut si sola S.V. illum non suppleret benevolentia ac beneficentia, nostris, quae nullae sunt, diffisi viribus propemodum desperaremus. Sed quoniam, S. Pater, tu ipse Ruthenis tuis hoc tam sanctum dedisti velle⁴⁵⁴, ipsa quoque Sanctitas Vestra det et perficere. Negotium hoc gravissimum cum omnimoda facultate commisi Rv.mo Episcopo Pinseensi, Coadiutori meo Metropolitano. Cui benignas a S.V. aures dari humillime petens, sanctissimos Beatitudinis Vestrae pedes supplex deosculor, pro me et oibus meis paternam imploras benedictionem.

Vilnae, 1 Augusti 1633.

Beatitudinis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi indignus et obediens Filius

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis

151.

Vilna, I . VIII . 1633.

De missione Raphaëlis Karsak Romam.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 283.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini. Domini Colendissimi.

Designato in Oratorem nostrum R.mo Episcopo Pinseensi, Coadiutore meo Metropolitano, ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli, opportunum quoque mihi visum est, ut eundem Agentem et procuratorem in Causa Canonisationis Servi Dei Josaphat cum plenaria instituerem facultate⁴⁵⁵, perque eundem hoc gravissimum Ruthenae Unionis negotium D. V. Eminentissimis et Reverendissimis commendarem. Vos ipsi, Eminentissimi et Reverendissimi Domini, prout hoc negotium proprio motu censuistis inchoandum, ita Supremo quoque movente Numine desiderato affectui dignentur mancipare. Nos ex nobis in hoc passu nil ultro habere, quam purum desiderare profitemur; a vobis autem, Eminentissimi Domini, totum quod reliquum est expectamur. Qua in re cum fusius praeditus Orator Agensque noster coram D.V. Eminentissimis perorabit, et supplicabit, eidem fidem in omnibus dari humillime peto. Manus denique D.E. Eminentissimarum et R.marum deosculor.

Vilnae, 1 Augusti Anno 1633.

Em.marum et Rev.marum Dominationum Vestrarum humillimus servitor Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.

⁴⁵⁴ Anno 1624, statim post necem S. Josaphat, qui iussit Processum Apostolicum conficeret, et dein alia plura fecit, ut res haec beatificationis tandem aliquando suum sumeret finem. Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, vol. I-II, Romae 1952, 1955.

⁴⁵⁵ Primum erat Agens in hac causa P. Nicolaus Novak, Procurator in Urbe, qui initio anni 1633 obiit.

152.

*Vilna, I . VIII . 1633**Commendat Raphaëlem Korsak et res Unionis.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 75, fol. 370, 375v.APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 283v.**Eminentissime et Reverendissime Domine. Domine Colendissime.**

Res Ruthenorum Unitorum cordi esse D. V. Em.mae et Rev.mae cum ex diversis relationibus, tum ex litteris novissime ad Rev.mum Episcopum Pinsensem Coadiutorem meum datis uberrime cognovi. Qui sane S.D.N. in illo ipso, et in D.V. Em.mis et Rev.mis affectus, ita Russiam sibi obligat Universam, ut licet se imparem videat, quidpiam pro tanta maiestate agendo, certe deesse nolit pro eiusdem S. Sedis defensione quaevis patiendo. Neque sane Ruthenis Catholicis sui desiderantur agones, quin in spatiostissimo militantis Ecclesiae campo, cum S.R.E. eminus cominusque decenter, pedemque, ut aiunt, pedi conferant in palestra. Prout de singulis fusius Orator noster praedictus Rev.mus Episcopus Pinsensis D. V. Em.mam et Rev.mam edocebit, cui fidem in omnibus dari humillime petens, manum D. V. Em.mae humillime deosculor.

Vilnae, 1 Augusti 1633.

Em.mae ac Rev.mae D. V. humillimus Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

(Fol. 375v): Em.mo et Rev.mo Domino. Domino Antonio Barberino⁴⁵⁶, S.R.E. Cardinali Amplissimo. Domino Colendissimo.

153.

*Vilna, I . VIII . 1633**Cardinali Antonio Barberini, Cappucino, commendat Raphaëlem Korsak et res Unionis.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 283v.**Eminentissime et R.me Domine. D.ne Colendissime⁴⁵⁷.**

Communibus R.m Coepiscoporum meorum votis in gravissimis Rhutenae Ecclesiae negotiis ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli R.mus Episcopus Pinsensis, Coadiutor meus Metropolitanus, designatus discedit. Qui quoniam in omnibus D. V. Eminentissimae opem desiderabit et operam, meas quoque literas pro debito meo ad D. V. Eminentissimam per eundem dandas censi. Et licet confidam in illis, quae maiorem Dei Opt. Maximi concernunt honorem, praesens patrocinium Patronumque D. V. Eminentissimam haberi, tamen cum res Catholicorum Rhutenorum eo in statu sint, ut nonnisi cognitae et amore et favore prosequantur, dabit hoc D. V. Eminentissima Rhutenorum Unioni.

⁴⁵⁶ Antonio Barberini, Praefecto, ut videtur, S. C. de Prop. Fide.⁴⁵⁷ Antonio Barberini, seniori, ex Ordine Cappucinorum. Frater Urbani PP. VIII.

ut et ipsa rem totam per R.m Nostrum Oratorem intelliget, pleneque informetur, et apud S. D. Nostrum pro sua gravissima authoritate dignetur promovere (f. 285). Quidquid hac in re per D. V. Eminentissimam et R.mam praestitum fuerit, id omne ita cor nostrum dilatabit, ut viam mandatorum S.D.N. et purpurati S.R.E. senatus toto cordis animique nisu et curare et currere nos sancte spondeamus. Interim manum D.V. Eminentissimae et Reverendissimae humillime deosculor. Vilnae⁴⁵⁸.

154.

Vilna, 1 . VIII . 1633

Praelato domestico Sanrellati commendat Raphaëlem Korsak et beatificationem Servi Dei Josaphat.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 284.

Ill.me et R.me Domine, Domine et Fr. Colendissime⁴⁵⁹.

Affectum Dominationis Vestrae Ill.mae et R.mae erga Sanctam in Septentrione nostro Unionem plurimis olim nobis optime cognitum argumentis, altius quam dici possit nostrum omnium inseruit animis affectuosum illud de Servo Dei Josaphat Archiepiscopo Polocensi testimonium quod in prospectu S.R. et Venerabilis Ecclesiae D.V. Ill.ma tulisse serius licet didicimus. Quod ipsum ita nos universos in optimam spem erexit, futurum tandem ut summa expectatione omniumque votis expectetur desiderata tandem festivitate propaletur. Quod maximum negotium inter primos Canonisationis praefati Servi Dei Promotores debetur quoque D. V. Ill.mae et R.mae⁴⁶⁰.

Caeterum hanc animi nostri erga eandem gratitudinem fusius Orator noster R.mus Episcopus Pinsensis, Coadiutor meus Metropolitanus, coram declarabit. Qui cum in multis opem D. V. Ill.mae et R.mae imploratur sit, ut tanquam clientem olim suum paterno suea Ill.mae D. sinu fovere non dignetur et favere. Porro autem de statu Ecclesiae Ruthenorum Unitae plenam dabit informationem idem lator praesentium D. V. Ill.mae et R.mae, cuius me favori unice commendo.

Vilnae, 1 Augusti, Anno Domini 1633.

155.

Commendat Unionem Ruthenorum protegendarum et Raphaëlem Korsak in Urbem proficiscentem.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 286v.

Eminentissime et R.me Domine. Domine Colendissime.

Protectoratus D. V. Eminentissimae et R.mae supra Graeciam Universam⁴⁶¹, eo faeliciar est, quo occasionibus de Ecclesia Catholica per totum

⁴⁵⁸ Copia, et proinde non habet finem solitum.

⁴⁵⁹ Nomen huius Praelati notum est nobis tantummodo ex inscriptione in copia in Archivo conservata.

⁴⁶⁰ Fortasse agitur de quodam Praelato S. C. Rituum.

⁴⁶¹ Cardinali Protectori Graeciae, ut videtur, in sinu S. C. de Prop. Fide.

Ritum Graecum benemerendi fertilior. Enimvero si vel ad unicam Russiam oculos converterit D. V. Eminentissima, tot mediis illam S.R.E. obligare poterit, quot illa indies magis magisque per hostium Sanctae Sedis Apostolicae potentiam praemittur modis. Quid vero in particulari hac temporis tempestate pro Ruthenis unitis S.D.N., mediante D.V. Eminentissima, facere possit, rem totam sincere R.mus Episcopus Pinsensis, Coadiutor meus Metropolitanus, idemque Orator nomine meo et Rd.morum Coepiscoporum meorum ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli missus, aperiet. Cui benignas aures in omnibus dari humillime peto. Unum duntaxat obsecrans, ut quoniam dum de Unione Ruthenorum agetur, totius quoque Graeciae, vel maxime autem sedis Constantinopolitanae res vertetur, ita suam apud S.D.N. interponere dignetur authoritatem, quaetenus id quod unice cordi nostro est, et subiectio erga S.R.E. nostra firmetur, et totius Rutheni populi saluti consulatur. Manum interim D.V. Eminentissimae et R.mae humillime deosculor.

Vilnae, 1 Augusti, Anno 1633.

Josephus Velamin Rutschi

156.

Vilna, 1 . VIII . 1633

Francisco Ingoli commendat beatificationem Servi Dei Josaphat et Raphaëlem Korsak in Urbem proficiscentem.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 288.

Ill.ris et Admodum R.nde Domine. Frater Observandissime⁴⁶².

Negotium Canonisationis Servi Dei Josaphat quantas Dominationi Vestrae Illustri et admodum Rndmae peperit molestias, non minus ipsa sensit, quam nos cognovimus, et quoniam ita cognovimus, ut quoniam aliis modis mediisque rependendo non sumus, certe sui nominis et beneficiorum oblivisci ut non debemus ita non possumus. Bonus Deus in Sanctis suis gloriosus, qui eam animi mentem atque sollicitudinem D. V. Admodum R. inseruit ac insecurit, quique nullum bonum opus impraemiatum dimittit hoc quoque quidquid illud est et amoris et oneris pondus inter illa quae centuplaci in hac vita prae-mio decorat, et felici aeternitate in futuro coronat referre dignetur. Quam omnium nostrum erga D. V. Admodum R. gratitudinem luculentius testabitur Rndissimus Episcopus Pinseensis, Coadiutor meus Metrop., idemque Orator ad S.D.N. in gravissimis Ecclesiae Ruthenae negotiis a nobis destinatus. Qui quoniam in multis opem D.V. Admodum R.dae desideraturus sit, addat, obsecro, ad praemissa magni affectus in S. Ruthenorum Unionem testimonia, et qua consilio, qua auctoritate, qua auxilio atque, ut uno verbo dicam, animo manuque dignetur adiuvare, aeternam a nobis gratitudinem a Patre Luminum mercedem expectans aeternam. Me interim D. V. Ill.ri et Admodum R. ex corde commendo.

Vilnae, die 1 Augusti, Anno Domini 1633.

Illustris et Admodum R.ndae D.V. addictiss. Fr. et Servitor Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

⁴⁶² Francisco Ingoli, fido amico et protectori Ecclesiae Unitae.

157.

Vilna, I . VIII . 1633

Cuidam Cardinali S. C. de Prop. Fide gratias agit pro favoribus sibi et Unioni Ruthenorum demonstratis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 288rv.

Ill.me et Rnd.me Domine. Domine et Frater Colendissime⁴⁶³.

Ille bonus Caeli Terraeque Paterfamilias, qui lucernas in sua domo Ecclesiae ponit, ut luceant omnibus qui in illa sunt, felici omne Augusto ac Regio Ill.mam ac Reverendissimam D. V. admovit; et ut augustissimo huic navans operam muneri nullis (f. 288v.) ordinariae Ordinum angustiae inclusus Caniellis in dies magis magisque crescat et augescat, et ut in pristino hoe desudans onere regaliter tandem pro regia animi manusque Vicarii Christi liberalitate ab illo qui unicuique reddit secundum opera sua coronetur. Scio optimè, Patrem Nicolaum Novacium⁴⁶⁴, Agentem olim meum, ansam saepius D. Vestrae Ill.mae et Rnd.mae dedisse bene de omnibus nobis Ruthenis unitis merendi. Sed quia rependendi nullatenus fui, ideo tacito silentio me D. V. Ill.mae beneficia oportuit venerari, et solummodo in indignis meis meorumque suo nomini deditissimorum precibus felicia omnia a Supremo Numine Ill.mae D. V. imprecari. Quam animi erga Ill.mam D. V. gratitudinem clarius testabitur Rnd.mus Raphael Corsach, Episcopus Pinscensis, Coadiutor meus Metropolitanus, a nobis ad limina S. Apostolorum Petri et Pauli in gravissimis negotiis missus. Qui quoniam in multis opem Ill.mae D. V. imploraturus est, eundem plurimum in modum commendo. Quiequid pro illo D. V. Ill.ma ac Rnd.ma fecerit, id totum Russiam Catholicam eidem aeternum obligabit. Me interim D. V. Ill.mae et Rnd.mae humillime commendo.

Vilnae, Augusti 1, Anno 1633.

Ill.mae ac Rnd.mae D. Vestrae addictis. Fr. et Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis.

158.

Vilna, I . VIII . 1633

Commendat negotium beatificationis Servi Dei Josaphat.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 75, fol. 369, 376v.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini, Domini Colendissimi.

Designato in Oratorem nostrum Rev.mo Episcopo Pinscensi, Coadiutore meo Metropolitanu, ad limina SS. Apostolorum Petri et Pauli, opportunum quoque mihi visum est, ut eundem Agentem et Procuratorem in Causa Can-

⁴⁶³ Ex ipso tenore epistolae patet, eam scriptam fuisse cuidam Cardinali, et quidem qui Urbano PP. VIII proximus erat. Inde agitur, ut videtur, de quodam trium Cardinalium Barberini.

⁴⁶⁴ P. Nicolaus Novak, Procurator in Urbe (1626-1633), qui obiit Romae initio eiusdem anni 1633.

nisationis Servi Dei Josaphat cum plenaria instituerem facultate, perque eundem hoc gravissimum Rhutenaе Unionis negotium D. V. Eminentissimis et Rev.mis commendarem. Vos ipsi, Eminentissimi et Rev.mi Domini, prout hoc negotium proprio motu censuistis inchoandum, ita supremo quoque movente Numine desiderato effectui dignentur mancipare. Nos ex nobis in hoc passu nil ultra habere, quam purum desiderare profitemur; a vobis autem, Eminentissimi Domini, totum quod reliquum est expectamus. Qua in re cum fusius praedictus Orator Agensque noster coram D. V. Eminentissimis perorabit, et supplicabit, eidem fidem in omnibus dari humillime peto. Manus denique D.VV. Em.marum et Rev.marum deosculor.

Vilnae, 1 Augusti, Anno 1633.

Em.marum ac Rev.marum DD. Vestrarum humillimus Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque
Russiae.

(Fol. 376v): Sacrae Congregationi de Propaganda Fide.

159.

Ruta, 1 . X . 1633

Excerptum ex litteris ad Raphaëlem Korsak de ingressu Petri Mohila in possessionem Kioviae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 267rv.

Ex litteris⁴⁶⁵ Metropolitae Russiae ad Episcopum Pinsensem, Romae agentem, de data in Lituania, in bonis ipsius Metropolitae patrimonialibus, dictis Ruta, die 1 Octobris, Anno 1633.

Repentinus discessus⁴⁶⁶ D.V. R.mae non permisit me scribere ea, quae modo scribenda occurrunt in negotio meo. Mohila, Archimandrita Peczarsensis, nunc recens consecratus in Metropolitam⁴⁶⁷, ante ingressum suum Chioviam commisit uni certo Pseudomonacho, nomine Musilovschi⁴⁶⁸, et aliis suis Monchis, famulis et Cosacis, ut non tantum ecclesiam S. Sophiae, meam scilicet Metropolitanam Chioviensem, occuparent, sed etiam curiam Metropolitanam, et omnes domos quotquot sunt mei Chioviae. Illi non tantum non expectato Aulico Regio, sine quo in possessionem venire non poterant, sed neque habentes simplicem Praeconem, fractis seris ecclesiam sunt ingressi; postea venientes ad Curiam (quae tam fere longe distat ab ecclesia S. Sophiae,

⁴⁶⁵ Hoc modo inscribuntur quadam copiae litterarum Metropolitae, quas Korsak S. C. de Prop. Fide inspicendas tradidit. An epistolae hae integrae sint, an vero pars tantummodo, non est facile coniicere.

⁴⁶⁶ Hic repentinus discessus, ut videtur, evenit mense Augusto 1633, eam ob causam, ut praeveniret Legatum Regis Vladislai IV, et Urbano PP. VIII verum statum rerum exponeret.

⁴⁶⁷ Vi s. d. « pacificationis religionis graecae ». Erat Metropolita ann. 1633-1647. Unioni ecclesiasticae inclinabat, et sententias doctorum occidentalium scholasticorum praesertim de Sacramentis in theologiam introduxit Ecclesiae non unitae Metropoliae Kiovensis.

⁴⁶⁸ Muzylovskyj Andreas; polemista non unitus anticatholicius. Hie an. 1629 edidit s. d. « Antidotum przeczaczemu narodowi ruskiemu albo warunek przeciw apolozie jadem napel-nionej, kтора wydal Melety Smotrycki », Vilnae 1629.

quam Collegium Graecorum a Porta Flaminia, vulgo del Populo), inde Factorem meum exceedere iusserunt; et quia noluit, apprehendentes manum ipsius, eduxerunt extra Curiam, praesentibus Patribus Dominicanis, et Bernardinis, et uno Praelato Ecclesiae Cathedralis Ritus Latini itemque in praesentia aliquot Nobilium, quos Factor meus ad hunc actum sibi adaptaverat. Tandem res et suppellectilem domesticam diripuerunt, residuum ad domum (ubi erat Factor meus) cuiusdam Nobilis vicini avexerunt.

(f. 267v) Audiens ista Episcopus Chioviensis, Nominatus Luceoriensis, scripsit litteras ad Mohilam, arguendo de tanta insolentia, scripsit etiam ad Serenissimum Regem, quae omnia misit ad me, qui eram tune Minsci, Serenissimus autem Orsae.

160.

Ruta, 25 . XI . 1633

Excerptum ex litteris Metropolitae de gestis Cosacorum contra sacerdotes unitos.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 280-281v.

Ex literis⁴⁶⁹ Metropolitae Russiae ad Episcopum Pinsensem, Romae agentem, de data in Lituania, in bonis ipsius Metropolitae Patrimonialibus dictis Ruta, die 25 Novembris Anno 1633.

Cosaci euntes Smolenscum⁴⁷⁰ quaecunque transiverunt, quaerebant, essentne Sacerdotes uniti. Si inveniebant, male tractabant; si fugiebant, mittebant qui eos quaererent, et adducendo ad se, barbas tundebant, flagris caedebant, fustibus percutiebant.

Bobruisei⁴⁷¹ Dux ipse cohortis qui ducebat mille, tentorium fixit ex adverso ecclesiae nostrae Parochialis; ante omnia quae fecit in hoc, iubet vocari Protopapam (decanus ruralis), et quia venire noluit, violenter tractus est. Ibi sceleratus homo ipse manu propria clava percussit pectus venerandi senis, a quo ictu corruit; tandem eadem clava caput pulsare coepit, ex quo copiosus effluxit sanguis, et manus illius Sacrilegi implevit. Tandem elevari fecit, ad stipitem alligari, tympana pulsari, convocando cohortem, ut omnes transfigerant cum globis bombardarum. Et quia tympanista non est inventus, non subsequutum est hoc parricidium. Sed ille ipse id perpetrare voluit, dicens se ita collimaturum, ut uno globo accepto statim moreretur. Et iam aptabat selopetum, sed centuriones alii, qui tum convenerant, impediverunt, non tam vi, quam precibus; alii Sacerdotes diffugerunt, quo poterant.

Bobruiseenses sacerdotes venerunt hue ad me proponendo has miserias. Inter quos fuit Pater Seliscienski, consecratus a D. V. R.ma in sacerdotem. Hic ex sua domo violenter ductus est ad Centurionem, et nisi tunc Centurio

⁴⁶⁹ Ut videtur, pars tantummodo, quae S. C. de Prop. Fide utilis erat. Tunc temporis Raphaël Korsak commorabatur Romae et negotia Ecclesiae Unitae obibat.

⁴⁷⁰ Ut videtur tempore belli polono-moscovitici an. 1633-1634, quo obsidebatur civitas Smolensensis. Bellum hoc finem habuit in pace s. d. de Polana, die 27 . V . 1634. Tempore hoe belli etiam Cosaci contra moscovitarum exercitum progressi sunt.

⁴⁷¹ In Russia Alba, ad flumen Biaroza.

fuisset in domo Domini Capitanei (f. 280v) loci illius, quo ipse adductus erat, Deus novit quid fieret cum ipso. Sed locum tenens Capitanei impedivit magis precibus quam vi, ne hoc fieret. Venerat antea mandatum ab ipso Duce Cohortis ex Bobruiseo ad hanc Villam, ut Centurio ligatum duceret Sacerdotem huius Villae, propterea quia dictus Sacerdos frequentior esset in ecclesiis Latinorum, quam in propria, et quod cantaret in ecclesiis Latinorum, et esset deterior omnibus aliis Sacerdotibus unitis. Venerat ergo ipse ad me cum alio Praesbytero Bobruiscensi, ecclesiae S. Heliae, quem novit D. V. Magnam habui consolationem videndo quod non caderent animo.

Iudem idem mihi retulerunt de Protopapa (Decanus ruralis) Rohacienviensi⁴⁷², quod animose se gesserit cum Cosacis. Licet Capitaneus loci illius sit Schismaticus, scilicet Alexander Oghinski, licet frater et ex altero fratre Nepos, qui ob irregularitates suas ab exercitio Ordinum a nobis sunt suspensi, monstrarent, se esse Schismaticos coram Cosacis.

Cosaci per omnia loca quae transibant etiam in maioribus Civitatibus, prout Pinsci et Minsei, publice Sacerdotibus nostris dixerunt, se nunc nihil facturos, sed in redditu nullum vivere permisuros, apud quem non invenirent literas a suo Metropolita schismatico, proinde ut irent Chioviam, si vivere vellent.

Pinsei unum ex Sacerdotibus D. V. R.mae in medio foro scuticis caeciderunt, ex eo quia puer quidam transeundo Cosacum, dixit se esse Orthodoxum (Ruteni dicunt Blahociestivii, quod sibi appropriant Schismatici), hunc autem Sacerdotem esse Unitum.

Ibidem Pinsei, in Monasterio nostro Lescinensi, Sacerdotem nostrum, iam assistentem (f. 281) ad Altare et Sacrum Missae Sacrificium peragentem, gladio per portam sacram punctatu frameae occidere conatus est Schismaticus. Sed quia porta remotior erat ab Altari, ipse autem religioni sibi dueebat ingredi illam, propterea Sacerdos illaesus mansit, nisi signum relictum in pia netta. Ubi cumque domum Sacerdotis nostri invenerunt, expoliarunt. Deo Opt. Max. sit laus et gloria quod his pauperculis dederit hanc fortitudinem non negandi ipsum tempore talis persecutionis. Ita se habent res nostraræ.

(f. 281v) 2dae litterae Metropolitae Russiae de Schismaticorum persecutionibus in Ruthenos unitos.

161.

Lithuania, 1633

Compendium relationis de gestis in Comitiis generalibus electionis et coronationis, in damnum Unionis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 166rv.

Compendio della relatione mandata dal Metropolita di Russia di quanto è occorso ne contrasti havuti colli Seismatici nelle Diete dell'elettione, e coronazione del Re di Polonia⁴⁷³.

⁴⁷² In eadem Russia Alba, sed tamen ad flumen Dnipro, civitas fere vicina civitati Bobruiscensi.

⁴⁷³ Electus in Regem Poloniae die 8 Novembris 1632, coronatus vero Cracoviae die 6 Februarii 1633.

Morto il Re Sigismondo 3º di Polonia, li Scismatici di Russia, che con gran travaglio loro havevano visto sotto il buon governo di detto Re crescere l'Unione, e diminuirsi lo Scisma, convennero insieme di non intervenire alla Dieta elettorale, se non si levavano tutti li benefitii e gli Uniti.

Con questa deliberatione arrivati in Varsavia, messero in campo diverse pretensioni contro gli Uniti convenuti in detti Capitoli, per li quali in sostanza, con la pretesa restituzione di molti Vescovati, et Archimandritie, et diversi altri beneficij ecclesiastici di dividersi à proportione tra di loro, et gli Uniti, et con la pretesa facoltà di aprire schuole per lo Scisma, edificare Chiese, erigere Confraternità, stampar libri, et prohibire a gli Uniti il difendersi, venivano a distruggere l'Unione, e a propagare lo Scisma.

Et se bene l'Arcivescovo di Gnesna, et il Vescovo di Vilna, che ha sotto di se un milione de Greci uniti, et i Palatini della medesima Città, et quello di Pischianizi, si opposero gagliardamente, et il medesimo fece il Metropolita di Russia col Nuntio, et con li suoi Vescovi uniti, protestando di non poter far cosa alcuna, senza il consenso del Papa. Tuttavia, perchè non s'impedisce l'elettione del Re, si conclusero con gran violenza li sudetti punti⁴⁷⁴, per mezo del Re di Svetia, il quale li sottoscrisse, e sigillò col suo sigillo.

Havuta dal Metropolita la copia de sudetti punti, ricorse dal Arcivescovo di Gnesna⁴⁷⁵, il quale convocati li Vescovi latini, et alquanti Senatori secolari, si dolse di tale indignità, cioè che si facesse con publica autorità, la quale non era stata letta, ne nel Circolo Senatorio, nè nell'Equestre, presso de quali era legitima autorità. Perciò restarono tutti di protestarsi, come fece l'Arcivescovo suddetto dicendo, che la scrittura de sudetti punti non era stata letta, ne sapeva ciò, che si contenesse, et che non potevano gli Uniti, senza il consenso del Papa concedere cosa alcuna delle contenute in essa. Il medesimo fece il Metropolita con gli altri Vescovi latini, e particolarmente quello di Posnania, assonto per Assessore dal Re di Svetia nella materia delli detti Capitoli, dicendo, ch'era stato scritto in essi il suo nome, se bene haveva consentito, et che si protestava contro di essi.

Nel medesimo giorno successe l'elettione del Re, e si publicò dall'Arcivescovo di Gnesna, et nel seguente si replicarono le proteste, e s'inserirono ne gli Atti.

Intanto gli Scismatici, havuto l'autentico de suddetti Capitoli, sottoscritti dal Re di Svetia, andarono in tutto il Regno spargendo fama, ch'era stata levata e distrutta l'Unione, et che... (f. 166v) lo Scisma, e successivamente disegnarono il Vescovo scismatico di Luceoria, in vigore de suddetti Capitoli.

Il Metropolita con li suoi Vescovi uniti contro detti Capitoli portarono 12 gravami, che si leggono a car. 5, e 6 di questa relatione, li quali sono molto fondati e giusti.

Et se bene li Deputati in difesa de Capitoli suddetti apportarono diversi ragioni, che si leggono in detta relatione a car. 7, e 8, tuttavia gli Uniti rispondono ad esse fondatissime, come si vole alle dette carte 7, e 8.

Dopo tutto questo successo, nella Dieta della Coronatione fu letto il giuramento, che dovea prestare il Re, prima di coronarsi. Et se bene in esso era

⁴⁷⁴ S. d. « puncta pacificationis religionis graecae » an. 1632.

⁴⁷⁵ Joannes Wezyk (1628-1638), qui erat et Primas Poloniae et Interrex Regni Poloniae tempore Interregni.

un'articolo, nel quale il Re prometteva di conservare le ragioni, privilegi, et immunità della Chiesa Romana, nondimeno perchè detto articolo non fu avvertito dalli Scismatici se non il di inanzi della coronatione, et allora se ne protestarono, passò detto articolo, e fu giurato dal Re, il quale, dopo la coronatione proposto il caso dello stato presente della Repubblica, diede ad alcuni Teologi quattro punti da risolvere, che si leggono a car. 9. A i quali risposta di Teologi: negative, se ben'altri tenevano la contraria opinione.

Sentitasi questa risolutione de Teologi, li Nuntii Terrestri cattolici si opposero gagliardamente all'esecutione de suddetti Capitoli, fermati inanzi la coronatione, protestando non poter concedere cosa alcuna, senza il consenso del Papa. Il medesimo dissero il Re, et li Senatori; ma da queste contradditioni divenuti furiosi li Scismatici, vogliono impedire li Comitii, et extrema tentare.

Tuttociò è successo sino alli 3 di Marzo. Alli 23 poi del medesimo Mese, il Nuntio significa con una sua lunga lettera il mal successo di questo grave negotio, e manda la confirmatione de detti Capitoli fatta dal Re, in pregiudicio dell'Unione. Et se bene in detta confirmatione si protesta il Re di venire all'esecutione de suddetti Capitoli nella futura Dieta, tuttavia si vede, che concede à Scismatici l'esecutione dell'i punti più favorevoli allo Scisma, et nocivi all'Unione. Et nella medesima confirmatione fa mentione di uno scritto privato, che non è stato possibile haverlo.

Il Padre Valeriano Magno⁴⁷⁶, mandato per aiutare il Nuntio in questo grave negotio, è ripreso da esso Nuntio, che habbia la sua venuta fatto contrario effetto, scriveva lattera alli 16 Marzo al Sig. Cardinal Barberini in sua difesa, nella quale tra le altre cose dice, che à Roma non è stato il fatto intiero, et che però si sono fatte le risolutioni inviate, le quali non si sarebbero fatte, se si fosse saputo l'intiero fatto. Et vuole il Padre alludere alle leggi del Regno, et al pericolo della Republica, alle quali pero risponde il Metropolita su cart. 7, e 8 della sua relatione.

162.

*In Lithuania, 1633**Attestatio de miraculo in morte Meletii Smotryckyj.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 338, fol. 340.

Attestatio Illustrissimi et Reverendissimi Patris ac Domini
Josephi Velamin Rutschi, Metropolitae Chioviensis totiusque Russiae
Quaecumque dicuntur in hac oratione⁴⁷⁷ de illo miraculo, quomodo Reverendissimus Pater Meletius Smotriscius post mortem Breve Apostolicum ac-

⁴⁷⁶ P. Valerianus Magnus, Confessarius Regis Poloniae, ex Ordine Cappucinorum. Hic Unioni Ecclesiae Ruthenae adversus erat et nimis Regi et non Unitis deditus. Hic etiam Romae causam hanc in favorem Regis perorabat.

⁴⁷⁷ Agitur de oratione in funere Meletii Smotryckyj, habita Dermani. Cfr. J. SUSZA, *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis - Meletius Smotriscius...*, Romae 1665. Haec oratio habetur in Archivo S. C. de Prop. Fide.

ceperit⁴⁷⁸, et retinuerit, ac postmodum in praesentia mea dimiserit, iterumque receperit, denique de admirando vigore manus illius antea ossis in modum induratae, horum omnium locuples testis sum, per authenticum veritatis instrumentum. Tanquam qui et pastoralis vigilantiae, pro debito meo, diligentia, et meo ipsius experimento infallibilem singulorum scientiam deprehendi. Ut autem nullo modo hoc in dubium vocari potest, ita meo iudicio res tantae admirationis ad maiorem Dei gloriam silentio nequaquam involvi debet.

Ita fateor Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae

(m.p)

163.

Ruta, I . II . 1634

Sollicitat expeditionem negotiorum Raphaëli Korsak commissorum.

BIBL. VAT., Barb. lat., vol. 6648, fol. 134, 146v.

HOFFMAN G., Ruthenica, in "Orientalia Christiana", nr. 23, pag. 210-211.

Eminentissime et Rev.me Domine. Domine Colendissime.

Romam expedito in gravissimis Ruthenae Ecclesiae negotiis Rev.mo Epi-
scopo Pinsensi, Coadiutore meo Metropolitano, sperabam futurum, ut intra
aliquod menses ad propria remearet ad dandam consolationem ovibus sibi a
Domino Deo concreditis, maxime tempore novae persecutionis contra Unidos,
quae iam coepit et in dies notabiliter, sic volente Deo, progreditur. Sed iam
illo plus quam medio anno extra Dioecesim morari, mirari satis non possum.
Et quoniam suppono tardiorem negotiorum illi commissorum expeditionem
tantae morae causam esse, humillime supplico Dominationi Vestrae Em.mae
et Rev.mae, et per illam Sanctissimo Domino Nostro, ut quamprimum negotiis
expeditis domum ille reverti possit, ne videatur labores et dolores fugere, qui
modo Pastores Ruthenos manent. Quia vero novo iam sanguine Vinea Ruthena
conspergitur, ad confortandos pauperes illius operarios D.V. Em.ma potentii
sua authoritate apud Sanctissimum Dominum Nostrum id efficere dignetur,
quatenus Servus Dei Josaphat Archiepiscopus Polocen. Ruthenus non minus
totius Regni Poloniae quam Russiae Patronus Suae Sanctitatis, seu verius Apo-
stolico eloquio Beatus declaretur. Sane, Eminentissime Domine, potentius me-
dium ad Sanctam Unionem propagandam non invenimus illo, quam ut ad
sanguinem etiam ex vulneribus Viri Unionis zelantissimi stillantem incitemur.
Quidquid hac in parte per S.D.N. et D. V. Em.mam et Rev.mam hactenus
factum et in futurum fiet, fiat profecto ad maiorem Dei et suae Sanctae Ro-
maniae Ecclesiae et ipsius Sanctissimi Domini Nostri gloriam Manum interim
Dominationis Vestrae Eminentissimae et Rev.mae humillime deosculor.

Datum Rutae, in Magno Ducatu Lituaniae, die 1 Februarii, Anno Domini
1634.

Em.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humillimus servitor

⁴⁷⁸ Breve promotionis ad sedem tit. Archiepiscopalem Hieropolitanam. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, an. 1631.

Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae.
(Fol. 146v): Em.mo et Rev.mo Domino. Domino Francisco Barberini, Cardinali Amplissimo. Domino Colendissimo.

(sigil.)

164.

Varsavia, 5 . II . 1634

Pars epistolae Metropolitae ad Raphaëlem Korsak de statu Ecclesiae Ruthe-nae, de quo ample refert.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 34-37v.

Literae Metropolitae Russiae ad Episcopum Pinseen, de data Varsaviae, 5 Februarii 1634⁴⁷⁹.

1. Status Ecclesiarum nostrarum, quem scire desideras, talis est: mihi Chioviae iam esse ablata omnia antea scripsi; Villulae tantum manserunt penes me, unde conicio Factorem non velle ibi amplius esse, quia pro sequenti anno non tantum non misit pecuniam pro his Comitiis, prout ordinaveram, et ipse promisit, sed etiam nec literas scripsit, unde coniecit me in magnas angustias; expectans enim careo illa pecunia, non procurabam aliunde, nisi ultimo biduo ante discessum, sed et tunc non potui plus acquirere Novogrodeci, nisi quadringtonos florenos, oppignorato argento Ecclesiae, sed sine usura, quia hanc sicut semper timui, ita pro hac vice uti ipsi nolui. Vilnae autem in Confraternitate Misericordiae trecentos florenos accepi eodem modo sine usura deposito ibidem argento.

2. Multi Sacerdotum nostrorum, tam in mea dioecesi, quam Polocen. et Pinsensi male tractati sunt a Cosacis, quando ibant in Moschoviam⁴⁸⁰; aliqua de his omnibus scripsi D. Vestrae R.mae anno superiori, nullus tamen ob has persecutiones quod sciām defecit a nobis; iniunctum his Sacerdotibus erat a Cosacis, ut procurarent literas benedictionis ab ipsorum Pseudo Metropolita, alioqui si in reditu non invenient has apud ipsos, morte esse multandos; sed per Dei gratiam in reditu non multa sunt passi⁴⁸¹. Madelensis Sacerdos dicitur defecisse, sed et hoc nondum certe scio; Visitatio enim illius tractus Osmianensis toto hoc anno non est instituta, propter angustias a Milibus.

3. De aliis Episcopatibus ut ego solus ex nunc scribam ipossibile est, scribam tamen postea (f. 37v). Comitia, invocato auxilio Divino, absolvemus etiam in absentia D.V. R.mae. Dominus Jesus, pro cuius in terris Vicario gloriosus Pontifex Josaphat occubuit, faxit ut ad nos non sine Canonisatione Servi et Patris nostri redeat. Unicum miserae sortis nostrae levamen, unica Unitorum expectatio, confusio Schismaticorum.

⁴⁷⁹ Korsak tune adhuc Romae commorabatur, occupatus in promovenda beatificatione Josaphat Kuncewycz, Archiepiscopi Polocensis.

⁴⁸⁰ Tempore belli polono-moscovitici an. 1633-1634.

⁴⁸¹ Post pacem in Polana, an. 1634, mense Maio.

4. Sribit mihi praeterea R.ma D.V. de officio charitatis fraternae, quod impedit R.mo Archiepiscopo Armeno⁴⁸²; bona quidem est dilectio proximi, sed debet incipere a se ipso, satis multas habet ad quae attendat; praesertim si istud obsequium odium hic in Regno nobis conciliat. Ego nondum presentavi me Serenissimo neque aliis in arce, continui me his tribus diebu's in hospitio.

5. Serenissimus de D. Vestra R.ma quaesivit ex Domino Trisna Unito nostro, quid faceret tam diu Romae; respondit, procurare Canonisationem Josphat; dixit Serenissimus: Martyres non opus habere Canonisatione, constat autem nobis eum esse martyrem, subiunxit postea: sed quare Oratore nostro citius Romam praecurrit? alia non dixit⁴⁸³. Salutet, quaeso, officiosissime meo nomine R.mum Dominum Ingoli.

6. Schismaticorum mala initia in his Comitiis quorum origo haec est. Chropivnickii, Subiudex Braslavien., post obtentum privilegium de erigendis Scholis, Seminariis etc. etc. excitavit omnes Schismaticos illius Palatinatus ad amplas contributiones pro hac fundatione, et brevi tempore perfecit. PP. Jesuitae, qui Vinniae habent Collegium, caeperunt agere contra ipsos, sed violentiae potentiorum resistere non poterant, confugerunt ergo ad loci Ordinarium, Ill.mum Episcopum Luceoriensem, pro auxilio, ipse autem ad Serenissimum. Serenissimus scribi iussit ad Mohilam praesumptum Metropolitam, ut tolleret illas scholas, tanquam incentivum tumultuum, alias dedit ad Capitaneum loci, ut si nollent sua sponte, tolleret ipse autoritate Regali (f. 35), qua ibi fungitur. Procrastinat ipse et differt ad Comitiola vulgo Dieta Particulari. Armant se Schismatici scientes de tali mandato Regio, et sic collecta manu armatorum licet non portaverint arma ex ferro, sed instructi bombardis maioribus et minoribus veniunt ad Comitiola tanquam ad bellum; Catholici nihil scientes de his veniunt in tali numero quo solet venire Nobilitas, et veniunt inermes nescientes de his quae moliebantur Schismatici. Conveniunt in ecclesiam Ritus Latini, locum solitum conventum Nobilitatis, superveniunt Schismatici, et ecce praemissis quibusdam iniuriosis verbis contra Capitaneum procedunt ad arma tam intra ecclesiam quam extra, sed quia extra positae erant bombardae maiores, diplosae sunt recta in ecclesiam, et ibi aliquot occiderunt ex Catholicis, alios terrore consternarunt, ita ut Capitaneus loci cum Catholicis per illa fulmina, ignes, et fumos ex ecclesia se proripuerit et in Castrum illaesus sese receperit, ibi celebravit Conventum cum Nobilitate quae cum ipso fuit, elegerunt Nuntios ad Comitia de iure eligi solitos. Schismatici vero cum Asseclis suis Conventum celebrarunt in dieta ecclesia, et inde Nuncios ad Comitia miserunt, cum contraria instructione illi quae scribatur in Regia Area. Rector PP. Jesuitarum ne deesset sibi et rei catholicae, simul cum Rectore Camenecensi venerunt ad initium Comitiorum pro informatione aliorum Nunciorum ex universo Regno Catholico, apertam vim inferri Catholicis a Schismaticis in Regno. Fervore caepit Con-

⁴⁸² Nicolaus Torosowicz (1626-1681). Cfr. G. PETROWICZ, *L'Unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede*, Romae 1950.

⁴⁸³ Vladislaus IV offensus erat Raphaëli Korsak, quia, praecurso eius Legato Georgio Ossolinski Romae, verum statum Unionis Urbano PP. VIII exposuit et decisionem negativam Sedis Apostolicae obtainuit ad « puncta pacificationis », a Rege non Unitis concessa.

gregatio Nunciorum in tantum ut Schismatici nihil adhuc dixerint de illis punctis in electione contra nos scriptis. Res eo spectare videtur, ut loco moveantur illi, qui a tumultuosis electi sunt. Minantur isti se non daturos contributionem si quae decernetur in Comitiis; ex alia parte tota multitudo Nunciorum decrevit... magis curare pacem publicam et negotium Ecclesiae, quam ipsorum contributioni, et sic certo sperantur non (f. 35v) admittendi ad consilia, quin imo excludendi, et quia inter illos Nuncios duo sunt sediciosissima capita, quibus sediciosiores contra Ecclesiam et rem catholicam non habet universum Regnum. Sic igitur videatur in primo limine ingressus Comitiorum Schisma tam graviter impegit ut videatur in progressu collum fracturum. Consternati sunt Schismatici. P. noster Pachomius⁴⁸⁴ heri visitavit Avunculum suum Chisiel simul cum P. Alexio⁴⁸⁵, invenit ibi Chropivnischii et Nuncios Chozachorum, ubi sine ulla dissimulatione dixerunt sibi iam non superesse alia auxilia ad promovendos suos conatus, tantum hoc affirmabant se esse Catholicos in omnibus idem sentientes nobiscum, et bona intentione ipsos scholas fundare voluisse, ut fieret Universalis Ruthenorum Unio, asseverantes omnes quotquot studuerunt latine esse eiusdem cum ipsis sententiae, et consequenter totam illam iuventutem similem futuram; si hoc tantum bonum impeditur se provocare non ad iudicium Dei etc.

7. Ex multis Districtibus, praesertim Albae Russiae, in instructionibus Nunciorum scriptum est ut secundum puncta electionis compositio fiat in Religione Graeca. Vilnae, Trochis, et in nonnullis aliis, quo pervenerunt literae Schismaticorum, receptae non sunt, ex parte etiam nostra nihil scriptum est. Novogrodecus non audebant producere literas Schismaticorum, etiamsi habuerint, ego in voto meo rogavi, ut legerentur protestationes nostrae tres, primo quidem lithuanica, secundo polonica tandem nostra; impedire volebant Schismatici, sed quia adiuti non sunt ad Haereticis, continuerunt; postea quam lectae sunt, Dominus Marsaleus Magni Ducatus Lith., cui assidebam, dixit, has subscriptiones nos in Comitiis futuris non negabimus. Palatinus Volinia dixit sententiam suam non ut Catholicus, sed ut Haereticus, (f. 36) dicens opus esse nobis pace, controversias in Religione esse comprimendas, multas in multis locis per Regnum iniurias esse illatas DD. Evangelicis, contra illa quae in favorem ipsorum statuta erant in electione, et ita multa effutivit de his quae facta sunt Lublini, de quibus nostri nec sciebant; mirati sunt Catholici quod Volinia tales producat Catholicos; idem dixit multa in favorem Schismaticorum, evicimus tamen ut in istructione de nobis hoc modo scriberetur esse componendum in Religione Graeca, iterum iterumque salvis iuribus Ecclesiae Catholicae Romanae, propterea autem scriptum est bis (iterum) quia immediate ante scriptum est de Dissidentibus.

8. Ecclesiam pro nobis omnibus possibilibus modis et mediis, Domini Dei invocato auxilio, apud S.D.N., Cardinalem Barbarinum procuret, quae extreme necessaria est respectu residentiae nostrae Romanae, quae Unioni S. ut in hoc Regno sit perpetua omnino est necessaria.

⁴⁸⁴ Pachomius Oranskyj, Alumnus Romanus (1624-1626), filius Michaelis et Theodorae Kisilova: proveniebat ex Volhinia.

⁴⁸⁵ Alexius Dubovyč, ut videtur. Etiam hic erat Alumnus Romanus (1624-), dein vero Archimandrita Vilnensis.

9. Mitto Rev.mae D.V. Concionem in funere R.mi Meletii Archiepiscopi, ab uno Patre Societatis, illius Confessore habitam⁴⁸⁶. Traducat illam ex polonica in latinam linguam et offerat S. Congregat. de Propaganda Fide, tanquam autenticum historiae de tanto viro et maximo ac plene hisce saeculis inauditio miraculo Instrumentum. Tenuissem dabitur R.mo D.no Ingoli, ut posset imprimi et S.D.N. dedicari, ut felix illius Pontificeatus ad extremas etiam Christianitatis Oras per derelictos et soli Summo Romano Pontifici relictos Ruthenos propagetur, et propaletur. Sane posteritas habebit quod legat, imitetur, admiretur.

10. Utinam Pater Magnus⁴⁸⁷ admittat bonas informationes, ecce et nunc fuit apud Serenissimum nostrum Leopoli, et ego inveni ipsum Varsaviae; sed nihil potui loqui cum ipso, quia notabiliter declinabat a me, mea familia vidit ipsum (f. 36v) apud PP. Bernardinos et simul iunctos equos pro via, et scivit me fuisse apud Ill.mum Nuncium, tamen nullo signo ostendit se velle salutare me.

11. Quaeso, accipiat a Sua Sanctitate facultatem mihi pro venditione Sciesciolii et Croestii, ut per contractum Videreafi acquiram a Domino Palatino Polocean. bona Dolhinov, quae facili negotio addendo parum ad summam quam modo dare ipsi debebo, habebimus in perpetuum. Causae venditionis istae sunt. Ante annos circiter 70 facta est per unum Antecessorem meum ad instantiam Tasinschii, qui tunc magna pollebant authoritate, transactio. Metropolita bona ipsius Plaszii, in uno loco, Metropolitae autem in commutationem dedit in 12 et forte pluribus locis distantibus a se, idque in 3 Districtibus, quoecirca onera videntur esse maiora, quam census, ratione devastationis militum, et ratione iniuriarum a diversis Vicinis, cum quibus in 3 Districtibus, agendum est iure cum impensis multis, labore, et distractione rei familiaris; reditus autem in omnibus et per omnia vix pertingit ad trecenta scuta monetae Romanae. Bona quae emere intendo ad 4000 scuta reddituum. Pro his iisdem bonis peto facultatem venditionis Rieciaranij, quae in commutationem accepi ab Archimandrita Pieciarensi Chiovien. Schismatico, pro agris quibusdam nostrae Metropoliae Chioviensibus, cuius commutationis confirmationem peto, itemque commutationem Sviranj Metropolitae, qui cesserunt Monasterio nostro Vilnen., pro Ruta, meis hereditariis bonis Metropolitae in perpetuum inscriptis a me; petat etiam confirmationem oppignorationis Bychovicae, et Novogrodovicae, et hoc pro bonis praefatis Dolhinovo; debo enim dare quinquaginta millia (f. 37) floren. quae habere nequaquam potero, nisi ista etiam oppignorem, ad breve tamen tempus, et pro summa non magna.

12. Nepos ex fratre piae memoriae Archiepiscopi Meletii, qui accepit habitum religiosum, et iam fecit professionem in eodem Monasterio Dermanensi, petit ut possit studere in exteris Regionibus, in aliquo Seminario, si posset esse Romae, ultra alios quatuor in Collegio Graeco, quaero procuret in memoriam tanti viri R.D.V. Parens ipsius viaticum, et si quae alia erunt necessaria, suppeditabit.

13. Quia est in iuramento meo, ut nihil alienem ab Ecclesia mea, iam autem aliquos domus Civium Novogradien. ex quibus proventus aliqualis fuit

⁴⁸⁶ Obiit Meletius Smotryckyj die 27 Septembris 1633.

⁴⁸⁷ Cfr. supra, nota 476.

pro Metropolita cesserunt pro erectione Monasterii Patrum nostrorum, pro ratificatione a Sua Sanitate supplicant Patres nostri, quae tamen ratificatio posset esse vivae vocis oraculum, sine scripto, ne Cancellaria gravetur, si nihil solvitur. Sed pro prioribus confirmationibus videtur necessarium esse scriptum, si hoc requirent a nobis illi, cum quibus contractum habemus.

14. Has dum finio per viam secretissimam certo didici Regem ad suum Residentem scripsisse ut procuret apud Patres Generales S. Dominici et S. Francisci de Observantia, quatenus mittant unum ex suis in Poloniam etc. Theologis Suae M., quibus etiam expediatur Breve Apostolicum et titulus Theologorum Apostoliorum; quo fine, quo motore, illi soli notum, qui corda Regum scrutatur. Quod si ita est, (ut certissimum est) procidat ad pedes S.D.N. ut si mittentur illi Theologi in Poloniam, non prius mittantur a Patribus Generalibus, quam a S.D.N. accipiant perfectam informationem quomodo debeat consilium dare in causis ad Unionem Ruthenam pertinentibus; alias actum erit de nobis, si ad illos Duarios res nostraes reducentur. Interim etc.

Josephus, Metropolita

165.

Derman, 12 . II . 1634

De morte Meletii Smotryckyj, nec non commendat negotia principis Sangusko.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 60, 65v.

Eminentissimi ac Rn.dissimi Domini, Antistites
S. Congreg. de Propaganda Fide.

R.mus Meletius Smotrycky Hierapolitanus Archiepiscopus⁴⁸⁸, excessit ex hac vita cum magno dolore meo. Quid porro postquam animam exhalasset circa corpus ipsius in confirmationem S. Unionis contigerit, legatur Eminentissimus ac Rd.mis D. Vestris ex literis, quas scribo ad R.ndissimum Raphaëlem, Episcopum Pinsensem, Coepiscopum meum, pro nunc Romae residentem. Quod si ille ex Urbe iam discesserit⁴⁸⁹, dictae literae pervenient ad manus R.dissimi Domini Ingoli, Secretarii Eminentissimorum et Revd.morum D.V. ac huius S. Congregationis. Illustrissimus Dux Adamus Alexander Sanguszko, Palatinus Voliniaec⁴⁹⁰, promotor S. Unionis in his partibus, petit pro ecclesia sua a Sua Santitate gratias quod comendavit R. Patri Francisco Phaenicio Soc. Jesu; etiam atque etiam rogo ut intercedentibus Eminentissimis ac R.mis D.V. a Sua Sanitate obtineat quod petit bonus iste Princeps. Interim me meaque omnia in obsequium Eminentissimorum ac R.morum D. V. et S. Ecclesiae Catholicae et Apostolicae humillime offero.

⁴⁸⁸ Meletius Smotryckyj. Obiti die 27 Septembris 1633.

⁴⁸⁹ Discessit tantummodo mense Octobri an. 1635.

⁴⁹⁰ Princeps ruthenus natione et Ritu.

Datt. e Monasterio Dermanensi, loco pro tunc residentiae meae, Anno Domini MDCXXXIV, die XII Febrarii.

Eminentissimarum ac R.marum Dominationum Vestrarum
humillimus Servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioven. totius
Russiae (*m p*)

(Fol. 65v): Em.mis ac Rev.mis Dominis, S.R.E. Cardinalibus, S. C. de Prop. Fide Antistitibus. Dominis colendissimis. (*sigil. et notae*)

166.

Ruta, 6 . V . 1634

Commedat negotium cuiusdam Nobilis rutheni, ut videtur Joannis Horain.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 467.

Ill.me et R.me D.ne. D.ne et Fr. Observandissime⁴⁹¹.

Fas mihi sit ista schaedula interpellare paulisper graves occupationes R.mae D.nis Vestrae. Scribo literas ad S. Congregationem de Prop. Fide in negocio cuiusdam Nobilis Rutheni, nunc recens conversi, contra quem insurgunt Schysmatici, honore et bonis privare contendunt ex occasione illegitimitatis, quae per leges nostras publicas infamis est. Statum causae intelliget R.ma Dominatio Vestra ex copia inclusa. Si R.mus Episcopus noster Pinsensis Raphael reliquit ibi aliquem Procuratorem rerum nostrarum⁴⁹², huic R.ma D. V. hanc demandet curam; sin minus, obseero ut dignetur idoneum substituere et ut ista legitimatis Bulla expediatur quam primum vehementer est necessarium. Adversarii enim nostri vel citarunt iam vel citabunt, ut audivi, hunc Nobilem pro termino, quo in supremo Tribunal Regni Poloniae Lublinensi iudicabuntur Causae Palatinatus Volinen; initium autem erit circa festum S. Petri. Item, si fieri potest, ut data huius legitimatis duobus annis antecedat hunc annum. Ultimo, quid pro expeditione mittendum erit, et an Nuncio Apostolico consignanda erit haec paecunia significare mihi dignetur R.ma D. V. Cui me meaque promptissima obsequia offero humillime.

Datae Rutae, die 6 Maii, Anno 1634.

Perillustris et R.mae D. V. addictiss. Fr. et servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metrop. Chioven. totiusque Russiae.

(Fol. 470v): Perillustri et R.mo D.no, D.no Francisco Ingolo, S. Cong. de Prop. Fide Secretario. D. et Fratri Observ.mo.

⁴⁹¹ Franciscus Ingoli, Secretarius S. C. de Prop. Fide (1622-1648).

⁴⁹² Permansit Romae adhuc ad annum 1635, et tantummodo mense Octobri ex Urbe discessit; negotia Ecclesiae iterum Alumni rutheni Collegii Graecorum curabant, praesertim vero P. Philippus Borovyk et Josaphat Isakovyc.

167.

*Ruta, 6 . V . 1634**In negotio legitimationis Joannis Horain.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 460rv, 465v.

Eminentissimi ac Revd.mi Domini, S. Congreg. de Prop. Fide
Antistites amplissimi, Domini Colendissimi.

Inter alia mala quibus maledictum Schisma animas miserorum Ruthenorum in hoc Regno illaqueavit, et etiam nunc illaqueare non desistit, sunt divorzia, quibus a Spiritualibus illorum utriusque parti dabatur facultas novas celebrandi nuptias, in eoque solum consensus Partium requirebatur, etiamsi nullum canonicum intervenisset impedimentum. In talibus matrimonii passim sine ullo scrupolo vivebatur, et qui nascebantur ex illis pro legitimis habebantur. Nunc primum quando beneficio Dei ad gremium Sanctae Ecclesiae Catholicae posteritas ipsorum rediit, intelligere incipiunt, se non ex legitimo natos esse matrimonio, quod in hoc Regno per leges publicas probro ducitur, et quidem quoad Nobiles strictius ista examinari. Hoc motivum fuit Viro nobili, Domino Joanni Horain⁴⁹³, incolae Palatinatus Volinen., Subiudici Cremenecen., confugendi ad me Metropolitam, et per me ad S. Sedem Apostollicam pro legitimatione sui, fratris, et sororum ipsius duarum. Pater enim ipsius, Bogussius nomine, circa Annum Domini 1574 duxit in uxorem Helenam Olessancham, repudiatam a Demetrio Jalowicki, legitimo marito, et genuit filios, Christophorum qui relecta prole mortuus est, et hunc Joannem, qui vivit, filias Catharinam, quae nupsit Isaycenschi, Anastasiam, quae nupsit Zytynschi. Supplex igitur dictus Joan. Horain ad pedes Suae Sanctitatis prostratus petit legitimationem sui, fratris demortui, duarum sororum supra nominatarum, et, si necesse est, proliis ipsorum, quam tamen omnes isti quatuor in legitimo matrimonio generunt, pro quo ego quoque tanquam pro filio meo spirituali (f. 460v), qui professionem fidei catholicae et confessionem coram me anno superiori fecit, itemque sanctam Communionem, intercedo. Et Emin.mas ac Rev.mas D. Vestras humillime rogo, ut per ipsas hoc, quo nomine ipsius peto, a Sua Sanctitate in scripto obtineat. Deus Opt. Max. Emin.mas et R.mas Dominationes Vestras Ecclesiae suaे Sanctae ac Rp. Christianae diutissime servet incolumes.

Datae Novogrodeci, 6 Maii, Anno 1634.

Emin.marum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum
humillimus Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioiensis
totiusque Russiae.

(Fol. 465v): Emin.mis ac Rnd.mis Dominis, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Sacrae Congreg. de Prop. Fide Antistitibus. Dominis Colendissimis. (*sigil. et notae*)

⁴⁹³ Nobilis quidam minus notus, nisi ex hac epistola et concessa legitimatione prolis,

168.

Vilna, 2 . VIII . 1634

Varia negotia : Mors Meletii Smotryckyj, legitimatio Joannis Horain, de occupatione Cathedralis Kioviensis a non Unitis, de Josepho Bobrykovycz, de transmissione litterarum, de Iubilaeo, de morte Hieremiae Bararici, de Duce Zaslavensi et alia.

ARCHIVUM METROP. KIOVIENSIMUM (Petropoli), vol. 1178 (antea 85/10037), fasc. 130, nr. 38.
GOLUBEV S., Kievskij Mitropolit Piotr Mogila i jeho spodvižniki, vol. II, Kiev 1898.
pag. 59-65, nr. XVII.

Reverendissime Domine, Frater observandissime.

Quomodo scribere deberem ad Dominationem Vestram Reverendissimam, quando in ultimis suis, datatis in Februario, scripsit mihi, quod statim post festum Paschatis discessura sit Roma. Sciens ergo hoc, supervacuum esse putavi dirigere litteras ad D.V.R.; confirmabar in hac opinione mea, quod a Februario usque in hanc primam Augusti alias litteras non accepi, quam hodie mihi allate sunt a Domino Rectore Collegii Vilnensis, eaeque binae, ad quas respondeo, utraeque sunt delatae in Maio. Mortem R.mi Meletii ⁴⁹⁴ descripsi et ad Sacram Congregationem de propaganda fide direxi adhuc ex Volinia per Patrem Phoenicium, Jesuitam, cui committebat negotia sua Dux Koszerski, Palatinus Voliniae, itemque Dominus Danilovicz, Thesaurarius Regni; si Pater iste non ivit, mea relatio mansit intra chartas ipsius; alias relationes misi per alia Monasteria nostra et, ut publicaret commendavi; inter alia Vilnam, ubi putabam residere Nuntium Apostolicum, quem hic relinquerem, et ab illo in ipso discessu meo accepi, ipsum esse Vilnae mansurum ad redditum Suae Maiestatis; sed is paucis substitit Vilnae mensibus post discessum Suae Maiestatis. Patres nostri, accepta relatione praedicta, communicarunt eam Patribus Jesuitis et aliis Religiosis, Nuntio autem Apostolico nullus nostrum quidquam scripsit; meae enim litterae, quas miseram ex Volinia ad ipsum, nihil amplius continebant, nisi quod referrent Patres Monasterii ea, quae acciderunt post mortem Meletii Archiepiscopi; has litteras ad Nuntium Apostolicum miserunt, relationem non miserunt; de quo cum expostularem cum ipsis, responderunt se huius opinionis fuisse, quod iam discesserit Romam; mihi etiam hoc ab ipsis scriptum est, quod discesserit Romam; postea tamen, requisitus ab ipso Illustrissimo Nuntio, scripsi, quae scribenda erant; nunc praesentibus includo hanc relationem; sed Illustrissimus Nuntius forte hucusque illam transmisit. De pecunia a Patribus Jesuitis accepta non cito ex litteris R.D.V. resciivi, quae mihi in Voliniam allatae sunt, ubi integra mansi hieme ad accommodandum Monasterium Dermanense, cui inhiabant Puzyna, Schismaticus, et Meletius noster Kopystenski ⁴⁹⁵, habens favores multorum; postquam redii Novogrodem, statim scripsi Patribus Jesuitis Vilnam, scripsi etiam ad Patrem Jamielkowski Varsaviam, quod paratus sum solvere illam summam, sed mittere sit periculosum propter milites, comeantes hinc inde, ut habeant per quattuor

⁴⁹⁴ Obiit die 27 Septembris 1633.

⁴⁹⁵ Neuter Archimandriam hanc obtinuit, quam obtinuit tamen Alexius Dubovyc, Archimandrita Leščinensis.

adhuc hebdomadas pacientiam, et ipse, veniens Vilnam, feram illam mecum, quod et factum est. Novogrodem de Suprasl veni feria quarta magna, Vilnam vero pro festo Pentecostes et eodem quo veni die misi et acceperunt illam, ducentos et triginta ungaricos.

Scripsi ad Sanctam Congregationem de propaganda fide in causa D. Ioannis Horanii, Subiudicis Cremeneccensis, nuper ex schismate ad fidem catholicam conversi. Copiam litterarum praesentibus includo; rogo, Dominatio Vestra R. expeditat, pro expeditione autem illa habeo apud me 85 ungaricos; valerent pro D.V.R. sicut ac centum copae, quas accepit Pater Owloczynski a Domino Capitaneo Samogitia et figluie (sic) putat, quod penes ipsum manebunt.

Scripsoram in Februario ⁴⁹⁶, quod a Mohila abrepta mihi sint non tantum ecclesia Cathedralis Sanctae Sophiae, sed etiam curia Metropolitana ed omnes incolae et cives, quicumque sint Chioviae, et sic mille florenis diminutus est mihi reditus, Korsak enim meus non dedit mihi et ostendit hanc diminutionem, quinimo dixit nec duo milia, quae sunt residua, anno sequenti futura; preterea omnes res ipsius ex Curia ablatae idque non officiose, sed hostiliter; coniux ipsius extra Curiam educta per czerncos (sic), ipsius cosacos et scholares. R. Episcopus Chioviensis ⁴⁹⁷, motus indignitate huius rei factae, commotus, erat autem tunc praesens, scripsit ad Serenissimum ad castra et ad Cancellarium Regni, iussit etiam scribere me et mittere eo; nisi litteras obtinuit ad Mohilam, ut restituat ablata, quam ad Palatinum Chioviensem, ut, si restituere non vellet, ipse ab illo affert et mihi daret; quod quando noluit facere Palatinus, ille tradidit in manus Cosacorum; ita iam Cosaci tenent, nec Palatinus audebat propter praesentia tempora turbulentia.

Iosephus Bobricowicz ⁴⁹⁸ venit Vilnam feria quarta magna, spirans minarum; feria quinta magna, correptus magna debilitate corporis, vix Sacrum finire potuit; ipso die Paschatis, iam lecto affixus, non poterat celebrare, aliquot diebus post vocatus est ad iudicium Dei; confluxerunt magna celeritate ex diversis Monasteriis, erant preterea Nobiles non pauci, eligerunt in successorem ipsius iuniorem Szycik, quo circa indutum habitu religioso miserunt Chioviam ad consecrandum; consecratus in Sacerdotem rediit, tot convivia celebrarunt, postea Szycik senex misit eum ad Comitia Regni bene onustum, vult obtinere privilegium pro hoc novo episcopatu Mscislaviensi et in provisionem Monasterium Grodnense. (Egi cum R.mo Smolensensi, qui venerat hunc ad Tribunal, ut curam habeat meliorem huius monasterii, quam inveni sub adventum Regis, ibi enim nec semel celebrarunt sacerdotes, sed nec campanam tetigerunt; mala sors nostra et hunc sacerdotem, cui ab ipso commendatum erat monasterium, abstraxit nescio quo). Ego vero Grodnam iveram, quia Vilnae non potui habere audientiam, quinque enim diebus tantum substitit Sua Maiestas et, praeter nuptias D. Kasanowski, erat legatio Turcica et multae aliae occupationes bellicae cum Duce exercituum et aliis viris militribus. Grodnae exposui, quod Mohila nec mandato Regio Suae Maiestatis obediire voluit, ablata non restituit, quinimo maioribus involuit difficultatibus,

⁴⁹⁶ Cfr. supra, n. 164.

⁴⁹⁷ Andreas Szoldriski (1633-1636), ut videtur, vel Boguslaus Radoszewski (1618-1633).

⁴⁹⁸ Archiepiscopus non Unitus Polocensis, nominatus a Rege Vladislao IV, vi « punctorum pacificationis » die 14 Martii 1633, obiit vero iam an. 1635. De hac morte agit hic Metropolita.

dando in potestatem Cosacorum. Respondit Sua Maiestas, se scripturam de regia sua plenitudine potestatis. Subiecit aliqua de D.V.R. subridendo; verba Ser.mi ista erant: nam sie skarzye W. M. na X. Korsaka⁴⁹⁹; quando volui scire in quo, respondit: postea dicam; ad has et tunc cognovi D. V. adhuc manere Romae, ego enim certissimus eram D.V.R. vel iam esse ... vel Cracoviae; id ipsum affirmabat D. Osolinski⁵⁰⁰, qui Grodnam ad Serenissimum venit, quod tota aestate vult commorari R. D. V. in Urbe.

Quod scribit de transmissione litterarum: hinc Vilna scripsi bis post discessum R. D. V., sed ipse solvi tantum, quantum ponderabant; hanc solum mihi fecit gratiam Illustrissimus Nuntius, quod in fasciculum suum admisit; ex Volinia vero, quas dedi litteras missae sunt a Palatino Voliniae. Ultimas expediti in causa D.ni Horanii, sed misi honorarium decem hungaricorum D. Auditori, D. Secretario duos, unum Notario, ibidemque Pater Theophilus, quem mittebam, solveritne a litteris separatim, neene, nescio; verum est, quod Illustrissimus Nuntius recusavit accipere viginti ungaricos; nescio igitur, unde istae querelae; ecce et nunc praesentes mittam iam non per Nuntium, sed dirigam ad patrem Cislak et ungaricum intus includam, ut ipse solvat postae; forse necessarium est in litteris scribere: franca, prout scribunt ceteri et quia non scribimus, etiamsi hinc solvamus, item solvitur Romae.

Pro rogatione iubilaei in scriptis non accepi, sed sufficit nobis vivae vocis oraculum. Mors mea etiam in Lithuania in multis locis percereruit, quia valde infirmus eram in reditu ex Volinia et tempore hiemali valde incommodo et quia videbant infirmum in Suprasl, quo pro Annuntiatione B. Virginis convernabant; multi putabant me illum Martium non supervicturum. Idem dictum est, quando veni Zurovicios, tandem Novogrodem; ipse tamen feria quinta magna per Dei gratiam absolvi Pontificalia, licet non consecraverim antemissionem et elutionem pedum omiserim; Rutam veniens coepi melius habere.

De luctuosa morte D.R.N. Barbarigi⁵⁰¹ non habeo, quod scribam, nisi relata referre; scripsi D.V. ante omnia qualiter ipse in hoc Regno acceptatus fuit, obtentis enim litteris a legato Regis Galliae, residentis Constantiopolis, venit ad Illustrissimum Castelanum Cracoviensem, Supremum Regni Ducem exercituum, ab ipso humanissime exceptus est equis ducibus... et centum talentis provisus venit ad me, postquam vidi apud ipsum litteras R. D. Ingoli, non noveram enim ipsum antea, quia non meo tempore fuit in Collegio Romano; videns ipsum esse mecum filium Ecclesiae effudi paupertatem meam, hoc est dedi ipsi Redam corio tectam, quatuor aequos iugales et centum florenos, suasi, ut iret Vilnam ad Illustrissimum Nuntium Apostolicum, Episcopos aliosque Magnates, ad quos omnes litteras dedi. Mansit in nostro Monasterio Vilensi aliquot septimanis non sine onere Monasterii, debebat enim aliter tractari, quam communiter tractentur Patres, discessit Varsaviam, ibi ad Magnates tam ecclesiasticos quam saeculares, devenit etiam ad Illustrissim. D. Archiepiscopum Gnesnensem, ad quem peculiares ferebat litteras, a dicto Duee exercituum Regni, ubique dabatur ipsi per Dei gratiam liberaliter, sed ista

⁴⁹⁹ « Debo conqueri Rev. Vestrae de Patre Korsak ».

⁵⁰⁰ Georgius Ossolinski, Legatus Regis ad reddendam obedientiam post suam electionem in Regem Poloniae.

⁵⁰¹ Episcopus graecus, Sedi Apostolicae unitus, qui in Polonia, Lithuania et Alba Russia eleemosynam colligebat.

liberalitas nostrorum erat causa interitus ipsius; assedae ipsius forte erant schismatici, forte et nostri schismatici (ita enim fertur), quod tamen ego non affirmo; animos aliis parricidis addiderunt; eundo igitur ab Illust. Archiepi-scopo sub civitate Ravensi, devectus est ab illis sceleratis in silvam densam — deviatum est ipso non advertente periculum forte — et aurigam, qui erat Valla-chus, in suam pertraxerunt sententiam et motum Arabem, qui fuit apud me, ita immaniter trucidarunt, caput divisorunt a reliquo truncu corporis et alio asportarunt, abiicientes totum nudum. Non cito post a pastoribus corpus inventum est, Ravae multis denuntiatum est; quo nuntio accepto, Palatinus Ravensis misit equites et pedites, qui conquererunt omnia et caput inventum est, postea in civitatem illatum et honorifice a Patribus Jesuitis inter Patres ipsorum sepultum. Hoc affirmatur ab omnibus, qui inde veniunt, et pro miraculo habetur, quod corpus huius nec a feris, nec a volucribus, quibus plena est illa silva, tactum; alii alia adiungunt forte magis ex sua devotione, quam quod sit in re ipsa, quod scilicet aves maiores et quidem carnivorae defenderint corpus et caput a bestiis silvestribus, quod visa sint lumina, et caet. et caet. Serenissimus Rex noster dolet vehementer mortem ipsius, alias paratus erat uti opera ipsius et honorare ipsum.

De Duce Zaslaviensi scripsi ad D.V.R. ex Volinia, ut habendo ipsum Romae utatur bene hac occasione; scripsi ego litteras ad ipsum commendando Patrem Ioannem Dubowicz in Archimandritam Dermanensem (Ill.ma D.na Palatina Vilnensis acceptavit illum cum magno affectu). Item atque item rogo, obtineat legitimationem pro hoc bono viro et qui non fuit postremus inter Schismati-cos, iam nobis confessus est et se communicavit. Domina Kuchmistrowa, mater Domini Adami, valedixit nobis statim post Pascha et Byteni sepulta. Dominus Mieleszko etiam vexillifer Slonimensis, sepeliendus Zyroviciis, pro anima pa-tris nostri maximi orient, quaeso. Ista sunt, quae occurunt. Ecclesiam S. Paraskevae Pater Alexius altis muris erexit et tegula texit; videtur habere formam satis magnae ecclesiae tam ab extra, quam ab intra; diversos modos quaerunt Schismatici, ut illam occupent; sed si hucusque illaesa fuit, credo, quod et in posterum penes nos manebit. Si Pater Magnus rectificaretur et vellet studiose facere, quod bonum est, multum potest apud Suam Maiestatem; utique ces-savit impedimentum Moschovicum per Dei gratiam, quod timebatur; Cosaci non taliter apparuerunt, qualiter promiserunt. Rogandus Dominus Deus, ut adiuvet nos contra Turcas.

Deus Optimus Maximus det firmam sanitatem, in rebus agendis prosperitatem Dominationi Vestrae R.mae, cuius SS. orationibus me etiam indignum commendo.

De Domino Dyszkowski istud hic Vilnae dicitur: si comparebit in vestitu doctorali, maioris auctoritatis erit in civitate, quam si venerit vestitus vulgari-ter. Hic fuit aestas sicissima, propterea in multis locis laboravimus inopia panis; ego Prylepos discedo circa festum S. Michaelis, non longo ibi forte tempore mansurus. Nescio quid mussitant apud nos de Comitiis in Februario; valde male ageretur meeum, quia non haberem sumptus pro Comitiis, nam ad haec duarum septimanarum Comitia in omnem eventum misi Patrem Pachomium. (Pater Simeon iam alter annus ex quo nullos voluit accipere novitios cum dolore meo, etiamsi erant personae). Patres Jesuitae antiquo more fa-

ciunt nobis charitatem, Patres enim Carmelitae licent nobis velle bene, non possunt tamen; praeterea hoc sciat, quod debet transferri Bytenia in alium locum commodiorem et non subiectum voluntati Dominorum; per omnia monasteria laboramus in opia apparationum. Duas nobis offerunt fundationes, pro tertia Domini Komienski forte accipiemus pecuniam, non possumus enim habere tot loca. Dominus Cieszynski, Canonicus Vilnensis, qui optime est D.V.R. notus, dixit mihi, se habere in commissis a Capitulo⁵⁰² et vult ibi esse in Octobri. Si scirem R.V.D. venturam in autumno, differrem in illud tempus, ad adventum R.D.V., quia necesse est, ut habeamus ex parte nostra aliquem; licet ipse est bonus amicus noster, qui hodie est apud me in prandio, cum novo Sufraganeo, Domino Nieborski.

Datum Vilnae, 2 Augusti, Anno 1634.

Reverendissimae D.V. frater et conservus
Josephus, Archiepiscopus.

169.

Vilna, 2 . VIII . 1634

Relatio Metropolitae de morte Meletii Smotryckyj.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 362rv.

Historia authentica Ill.mi et Rnd.mi Metropolitae totius Russiae, data ad Episcopum Pinseensem, Anno 1634, 2 Augusti, de morte Archiepiscopi Hieropolitani⁵⁰³.

Post separationem animae a corpore⁵⁰⁴, iuxta consuetudinem Monachorum orientalium, facies et manus spongia in aquam calidam intineta absterae sunt, et dehinc indumenta posita, quae ab ipso defuncto erant designata, et sic corpus relictum est per horas quinque, et totum erat gelidum, non tantum ratione exanimis cadaveris, sed etiam hyemis; acciderat enim hoc in Decembri. Unius rei, ordinatae a defuncto, oblii sunt tres, qui assignati erant, ut curam haberent corporis, hoc est non dederunt in manus Breve Apostolicum pro Archiepiscopatu Hieropolitano⁵⁰⁵, ipsi a moderno Summo Pontifice collato, quod ipse defunctus, ut facerent, demandavit. Accepit igitur unus illorum dictum Breve et quia manus iam obriguerat, quae erat supra pectus extensa, imponunt dictum Breve inter policem et palmam. Postea in aliam manum hoc est sinistram posuerunt literas Chirotoniae coniurationis a Theophane Patriarcha Hierosolymitano⁵⁰⁶; et ecce digitii manus dextrae, qui erant extensi, strinxerunt hoc Breve ita fortiter, ut membrana huius Brevis contraheretur, quod ipsi, advertentes, volebant melius reponere hoc Breve ut esset sine rugis. Interim vident manum contractam, quae erat extensa, quae-

⁵⁰² Textus omnino corruptus et illegibilis.

⁵⁰³ Meletii Smotryckyj. Obiit die 27 Septembris 1633.

⁵⁰⁴ Obiit in monasterio Dermanensi, ubi erat Archimandrita.

⁵⁰⁵ De data 5 Junii 1631; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 482, nr. 412.

⁵⁰⁶ Anno 1620, Kioviae. Cfr. etiam J. PELESZ, *Geschichte der Union*, vol. II, pag. 148.

runt unus ex altero, quis contraxisset; negat omnes, conantur deducere digitos, et iam non possunt; conantur extrahere Breve, tam a police, quam ab auriculari et non possunt, apprehensam membranam trahunt sursum, et ecce tota manus attollitur; obstupuerunt; alia autem manus prout erat deducta, in quam membrana Patriarchae erat reposita, decidit ad latus sinistrum, et illae literae remanserunt supra pectus, quas manus illa sinistra non tangebat. Considerant exactius, examinant circumstantias, agnoscunt manifestum miraculum, in lachrymas resolvuntur; post significavere aliis Monachis, tunc dormientibus, erat enim papulo ultra medium noctis, concurrunt, significant postea Centuriiori militum, qui eo missus erat cum Cohorte a Patrono huius loci, ne Episcopus Schismaticus nunc recens creatus occuparet dictum Monasterium. Hic Centurio multis experimentis scire voluit posset ne haec membrana extrahi e manibus; incassum laboravit, et prout erat Vir devotus gratias egit Domino Deo, quod in confirmationem Sanctae Unionis faciat ista admiranda. Postridie hoc emanavit ad Villam, in qua sunt circiter trecentae domus, accurrit omnis sexus, et aetas, intra triduum per totam illam Regionem percrebuit ille rumor, et statim currebant, tangebant, etiam cum irreverentia venerandi illius corporis, trahebant dictum Breve in tantum ut (verba sunt illius Centurionis) cum literis non tantum manus mortua attolleretur, sed etiam ipsum caput. Schismatici curiose contemplabantur, nonne esset Breve agglutinatum manui, vel (f. 362v) ligaturis subtilioribus alligatum, et quidem nonnulli ipsorum sparserunt hoc in vulgus, et a plerisque creditum est, sed isti convicti sunt mendacii, dum alii non tantum Catholici, sed etiam Schismatici volebant penitus scrutari. Octiduo post mortem huius Antistitis venit Josephus Metropolita, evocatus ab ipso dum adhuc viveret ex Lithuania per literas, salutavit mortuum tanquam vivum, dietis aliquot verbis, quae tunc ipsi affectus suggesserat. Vicarius Monasterii ostendit miraculum, accipit literas, et ecce dimittit e manibus, obstupuerunt omnes. Dixit Metropolita, opus hoc esse Dei, simile illi, quod factum est in mortuo S. Alexio, qui chartam, quam mortuus tenebat, nec ulli hominum dare voluit, nisi Papae; hoc ipsum et praesens mortuus agnoverit venisse Vicarium Papae, et tunc illum demittere literas. Impositae sunt iterum, strinxit ille iterum, nec ulli dimisit, prout antea referebant omnes, qui non tantum videbant, sed etiam palpabant, nisi biduo ante sepulturam manus dextra ita mollis redditum est ac si viventis esset, et tunc iam multis, iam praesertim Religiosis latinis et Ruthenis unitis dimittebat. Volebat benignissimus Deus hoc evidenti miraculo confirmare Primatum Papae in hac parte Volinae, in qua maxime oppugnabatur; pertinacissimi enim et valde malitiosi sunt Schismatici in Ostrog et circumcirea; cum iisdem literis sepultus est. Metropolita iussit pingi imaginem; in perpetuam rei memoriam expressum est hoc miraculum, reliqua quae paulo ante mortem et in ipsa morte Servi Dei Archiepiscopi Meletii contigerunt, scripta sunt in contione funebri, quam fecit unus ex Societate Jesu in praesentia multorum Catholicorum utriusque Ritus, Schismaticorum et Haereticorum.

170.

Vilna, 1634

*Ex litteris Metropolitae ad Episcopum Pinsensem, ut videtur sub data
2 . VIII . 1634, in quibus inter alia narrat de motibus non Unitorum.*

APF, Scritt. rif. n. Congreg. gen., vol. 336, fol. 40-41v.

Brevis Relatio
de motibus Schismaticorum contra Ruthenos Unidos anno 1634.
Ex literis⁵⁰⁷ Metropolitae Russiae ad Episc. Pinsensem.

Petrus Mohila⁵⁰⁸, Archimandrita Chioviensis, accepto privilegio a Serenissimo Rege consecratus est in Pseudometropolitam Russiae. Inter alia quae maximo damno Unionis fecit, consecratis tum Pseudo Episcopis, tum pseudo Presbyteris quamplurimis, quos per totam Metropolim longe lateque dimisit. Et impune propter Privilegium Serenissimi cui contra aliquid dicere (multo autem minus facere) penitus non potest Metropolita catholicus. Inter alia inquam eripuit non tantum catholicam ecclesiam Cathedram Chioviensem, S. Sophia nuncupatam, quam ab aliquot fere saeculis plane dirutam sumptibus propriis, iisque maximis Metropolita praedictus catholicus insigniter restauraverat, sed et Curiam Metropolitanam, et omnes Cives Chioviens, cum redditibus Metropolitanis, ipso Metropolita in summa paupertate relicto. Reverendissimus Episcopus Chioviensis motus indignitate huius rei (erat autem tunc praesens Chioviae) scripsit ad Serenissimum in Castris Maschoviticis adhuc existentem, et ad Reverendissimum Regni Cancellarium, iussit scribere Metropolitae, et eo mittere; misit, literas obtinuit tam ad Pseudo Metropolitam praedictum, ut restitueret ablata, quam ad Palatinum Chioviense, ut si restituere nollet, ipse ab illo afferret. Sed homo ille versutus hoc subolfaciens tradidit omnia bona in manus Cosacorum, ita iam Cosaci tenent, nec Palatinus quidquam proficere audet, aut potest. Ita scilicet reddidit Schisma audax blanda Serenissimi indulgentia licet fortassis non malo fine toleratum.

(f. 40v) Postquam Serenissimus rediit ex Moscovia Vilnam, ubi quinque tantum diebus substitit, nullomodo potuit habere audientiam Metropolita, quia totus fuit intentus expeditione legati Turcici et rei bellicae; sed secutus est Serenissimum Grodnam usque, ubi exposuit illi quod Pseudometropolita mandato S.R.M. obedire noluit, ablata bona Metropolitanana non restituit, quinimo maioribus involvit difficultatibus, ad Cosacorum manus illa devolvi faciens. Respondit quidem in favorem Serenissimus, sed tamen nullus hucusque secutus est effectus. Subiecit aliqua de Episcopo Pinsensi, et in specie illa formalia verba: Conqueror R. V. de Episcopo Piscensi; dum vero Metropolita replicaret, velle scire in quonam, respondit: Postea dicam, expectabo adhuc (addit Metropolita in literis ad Apiscopum Pisciensem). Si pater Magnus⁵⁰⁹

⁵⁰⁷ Pars epistolae ad Raphaëlem Korsak, tunc Romae commorantem, qui copiam hanc S. C. de Prop. Fide tradidit.

⁵⁰⁸ Archimandrita Kioviensis (ab an. 1627), dein Metropolita Kioviensis non unitus (1633-1647), ordinatus a Metropolitae Moldaviae extra confinia Regni. Rediit et Metropolitam in suam recepit manum, pulso Isaacio Kopynskyj Boryskevyč (1633).

⁵⁰⁹ Cfr. supra, nota 476.

rectificaretur, et vellet studiose facere quod bonum est, multum posset apud S.R.M. Utique cessavit impedimentum Moseoviticum per Dei gratiam, quod timebant. Cosaci non taliter se gesserunt prout promiserunt. Haec illc.

Noviter creatus Pseudoepiscopus Mstislavien.⁵¹⁰ contra Cathedram sanguine Josaphat aequisitam, Archiepiscopi Polocen.; venit Vilnam feria quarta magna, spirans minarum contra S. Unionem. Feria quinta magna correptus magna debilitate corporis vix Sacrum finire potuit, ipso die Paschatis iam lecto affixus non poterat celebrare, aliquot diebus post, vocatus est ad iudicium Dei. De morte illius haec adduntur.

1º. Quod ex 600 sacerdotibus Ruthenis, qui sunt in Diocesi Polocen. et Mstislavien., tantum duo ei adhaeserunt, et unus eorum subito extinctus est, reliqui omnes in Unione permanserunt.

2º. Quod 3 diebus ante mortem petierit ad se vocari aliquem Confessarium ex Unitis. Schismatici vero responderunt, illum propter ardente febrim in phraenesi actum. Cum ergo id a suis obtinere non posset, dixit se mori morte Meletii, Archiepiscopi Hieropolitani⁵¹¹ (utinam autem paenitentia illius illum paenitet), quo dicto expiravit.

3º. Quod statim post mortem tota caro illius in partes scissa diffissaque est. Concors fuit medicorum opinio, illum veneno sublatum. Tantum mercenarius a scabiosis ovibus merebatur.

4º. Quod post mortem eius confluxerunt magna celeritate Monachi ex diversis monasteriis, praeterea Nobiles non pauci elegerunt in successorem illius unum ex Civibus Vilnensibus⁵¹²; quocirca indutum habitu Religioso miserunt illum Chiovien ad ordines suscipiendos. Redit statim consecratus actu Presbyter, plurimis conviviis celebratis, a parente suo missus est ad Comitia Regni proxime absoluta, auro bene onustus, ut obtineret privilegium pro hoc novo Pseudo Episcopatu Mstislavien. et in provisionem Monasterium nostrum Grodnense.

5º. Quod Varsaviam dum venisset nominatus hie Pseudo Episcopus, inventit alium eiusdem farinae Serenissimo praesentatum pro dicto Episcopatu Mstislavien. a Pseudometropolita praedicto. Hinc ipse contentus ut esset tantum Chorpiscopus et Vicarius in Spiritualibus Pseudometropolitae per Lithuania, hoc curabat maxime, sperans se intentum obtenturum.

Praeterea additur, quod etiam Schismatici duos elegerint ambitiosos pro Episcopatu Praemisliensi, quem eripere volunt Unitis; Sed Serenissimus adhuc neutri dedit Privilegium. Timetur tamen quod, si convenerint in unum, facile sit datus.

Denique Smolensci ecclesia data est Schismaticis; cum hic Episcopatus plane erectus sit pro Unitis⁵¹³. Ut iam Romam misit Privilegium Archiepiscopus Smolenscen. pro quo nunc etiam humillime supplicat, ut possit a S.D.N. confirmari.

⁵¹⁰ Josephus Bobrykevyc (1633-1645). Nominatus a Rege 14.III.1633, et dein a Petro Mohyla consecratus.

⁵¹¹ Meletii Smotryckyj, qui in Unione Ecclesiae Romanae obiit in monasterio Dermansensi, die 27 Septembris 1633.

⁵¹² Revera in hac eparchia non unita successit Bobrykevyc Sylvester Kosiv (1635-1647), dein Metropolita non unitus Kioviensis (1647-1657).

⁵¹³ Inde ab anno 1625, postquam Smolenscum ad Regnum pertinere cepit Poloniae. Tunc temporis cathedram hanc obtinebat adhuc Leo Kreusa (1625-1639).

Tot tantisque malis remedium unicum est ut, quoniam proximo Februario Comitia Generalia sunt celebranda, S.D.N. Brevia diversa scribere dignetur: 1º, ad Serenissimum Regem, ne ad effectum producat quod promisit (f. 41v); 2º, Encyclicas literas ad omnes Episcopos latinos; 3º, ad eosdem Episcopos Brevia particularia; 4º, ad praecipuos Regni Senatores⁵¹⁴.

Ut scilicet omnes inherentes protestationi a se factae contra Schismaticos, tam in Comitiis electionis, quam in coronatione, non permittant Unitos Ruthenos opprimi a Schismaticis. Maxime in his Comitiis ut de Summa Rei Unitorum agetur et nisi Sanctissimus hoc modo impidieret, omnia quae promissa sunt Schismaticis, Unitis auferentur.

171.

(Varsavia), 19 . I . 1635

Relatio, ut videtur, Metropolitae de negotiis et difficultatibus Unionis anno 1634.

APF, *Scritt. rif. n. Congr. gen.*, vol. 336, fol. 146-147.

Brevis Relatio de rebus Unionis Ruthenae.

Metropolita Russiae⁵¹⁵ venit Varsaviam mense Novembri proxime elapso, ut in Synodo Provinciali Episcoporum latinorum, quam tunc celebrabat Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Primas, cum reliquis Episcopis et Clero suae Provinciae, rebus Unionis consuleret. Licet enim illi haec Synodus intimata non fuerit, cum ille extra Provinciam Archiepiscopi Gnesnen, existat, tamen partium suarum duxit Ecclesiam Ruthenam in dicta Synodo tum ipsi Primi predicto tum reliquis illius Suffraganeis commendare.

Ubi post diversas consultationes haec pro Unione concluserunt, et in acta Synodi retulerunt.

1º. Literas ad Serenissimum Synodales scripserunt, Unionem commendantes.

2º. Rursus pro Canonisatione Servi Dei Josaphat tanquam Regni Patroni Sanctissimo supplicant Synodi et Regni totius nomine, in eundemque finem unum ex Clero Romam mittere decreverunt.

3º. In Comitiis generalibus proximo Februario futuris, ad alterutrum Serenissimum Regem ac Regni Senatores (f. 146v) inducere promiserunt. Scilicet ut vel ad cognitionem Jurium, de quibus inter Unitos, et Schismaticos controvexitur, Ordines Regni descendant, ita ut in praesentibus Comitiis, per specialem Constitutionem intimaretur tam Unitis quam Schismaticis, quatenus in aliis Comitiis post annum unum duosve futuris parati compareant ad iurium productionem et ultimam Regni circa illa sententiam. Forma Iudicii haec esset: Serenissimus Rex cum Senatoribus utriusque Ordinis, hoc est Spiritualibus et

⁵¹⁴ Brevia haec, si erant missa, verbis tantummodo valde generalibus de Unione et rebus religionis tractabant.

⁵¹⁵ Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637). Hoc documentum videtur esse Metropolitae Rutskyj, quia Raphaël Korsak, Metropolitae Coadiutor, qui solitus fuit scripturas confidere res Unionis concernentes, tunc sane Romae commorabatur.

Secularibus; ex Equestri vero Ordine sex deputari deberent, quorum omnium sententia deberet utraque acquiescere.

Vel etiam comitiali Constitutione Synodus Ruthenis intimaretur, in quam Uniti quam Schismatici comparere deberent, in eademque praesente Serenissimo vel aliis Senatoribus, ad hoc deputatis, Uniti cum Schismaticis de Juribus ecclesiasticis et temporalibus non iam per strepitum iuris, sed quasi per modum colloquiorum in charitate saltem politica de rebus suis conferrent.

Metropolita itaque supplicat S.D.N. ut haec pro Unione Ruthenorum facere dignetur.

1º. Dignetur scribere literas ad Episcopos latinos excitando illos (f. 147), ut prout caeperunt in Synodo proxima Unitorum causam agant in Comitiis Regni.

2º. Ut licentiam dare dignetur Metropolitae alterutro modo supradicto cum Schismaticis rem suam transigendi.

3º. Ut dum Synodus haec Latinorum proxime celebrata ad confirmandum Romam mittetur, in ea expresse S.D.N. inserere dignetur ut omnes Regni Ordinarii eorumque Suffraganei et Vicarii, et omnes universaliter Praelati et Clerus Unionem Ruthenorum, ubicunque possunt, promoveant et defendant.

172.

Varsavia, 14 . II . 1635

De legitimatione Joannis Horain, de relatione Georgii Ossolinski, de transitu de Ritu Latino ad Ritum Ruthenum.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 32-33.

Copia literarum R.mi Metropolitae Rutheni ad Episcopum Pinsensem⁵¹⁶, de data Varsaviae 14 Februarii 1635.

Ante decem dies⁵¹⁷ scripsi D. V. R.mae de illis quae tunc occurrabant, nunc scribo de aliis, de quibus me nova emergentia scribere iubent. De legitimatione hanc mihi movet difficultatem Ill.mus Nuncius, quod S. C. de Propaganda Fide scripserit ipsi, ut prius agat cum Rege, antequam Domino Horain illam tradat; vereri quippe videtur S. C., prout mihi literas legit Ill.mus Nuncius, ne includatur aliquid in hoc negotio, quod respiciat statum illius Provinceiae politicum; sed egi cum Ill.mo Nuncio ne hoc faceret, hoc est Serenissimo Regi nihil diceret, potius enim hoc obesset quam prodesset, et in quo nulla hucusque fiebat difficultas, ipsi nobis ultro accerseremus; dixi causas matrimoniales in hoc Regno esse solius Fori Ecclesiastici, dispensationes etiam, legitimations etc. etc., nec ullam legem huic potestati ecclesiasticae esse contrariam. Praxis etiam in hoc Regno a primordiis fidei christianaee est talis, ut si adfertur ad Iudicium saeculare Decretum Judicis ecclesiastici de matrimonio, consequenter de legitimatione, in disquisitionem nequaquam vocatur, sed integre acceptatur. Scribit igitur Ill.mus Nuncius ad S. C. circa hoc pree-

⁵¹⁶ Raphael Korsak, qui tunc Romae commorabatur.

⁵¹⁷ Litteram hanc habere non est nobis datum, fortasse quia S. C. de Prop. Fide non fuit praesentata.

cise (f. 32v) punctum. Quaeso advertat D.V.R. ut bonum, quale huic negotio est necessarium, veniat responsum, alioqui Nobilis ille perderet expensas, et quod magis est, propalaretur quod ipse vult esse secretum. Nullus enim hucusque hoc titulo vocavit ad ius nec fortasse vocabit ipsum unquam. Hoc autem quod petiit, petiit me suadente, qui hac occasione adduxi ipsum ad ecclesiam. Rogo iterum atque iterum proponat hoc diligenter Rend.mo Domino Ingoli, ut ipsi quam primum reddatur istud Breve. Omitto quod ipse habebit pro informatione, si hoc dieetur Serenissimo Regi, quia nunc vel nullus scit quod ipse sit illegitimus, vel Rutheni, qui hoc sciunt pro nihilo ducunt.

Hodie relationem fecit legationis suaे Romanae Dominus Osolinski⁵¹⁸, in qua timui ne aliquam mentionem ficeret D.V. R.mae, sed nullam fecit, nisi forte indirecte, dum enumeraret qui bene meriti erant adducebat quemlibet, nulla facta mentione D. V. R.mae manco male. In eadem relatione praedictus Dominus Osolinski aperuit mentem San.mi, Schismaticis in toto contrariam, addidit tamen haec verba: Tamen Sanctissimus haec omnia prudenti zelo Maiestatis Vestrae relinquit. Qua relatione absoluta, Serenissimus deputavit quosdam Senatores spirituales et saeculares, nobis bene affectos, ad moderandam hanc summam differentiam; assignabuntur perendie alii ex Equestri Ordine. Utinam ut in solo speramus Domino ita in aeternum non confundamur.

(F. 33) Advertat diligenter ut licitum six ex Ritu Latino transire ad nostrum Alumnis nostris, quos alemus, victum nobis et illis ad M.D.G. mendicantes. Schismatici enim Nobiles non dabunt nobis suos filios. Unitos paucos adhuc habemus; si non habebimus juvamen a Latinis, actum est de nobis. Ut taceam non posse melius promoveri Unionem cum S.R.E. quam per filios Latinorum, qui cum lacte fidem catholicam imbibent, neque norunt quid sit Schisma. Experientia nos docuit per hos 40 annos, qui et ipsi fuimus Ritus Latini, et mutavimus Ritum iussu et mandato Sanctissimi⁵¹⁹. Credo autem nos hoc nomine de nobis et de Ecclesia Catholica non fuisse nec esse male meritos. Interim etc.

Varsaviae etc.

173.

Varsavia, 27 . II . 1635

Depositiones Metropolitae ut' testis iurati de persona promovendi ad Cathedram Kiovensem Latinorum nec non de Ecclesia Kiovensi.

ASV, *Processus Consistoriales*, vol. 35, fol. 477-482v.

(*Depositiones Josephi V. Rutschi in processu promotionis ad Episcop. Chioviensem Adm. R. D. Alexandri Sokolowski*).

In nomine Domini. Amen.

Praesenti pubblico Instrumento... sit notum, quod anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, indictione ter-

⁵¹⁸ Georgius Ossolinski, Legatus Regis Vladislai IV ad obedientiam Urbano PP. VIII reddendam.

⁵¹⁹ Tempore Clementis PP. VIII. Rutskyj erat nativitate calvinista, et a PP. Societatis conversus, Ritui Latino nomen dedit.

tia, die vero XXVI mensis februarii, Pontificatus autem S. in Christo Patris et D.N.D. Urbani Divina Providentia Papae octavi, anno eius XII, coram Ill.mo ac Rev.mo D. Comiti Honorato Vicecomiti⁵²⁰. Ill.mus ac Rev.mus D. Nuntius Apostolicus... mandavit testes infrascriptos ex officio ad se vocari ut super interrogatoriis infrascriptis per D.S. Ill.mam formatis secreto per eandem D.S. Ill.mam exaudiri possent, praestito in eiusdem manibus iuramentum de veritate dicenda in forma communi...

Nomina testium examinandorum.

1. Ill.mus ac Rev.mus D. Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovensis (*sequuntur alii 8*).
- Interrogatoria de quibus supra fit mentio.
1. An cognoscant Adm. R.D. Alexandrum Sokolowski⁵²¹, quomodo, a quanto tempore circa, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, familiaris, aemulus, aut odiosus.
2. An sciant in qua civitate, aut loco, et dioecesi dictus Adm. R. D. Alexander sit natus, et quae sit causa scientiae.
3. An sciant ipsum natum esse ex legitimo matrimonio atque honestis atque catholicis parentibus, et quae sit causa scientiae.
4. An sciant cuius aetatis sit, praesertim an expleverit annum vigesimum, et quae sit causa scientiae.
5. An sciant eum esse in sacris ordinibus constitutum, quibus, a quo accepisse istos, praesertim an ante sex menses, et quae sit causa scientiae.
6. An sciant eum esse in ecclesiasticis functionibus et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione Sacramentorum frequentem, et devotum, et quae sit causa scientiae.
7. An sciant eum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permansisse, et quae sit causa scientiae.
8. An sciant eum praeditum esse innocentia vitae, bonisque moribus et an sit bonae conversationis et famae, et quae sit causa scientiae.
9. An sciant eum esse virum gravem, prudentem et praestantem, et quae sit causa scientiae.
10. An sciant eum aliquo gradu in Jure Canonico vel in Theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore, et quo fructu ipse Theologiae vel Juri Canonico operam dederit, et an vere ea doctrina quae in Episcopo desideratur et requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae.
11. An sciant eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum, aut regimen Ecclesiae se exercuit, et quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem et mores, et quae sit causa scientiae.
12. An sciant eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam, vel aliquo corporis aut animi vitio aliove canonico impedimento tentus, quominus possit ad eandem Cathedralem promoveri, et quae sit c. scien.

⁵²⁰ Honoratus Visconti, Nuntius Varsaviensis (1630-1635).

⁵²¹ Alexander Sokolowski (1635-1645).

13. An eum idoneum existimant ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem Chioviensem, ad quam ipse est promovendus, an dignus qui ad illam promoteatur, et an ipsius promotionem eidem Ecclesiae futuram utilem et proficuam esse censet, et quare ita existimet.

Interrogatoria super statu Ecclesia Chioviensis.

1. An testis sciat in qua provincia sita sit civitas Chiovia⁵²², cuius situs, qualitatis et magnitudinis sit, quot complectens domos et a quo Christifidelibus inhabitetur, cuius dominio in temporalibus subiacet, et quae sit causa scientiae.
 2. An sciant in illa Civitate esse ecclesiam Cathedralem, sub qua invocatione, cuius structurae, et qualitatis, an aliqua reparatione indiget, et quae sit causa scientiae.
 3. An sciant cui Archiepiscopo sit suffraganea, et quae s.c.s.
 4. Quot et quales sint in dicta ecclesia dignitates, canonicatus et alia beneficia ecclesiastica, quis sit numerus omnium Praesbyterorum et Clericorum inibi in divinis intervenientium, quae sit dignitas maior post pontificalem, quales sint redditus dignitatum, canonicatus et aliorum beneficiorum, et an adsint praebenda theologales et poenitentiaria, et quae sit causa scientiae.
 5. An in ea cura animarum exerceatur, per quem, an sit in ea fons baptismalis, et quae sit causa scientiae.
 6. An habeat sacrarium sufficienter instructum sacra supplectili ceterisque ad cultum divinum et ad pontificalia exercenda necessariis, chorum, organum, campanile cum campanis, et coemeterium, et quae sit causa scientiae.
 7. An sint in ea corpora, vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum, quomodo asserventur, et quae sit causa scientiae.
 8. An habeat domum pro Episcopi habitatione, ubi et qualem, quantum distat ab ecclesia et an reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae.
 9. An sciant verum valorem reddituum mensae episcopalnis Chioviensis, ad quam summam summatim ascendant, in quibus consistant, et an sint aliqua pensione onerata, ad cuius favorem dicta pensio sit reservata, et quae sit causa scientiae.
 10. Quot existant in illa Civitate ecclesiae Parochiales, et an unaquaeque habeat fontem baptismalem, quot item in illa existant Collegiate, quot monasteria virorum et mulierum, quot confraternitates et hospitalia, et an ibi sit Mons Pietatis, et quae sit causa scientiae.
 11. Quanto sit ampla Dioecesis Chioviensis, et quae loca complectatur, et quae sit causa scientiae.
 12. An in ea erectum sit Seminarium, quot in eo pueri aluntur, et quae sit causa scientiae.
 13. An ipsa Ecclesia Chioviensis vacet, quomodo, a quo tempore, et quae sit causa scientiae.
- Eodem anno, inductione et Pontificatu, quibus supra, die vero XXVII mensis februarii supradicti, examinatus fuit Varsaviae in Palatio Apostolicae

⁵²² Cfr. depositiones aliorum testium iuratorum in A. G. WELYKYJ, *De Kiovia (Kyiv): 1595-1785*, in «Analecta OSBM», vol. II (VIII), fasc. 3-4.

Residentiae supradicti Ill.mi ac Rev.mi D. Nuntii Apostolici, et per D. S. Ill.mam Rev.mus D. Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae, aetatis suae anno 61 circiter, testis ex officio vocatus, qui delato iuramento veritatis dicendae prout tacto pectore more Episcoporum iuravit, dixit et depositus prout infra, videlicet:

- Juxta I. Cognosco Adm. R. D. Alexandrum Sokolowski iam ab annis circiter octo, et causa cognitionis fuit occasione mortis uxoris D. Palatini Chioviensis, Ducis Zaslaviae⁵²³, qua occasione habuit ipse D. Sokolowski concessionem funebrem, non quidem ipsius essequevis, sed in alia ecclesia in oppido Zaslavia, et ab inde postea ex conversatione cum ipso habita, et non sum illi consanguineus, cognatus, neque affinis, neque nimirum familiaris, nulla vero est inter nos aemulatio, vel odium.
2. Nescio in quo loco et dioecesi sit natus idem D. Sokolowski.
 3. Fama publica est eundem D. Sokol. natum esse ex matrimonio legitimo et ex honestis et catholicis parentibus, et familia illius nota est nobilis in Regno, et cum sit Canonicus Cathedralis Gnesnensis, ordinarie eam non potuit habere, nisi nobilis et ex legitimo matrimonio.
 4. Puto eundem Rev. D. Sokolowski habere annos quadraginta, ex illius aspectu.
 5. Ex quo tempore eundem D. Sokolowski noscere coepi semper cognovi ipsum sacerdotem, et vidi pluries celebrantem.
 6. Prout ex aliorum relatione audivi, et praesertim a viris religiosis, idem D. Sokolowski solet frequentissime celebrare Sacrum, in functionibus vero ecclesiasticis aliis arbitror non esse diu exercitatus, quia iam modo sequitur Curiam Regiam, postquam videlicet a Societate Jesu exivit, cum vero in ea Religione fuit et concionabatur et reliqua munera eius Religionis obitat, ut a Patribus Societalis audivi.
 7. Ex quo tempore cognosco eundem D. Sokolowski semper catholice vixit, et in fidei puritate permansit, similiter credo antea vixisse, et permansisse, siquidem circiter decem annos fuit in Societate Jesu, a qua, prout a Patribus ipsius Societatis audivi, non est ob culpam ipsius dimissus, sed ad malam informationem Generali datam. Unde cum Generalis melius deinde fuisse informatus, literas scripserat ne amplius dimitteretur, sed quia iam ex primis mandatis dimissus fuerit, ideo ille in statu praesbyteriali manere voluit.
 8. De innocentia vitae et bonis moribus ipsius D. Sokolowski audivi ab aliis quod ita sit, et partim etiam ex conversatione deprehendi; quod vero sit bonae conversationis, et famae similiter ex auditu et ex mea conversatione scio; hoc tantum de eo affertur, quod habeat amicitiam cum Pseudo-Metropolita Ruthenorum Schismaticorum, fortasse id erit propterea cum ille futurus sit Episcopus Chioviensis, ubi iste Pseudo Metropolita solet residere, id facit ut ibi cum maiori pace esse possit.
 9. Idem D. Sokolowski, ut ex conversatione, ex aliorum dictis cognovi, est vir gravis et vere prudens, et nuper Commissarius Regius fuit ad dilimi-

⁵²³ Agitur de Alexandro Zaslavskym, filio Janusii. Obiit 14 Novembris 1629, Leopoli, ubi venit ut nomine Regis praesideret Synodo Unitorum cum non Unitis, ad concludendam Unionem Universalem. Uxorem habuit Eufrosynam Ostrožskam, filiam Janusii Ostrožskym, quae obiit an 1628, et sepulta fuit in Zaslav. Agitur, ut videtur, de exequiis anni 1628.

tanda confinia cum Moschis, post pacem initam cum eis, quam commissio nemen bene et feliciter expedivit, sicuti et alias regias commissiones eodem modo explevit.

10. Idem D. Sokolowski dedit operam theologiae, in quo loco ignoro, et in studiis bonum fecit prefectum; audivi enim illum concionantem et adverti illum bene possidere res ecclesiasticas, prout et alii retulerunt, et fuit Praefectus Studiorum in Collegio Patrum Societatis Luceoriae, quod munus Patres non solent demandare, nisi eis, qui bene in litteris profecerunt; quod vero fuit ibi Praefectus audivi.
11. Ignoro an idem D. Sokolowski curam animarum exercuit, vel Ecclesiam aliquam rexerit.
12. Ignoro an idem D. Sokolowski dederit aliquando publicum aliquod scandalum circa fidem, mores, vel doctrinam, nec scio nec audivi laborare aliquo animi vel corporis vitio, aut canonico impedimento, quominus possit fieri episcopus.
13. Existimo eundem D. Sokolowski idoneum ad bene regendam Cathedralem Chioviensem et dignum, qui ad illam promoveatur, eiusque promotionem futuram utilem et proficiam illi ecclesiae, et ita existimo ex eius doctrina, rerum experientia et bonis moribus.
Deinde fuit deventum super statum Ecclesiae.

Iuxta 1. Civitas Chiovia est in provincia Russiae, quae aliquando fuit metropolis Russiae universae, sita in loco declivi, partim in plano, partim in colle ad fluvium Boristenes, templa habet aliquot lapidea, domus vero ligneas, non est muro cinta, civitas satis ampla, constat circiter mille et quingentis domibus, inhabitatores numerari possunt circiter decem millia, et in temporalibus subiecta est Regiae potestati et dominio; habitatores sunt pro maiori parte Ritus Graeci schismatici, quorum numerus modo non occurrit, sunt et Armeni schismatici, Haeretici vero non sunt, nisi forte aliqui, tamen publicum exercitium non habent; est ibi una pars quae vocatur Biskopie, quoniam ea pars civitatis etiam in temporalibus ad Episcopum pertinet. Patres etiam Dominicani habent temporalem quandam iurisdictionem in certa parte civitatis, quae non habet peculiare nomen, quod ego recordor, et haec scio, quia Chioviae fui diversis vicibus, ibique mansi duabus aut tribus septimanis.

2. Ecclesia Cathedralis Chioviae est intra eandem civitatem, sub qua invocatione nescio, lapidea et bonae structurae, an indigeat aliqua reparacione ignoro, nam ante quinque annos eam non vidi.
3. Episcopus Chioiensis subiectus est Archiepiscopo Leopoliensi, prout communiter audivi et rubricellas Officii divini ad eo... accipit.
4. Est in ea Cathedrali Chioviensi exiguis Canonicorum numerus, forte quatuor aut sex, est Praepositus, ut mihi videtur, si sit aliqua dignitas ignoro, non est ibi aliqua Praebenda theologalis, aut poenitentiaria quae ego sciam, sunt aliqui Vicarii, quorum numerum ignoro, omnes proventus inservientes tam canonicis quam Praeposito et aliis Ecclesiae Praesbyteris ad duo millia florenorum pol. computantur, quos percipiunt ex quodam oppido Breceski nuncupato, et fortasse ex aliis etiam fundis et iuribus,

- de hoc tamen mihi non constat, et praemissa audivi a Canonicis eiusdem Cathedralis.
5. In eadem ecclesia Cathedrali Chioviensi exercetur cura animarum et est fons baptismalis, ibi enim ista fieri debent, cum non sit alia ecclesia Praesbyterorum saecularium catholici ritus, sed tantum duae ecclesiae Regularium, scilicet Dominicanorum et S. Francisci de observantia, quos Bernardinos vocant.
 6. Non vidi Sacrum Cathedralis Chioviensis, audivi tamen habere sufficientem ad Saera et Pontificalia exercenda, et quia intra ipsam Ecclesiam non fui, non possum dicere, si ibi chorus, organum et caetera habeantur, sed puto habere.
 7. De existentia reliquiarum in ea ignoro.
 8. Prout audivi ab aliis, est Chioviae domus pro Episcopo lignea, an propinque sit Cathedrali, vel egeat reparatione ignoro.
 9. Ut audivi ab Episcopo Chioviensi Rev. Bogoslae Radoszewski⁵²⁴ modo Luceoriensi, proventus mensae episcopalies Chioviensis communiter computantur ad decem millia flor. pol. et ultra, eosque constare in oppidis, tabernis, molendinis et bonis stabilibus.
 10. Non est alia Collegiata ecclesia, sunt Patres Dominicanii et Bernardini, ut iam dixi, non sunt Moniales, fortasse sunt Confraternitates apud Religiosos, de hospitali et monte pietatis ignoro.
 11. Episcopatus Chioviensis comprehendit sub se totum Palatinatum Chioviensem, qui extenditur ad centum milliaria pol. circiter, paucae tamen sunt Ecclesiae Latini Ritus, forte non ultra viginti, sunt Jesuitae in oppido Faustovo, quod etiam in temporalibus est Episcopi, et ibi solent Episcopi residere, an alibi sint alii Religiosi ignoro. Universa vero illa Dioecesis abundat Ritu Graeco Schismatico, et hoc scio, quia ibi fui.
 12. An sit ibi Seminarium ignoro, sed credo non esse, habent Patres Societatis Jesu scholas in oppido Faustovo.
 13. Ecclesia Chioviensis ad praesens non vacat, sed dicitur vacatura per translationem moderni Episcopi ad Ecclesiam Premisiensem.
- Sic adest subscriptio testis: Ego Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae prout supra deposui et in fidem meo nomine subscripsi* (m.p)

(*Sequitur depositio P. Petri Mieszkowski S.J.*).

174.

Varsavia, 1 . III . 1635

De tentamine Regis Vladislai IV componendi Unidos et non Unidos secundum quaedam puncta, quae enumerantur, cum responsione a Metropolita Regi data. Constitutio quaedam etiam contra Unidos paratur.

* APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 28-29.

⁵²⁴ Boguslaus Radoszewski, Episcopus Kioviensis (1618-1635), translatus ad cathedram Luceoriensem (1633-1638).

Copia literarum Metropolitae Russiae ad Episcopum Pinsensem⁵²⁵, de data Varsaviae, 1-a Martii 1635.

Ingressi iam sumus Purgatorium, confidimus in Bonitate Divina quod sane egrediemur, licet nonnullis spoliati. Sit nomen Domini benedictum. Serenissimus Rex noster per Illustrem Dominum Ossolinski, Thesaurarium Curiae, nunc autem Marsalchum Nunciorum, misit ad me puncta, secundum quae componere vult nos cum Schismaticis, et sunt talia.

1°. Civitates esse in potestate Regia absoluta, propterea nec Ordo Senatorius, nec Equestris potest praescribere Regi, quid facere debeat vel non debeat, hinc sequitur liberum esse Regi ad suas Civitates mittere Commissarios, quanto vult et quos vult, nec in Comitiis esse agendum de hoc.

2°. Monasterium Mohiloviense et Grodnense debere manere penes Unidos.

3°. Scholas latinas quas aperuerunt Schismatici claudere debent.

4°. Episcopatus Luceoriensis debet esse penes R.mum modernum Unitum, ad vitae ipsius tempora; post decepsum debet dari per electionem Schismatico.

5°. De templis Vilnensibus vult Serenissimus scire, quae concessa sunt Schismaticis.

6° Ablata Metropoli:ae cum ecclesia Cathedrali Chioviae, Curia ipsius (f. 28v) Civium, et omnium quaecunque habuit in Civitate Chioviensi, debere manere penes Schismaticos, propter bonum pacis.

7°. Obsignationem Privilegiorum novorum, Schismaticis datorum, differt Serenissimus ad adventum Cancellariorum, quia solum Cancellarius Lithuaniae adest, et hic obsignare non vult. Vice Cancellarius Lithuaniae abest, tactus Paralisi, et quidem in extremis positus, fungi hoc officio non potest. Cancellarius Regni nominatus Episcopus Cracoviensis nondum rediit ex Commissione Prussica. Vice Cancellarius nondum etiam venit.

8°. Monasteria Premisiensia differt Serenissimus ad electionem novi Episcopi, qui nondum est nec forte erit, quoad vivent praesentes competitores; unus enim non est terrigena Premisiensis, alter, qui est terrigena, bigamus est. Haec sunt puncta mihi allata.

Metropolita respondit ad puncta S.R.M.

Convocavi statim 6 Episcopos nostros, postridie autem convocabimus saeculares nostros Unidos, Dominum Palatinum Trocensem, Senatorem, Dominum magistrum Culinae Regiae, Nuncium, cum aliis. Omnibus visum est, ut ego respondeam Domino Ossolinski; adeundo ipsum in Hospitio feci. Dixi: nos quidem non negare Serenissimo Regi absolutam potestatem in Civitates ipsius Regias, non tamen in ecclesias et sacerdotes; proinde Commissionem illam esse damnosam statui nostro ecclesiastico, ob rationes quas longum esset recensere, quas (f. 29) ut referrem coram Serenissimo rogavi ut ipso intercedente haberem audientiam ubi etiam darem rationem de ecclesiis Vilnensibus non traditis, itemque de ecclesia mea Metropolitana Chioviensi, de oppido circa illam sito, de Curia et Civibus, circa ipsam manentibus, mihi non iuridice sed violenter ablatis, et de aliis, quae continebantur in punctis mihi datis; promisit ipse; sed bacchanalia intervenerunt, et hanc audientiam nondum habuit.

⁵²⁵ Raphaël Korsak, Coadiutor Metropolitae Kioiensis, tunc Romae commorans in negotiis Ecclesiae Unitae.

Constitutiones Commissionum contra Unitos.

Heri lecta iam est Constitutio in negotio Unionis, ubi sunt posita ista verba: Quod secundum pacta conventa⁵²⁶ et secundum assecurationem nostram, inhaerentes punctis pacificationis de Religione Graeca, ad effectum deducimus, et hac lege perpetua secundum illa tam Unidos, quam non Unidos manere volumus. Haec sunt verba Constitutionis vel potius oppressae Unionis.

Ill.mus Archiepiscopus⁵²⁷ fecit declarationem nomine suo, Episcoporum et Unitorum, quod non consentiant, nolle tamen propterea turbare Remp. et inepta reddere Comitia; propterea habere se permissive vel potius negative. Et tales manifestationes se velle dare ad Acta. Eadem fuit declaratio per Ill.mum Cancellarium Regiae Suae Maiestatis, quod similiter non concedat, sed permittat fieri talem legem, etc.

Interim me SS. suis orationibus etc.

Varsavia, 18 . III . 1635

175.

De constitutionibus in damnum Unionis latis, de itinere Metropolitae non uniti Vilnam, de damnis illatis Metropolitae et Episcopis. De periculis amissionis bonorum et apostasiae, nec non de procurandis Alumnatibus et Alumnis pro Ritu Rutheno.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 336, fol. 42-43v.

Copia literarum Metropolitae Russiae ad Episcopum Pinscen.⁵²⁸, de data Varsaviae, 18 Martii, Anno 1635.

Post triplices in praesentibus Comitiis scriptas ad R.D.V. literas, ista contigerunt. Omnia puncta electionis ad executionem dedueta sunt. Commissio quoque data est, et Commissarii sex pro Polonia, todidem pro Lituania assignati sunt, qui in toto Regno et Lituania Civitates, Oppida Castella, et Villas peragrantes a nobis Catholicis ecclesias recepturi sunt, et Schismaticis tradituri. Commissionem omnibus iniuriae numeris absolutam, postmodum habebit; Privilegium Schismaticis datum hic includo. Addo etiam Protestationem contra praeatum Privilegium factam. Multa hinc scribere non possum, ne vel temerarium iudicium intercedat de quibusdam, vel ne creemus nobis nociva odia illorum, qui putant nos accusare semper Roma illos. Fusius credo perseribet ea omnia Ill.mus Nuncius Apostolicus ad S .Congregationem de Propaganda Fide. Et D.V.R. quaeso cauta sit in dicendis istis; quin imo non nisi selectis dicat Patronis, idque, in quantum fieri potest, sub sigillo secreti. Sciat autem Sanctitas Sua de nobis filiis indignis, quod ista turbant quidem

⁵²⁶ Novus Rex confirmabat privilegia Nobilium Regni Poloniae in unum corpus redacta occasione electionis, sub nomine «pacta conventa» i. e. in Comitiis electionis. Ut vota Nobilium obtineret, candidatus plus quam iustum erat et bono Reipublicae conveniebat, confirmabat.

⁵²⁷ Metropolita Kioviensis, ut videtur. Aliae protestationes erant etiam ex parte Archiepiscopi Gnesnensis et aliorum Episcoporum.

⁵²⁸ Raphaël Korsak, Coadiutor Metropolitae Kioviensis.

nos, sed nec unum hucusque per Dei gratiam ita turbarunt ut animo caderet, licet auribus nostris audivimus Decretum contra nos latum, sex Episcopi nostri et ego septimus.

Antagonista meus Pseudo Metropolita Chioviae⁵²⁹, pro festo Pentecostes dicitur venturus Vilnam cum maximo apparatu, ut sicut ante annum possessionem adiit Chiovien., ita hoc anno adeat Vilnae. Eodem ego quoque, nixus divino auxilio, procedam. Caeterum duo hic Varsavia iam discessurrus addo. Alterum de quibusdam Privilegii Schismaticorum punetis. Alterum de non-nullis quae a Sanctissimo in his extremis nostris necessitatibus omnino obtinere curabit D.V.R., si Sacrosanctam Ruthenorum Unionem sartam tectamque velit.

(f. 42v) Nos Unitos maxima ex parte reductos esse ad extremam fere paupertatem. Inprimis enim mihi ablata est ecclesia Cathedralis Chioviae, cum toto oppido Chiovien. circum illam sito; Archimandritia Vidubicen, cum omnibus bonis; quorum omnium fructus adaequabat redditum, quem habebam ex pauperculis bonis in Lituania. Reliquerunt quidem quasdam Villas Chioviae, sed illis tanto magis eedere debeo, quanto minus iam sum resistendo, amissa Cathedra et Curia Archiepiscopali mea, quasi iam locum non inventiens ubi pedem figam Chioviae.

Episcopus Luceorien.⁵³⁰ (praeterquam quod advitalitius tantum nobis est) insigni spoliatus est annuo censu, mille scutorum omnino, quippe cum Serenissimus per scriptum quoddam speciale quasdam illius villas dederit Pseudo Episcopo Luceorien. in vita, adhuc in coronatione, et nunc confirmavit.

Episcopo Premislien.⁵³¹ insignia sua Monasteria ablata sunt, et quae facile medietatem reddituum Episcopali exaequabant.

Tanto magis vero post mortem meam et R.morum Episcoporum Luceorien, et Premislien, cum Successores nostri ad illa, quae in punctis proposita sunt, degradabuntur, quomodo pauper in Episcopatu unitorum status retinebitur cogitet D.V.R.

Monasterium nostrum Vilnen, actu amisit bona Pecerent. Mohiloviae amittet quoque brevi bona Torocani dicta, quae Pseudo Episcopus modernus Luceorien.⁵³² actu possidens Archimandritiam Zidicensem tanquam ad dictum Archimandritam spectantia repetet; quibus duobus ablatis maiori ex parte reditibus destitutum extreme mendicabit.

Ut taceam quod per Commissionem brevi futuram, plures a nobis ecclesiae auferentur, et consequenter plures Sacerdotes catholici pellentur, quos proinde ex mensa nostra alere omnino tenebimur. Quae cum ita se habeant consideret S.R.E. et labenti Unioni manus porrigat necesse cum aliis quos Spiritus Sanctus facile inspirabit (f. 43), tum vero his quae mihi in hoc instanti occurront.

In primis autem uno ore omnes ad pedes Sanctissimi procedentes suppli-

⁵²⁹ Petrus Mohyla (1633-1647).

⁵³⁰ Hieremias Počapovskyj (1621-1636).

⁵³¹ Athanasius Krupeckyj (1610-1652).

⁵³² Athanasius Puzyna, electus post obitum Isaacii Czerčekyj. Puzyna dein Unioni cum S.R.E. inclinabat, imo etiam professionem fidei catholicae emisit, tempore Metropolitae Raphaëlis Korsak (1637-1640).

camus, ut quoniam undique affligimur et vexamur sive offensoribus prostituti, sive defensoribus destituti, in patentes omnibus Catholicis sinus nos Ruthenos unitos receptos fovere et protegere dignetur, nec permittere ut amplius subsanent nobis, qui nos circumdederunt. Servum Dei Josaphat inter Sanctos referat, ut saltem alba hac Ecclesiae in sanguine Martyrum triumphantis amictus stola abstergat omnem lachrymam ab oculis nostris, quod dicto plus madefacient praesentium miseriae afflictionum. Ibimus profecto gaudentes a conspectu consilii si Martyr Josaphat ut digne passus pro nomine Iesu Sanctae Sedis Apostolicae sententia declarabitur.

Timemus vehementer tentationem plurium Sacerdotum nostrorum, ne ablatis sibi ecclesiis ad pauperatem extremam redacti animum quoque despondeant et nos deserant, et metus his in pusillos illorum animos cadat. Et vel maxime ne a nobis propter bigamiam suspensi aut repulsi ad Schismaticos desciscant. Omnibus proinde modis curet, ut dispensationem pro bigamis obtineat. Plura enim subiecta vel allicere vel retinere possemus, quae hunc defectum insigni animarum profectu possent compensare. Miror D.V.R. tam negligenter huius puncti alioquin gravissimi habere curam, quod et oretenus inculeaveram, et toties scriptis literis revocarem. Notet obsecro diligenter si vult de pluribus animabus bene mereri.

Occasione dispositionis praesentium Comitiorum de redditibus Mensarum nostrarum episcopalium vehementer timemus, ne successu temporis diversis praetextibus a nobis auferantur, proinde tenemur curare ut saltem residuum illud qualemque demum sit in optimo statu collocetur. Illud occurrit medium, ut bona illa quae mihi aliquam causant difficultatem, vendam, et securiora nomine Metropolitae (f. 43v) uniti emam. Obtineat ergo, obsecro, licentiam pro me alienandi et in melius commutandi bona Metropoliae. Utique qui vitam meam in servitium Ecclesiae Dei devovi damno Ecclesiae meae non spero me futurum Deo et velle et proficere donante.

Paupertatem quoque nostram sciendo, supplicet Sanctissimo ut non amplius obligemur ad dandum depositum pro redditu nostrorum, quos Romam mittimus ad Collegium Graecum. Quia propter illas quas principio scripsi miseras a missione nostrorum in Urbem desistere debebimus, cum maximo Unionis Sanctae detrimento.

Quia operarios in Messe Ruthena paucos admodum video, praevidens labores, qui maxime nos manent, in evel lendis his sensibus, quibus Agrum Dominicum repleverunt praesentia Comitia, supplicet S. Congregationi de Propaganda Fide, ut nobis submittat Cooperatores, praecepit autem his duobus modis.

Primo, ut dent licentiam illis Alumnis Pontificiis cum in aliis extra Urbem Collegiis, tum in speciali in Alumnatu Vilnen. et Brunsbergen. nunc Pultovien, ut qui aspirarent ad Religionem nostram ingredi possent.

Secundo, quod iam antea etiam scripsi, ut det Sanctissimus licentiam, ut ad nostrum seminarium, quod Deo iuvante molimur, possimus recipere iuvenes Latini Ritus, eo fine, ut ad Religionem nostram disponamus. Alias vehementer laborabimus defectu personarum, hoc tempore persecutionis.

Denique ad complementum crucis nostra additum in Privilegio novissimo, ut Schismaticis caedat ecclesia Biela dicta, quam hoc sexennio Seminarii nostri

magnis sumptibus cum insigni Seminario a fundamentis ereximus in loco nullo nomine Schismaticis obnoxio, sed pure nostro; ad nuda tamen Schismaticorum verba pulsum sua possessione Seminarium. Dominus Deus sit in omnibus benedictus.

176.

Minsk, 1 . VIII . 1635

De receptione Longini Brancovitii, Episcopi Joanopolitani, in unionem Ecclesiae Catholicae, nec non in communionem Metropoliae Kiovensis.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 136, fol. 389-390v.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 68-69 (orig.).

Josephus Veliamin Rutschij dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Chiovien. Halicien. totiusque Russiae Metropolita.

Sacerosanctum esse Unionis vinculum ipse Deus Opt. Max. in quo omnis perfectionis inhabitat plenitudo, nedum in omnibus quae bonitas eius ad extra patrare dignata est, satis manifeste nos erudit operibus, verum etiam tanto luculentius in semetipso exprimit, cum non minus hunc nexum, quam bonitatem, sapientiam, potentiam caeteraque divina sua propria sibi ostendit esse attributa. Et cum primis id clare in supersubstantiali eius elueat natura, in qua etsi quidem tres confitemur personas, unam tamen essentiam unumque Deum credimus, idem quoque in omni tam spirituali quam corporali animadvertere est Creatura, quam in utramque Deus Opt. Max. pro ea quam eis indidit capacitate, semper sibi iunetam esse voluit, docens nos quanti sibi apud ipsum pretii haec incomparabilis Unio, et e contrario, quam abominabile ante oculos eius omne dissidium. Quam splendida fuit a prima sua conditione universa Angelorum natura, qui quamdiu in unione cum Deo Creatore suo subditi illi permanebant, in Coelo ipsi habitationem obtinere meruerant. At postquam nonnulli e Principibus eorum illa qua omnem aliam Creaturam sine comparatione superabant decepti pulchritudine, iugumque prioris suum executientes subiectionis similes Altissimo esse cupiverunt, dicto citius omnipotenti eius dextra altissimis suis deturbati sedibus, atque in longissime abinde distans praecipitati infernale baratrum. Sed et hominem vix dici potest quam rectum idem Omnipotens Deus condiderat et per originalem sibi copulaverat iustitiam, qua tamen Satanas primum Parentem nostrum per summam expolians invidiā, faedeque a Divino eius avertens obsequio in infinitas corporis et animae iniecit miserias. Quid vero iam dicemus de his quae proxime diluvium sunt subsecuta temporibus; erat tunc universa terra unus populus et unum labium omnibus, coeperunt filii Noe aedificare turrim, ut eius culmen pertingeret ad Coelum, constitueruntque non desistere a cogitationibus suis, donec eas completant opere; sed non complacuit hoc Domino atque ita confudit labia eorum dispersit eos super faciem cunctarum regionum divisitque eos exilio loco per universam terram, et cessaverunt aedificare civitatem. Consimili sane modo veteris testamenti in Ecclesia consurrexerant contra Moysen et Aaron Core, Datān, Abiron et Abian caeterique (f. 389v) filiorum Israel ducenti quinquaginta viri, Proceres Synagogae renuentes subiici potestati eorum, quos Domi-

nus Principes populi constituerat. Moysen vero Deum etiam Pharaonis appellare voluit. Sed dignas tulit poenas tanto nefarior hominum turba, divisio enim confestim secuta, et terra sub pedibus eorum aperiens os suum devoravit eos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. Observandumque est quod Iustissimus Deus non ob aliud peccatum tam inconsueto mortis genere praedictos ex Israelitico populo peremit viros, nisi ob solam potestatis, quae in Moyse et Aaron summo sacerdote erat, contemptum. Jeroboam etiam Israelitici populi impii Regis tempore facta erat in eadem Ecclesia legis veteris divisio, per quam separata fuit Samaria cum decem tribus Israel a Jerusalem et a summo qui pro tunc erat successore Aaronis Pontefice. Indigne id tulit zelator sua gloriae Deus, sumpsique vindictam tam scelerati facinoris, non de Ieroboam solum, sed etiam de omnibus, qui eum in eodem impio sive successores Reges, sive subiecti iisdem ex Israelitico populo imitati sunt opere, eiicens ingratam gentem ex melle et lacte affluente terra, in quam Patres eorum potenti sua olim adduxerat dextra. Jam vero in nova lege Jesus Salvator noster ex omnibus illis per totum terrarum orbem dispersis diversarum linguarum gentibus coadunavit Ecclesiam, atque tam vastam multitudinem fidei unitate quam strictissime constrinxit. Unde una atque eadem procedit fides in Oriente et Occasu, eadem in Meridie et Septentrione, omniumque credentium erat cor unum et anima una. Cuncti etenim unum summumque cognoscebant Pastorem, cui Christus Dominus noster commisit pascere oves suas. Restitit et huic Dei consilio maledictus Diabolus, seminatisque pluribus contra fidem catholicam haeresibus recte in ea sentientes ab illa quam Salvator noster reliquit in Successore suo Apostolorum Principe Petro, nequissime in hoc cooperantibus iniquis eius conatibus Fotio, Sergio, et Michaele dicto Cerulario, Constantinopolitanis Patriarchis⁵³³, constituit, abducere suprema potestate, et sic Ecclesia, veluti corpus morium absque capite mansit suo, inconfutabilis Christi tunica nefarie est discissa, sanctissimae catholicae fidei unitas, pro qua filius Dei animam suam posuit convulsa, ipsique hostes a communione fidelium tanquam inutilia et putrida membra resecti destinatique aeternae (nisi resipuerint) perditioni; interim autem traditi temporali abominabilium Agarenorum servituti⁵³⁴. In eandem quoque (f. 396) et gens nostra Ruthena sua quidem malitia, sed coecorum Ducum inhaerens vestigiis misere prolapsa est perditionem. Non tamen in finem iratus est nobis Benignissimus Deus, atque avertit misericordiam suam a gente nostra, submittens eis saecularis et ecclesiastici status homines, viros zelantes in lege eius, qui divisa unire cupientes donec venisset tempus bene placiti eius, effecerant olim de suis precibus apud Eugenium, Summum Pontificem, piissimo illo Graecorum Imperatore Joanne Paleologo sese interponente, ut denuo vocaret universum populum Christianorum, Graecos iuxta et Latinos in unum, celeberrimumque fuit illud Florentinum Concilium, cui interfuerunt ipse Imperator cum Patriarcha Bisantino Josepho, necnon reliqui Patriarcharum Vicarii Legati, caeterique Orienti-

⁵³³ Sub his praesertim Patriarchis evenit schisma. Modo speciali in historia ecclesiastica commemoratur an. 1054, tempore Michaëlis Caerularii, quando relationes inter Orientem et Occidentem ruptae fuerunt, quae ruptura usque ad nostra tempora perdurat.

⁵³⁴ Occupatione Urbis Constantinopolitanae an. 1453, a Turcis facta.

talis Ecclesiae complures Praesules, cum quibus noster quoque Isidorus⁵³⁵ Chiovien. totiusque Russiae adfuit ibidem Metropolita. Atque ita medius ille qui Dei Ecclesiam dividebat dirutus est, sanctissima Unio pristino statui restituta, et in his nostris Russicis, prout ex multis eiusdem gentis patet scriptoribus, publicata et amplissime suscepta est partibus; non destitit tamen et hie invidus inimicus ab impio suo conatu quominus firmum charitatis disrumperet nexum, cum nihilominus in diebus nostris Metropolitis Russiae cum reliquis suae potestati subiectis Episcopis fortiter resistentibus, inito prudenti cum iis consilio et unani facto consensu, duos e medio sui⁵³⁶ ad beatae memoriae Clementem Octavum, qui tunc Romae Pontificatus tenebat gubernacula, ablegarunt Episcopos piissimumque Regem Poloniae tunc Sigismundum Tertium in praecipuam in promovendo hoc negotio divino precibus suis vocaverunt partem. Hinc factum est ut Deo Opt. Max. operis sui successum prosperrante Ecclesia nostra Ruthena perfecte cum Romana unita sit Ecclesia, speramusque quod usque ad consumationem saeculi ab ea non sit deflexura, et Portae inferi non sint ei praevaliturae; huius adeo inestimabilis spiritualis thesauri, sine quo nemo salvari potest, cuperemus quidem omnes Nationes, quae eundem quem et nos observant Ritum Graecum, et praecipue linguae slavonicae habentes nobiscum communionem, fieri participes. Quocirea posteaquam Omnipotens Deus investigabili de salute nostra providentia sua Rnd.mum Longinum Brancovitium⁵³⁷, Episcopum Joanopolitanum, ex Regno Hungariae atque Transylvaniae Principatu eiusdem Ministris Sacrae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae Romanae filium, fratremque nostrum communium omnium Christi fidelium per obedientiam subiectum Urbis Pastori in has Russiae detulit Regiones, hos quoque peramanter cum omni qua potuimus et debuimus complexi sumus benevolentia, atque in testimonium huiusmodi nostrae cum eo fraternae coniunctionis, post emissam coram nobis, Metropolita Chiovensi, et sub id temporis adveniente ad nos Archiepiscopo Polocen. orthodoxae catholicae fidei per eum professionem, ad eiusdem fidei nostrae communionem tanquam unum ex nostris Episcopis Russiae Terrae suscepimus, et ad Synodales nostros Conventus quotiescumque in hac Archidioecesi nostra Metropolitana Chiovien. (f. 390v) cogi eas contigerit illum ipsum Rd.mum Longinum Brancovitium, Episcopum Joanopolitanum Successoresque eius vocare promittimus, dummodo vicissim apud nos Metropolitam totius Russiae et Successores nostros in Unione cum S. Romana Ecclesia existentes perseverantesque in Episcopos consequentur, et id quod alii Episcopi huius Archidioeceseos nostrae Metropolitanae nunc existentes et post eos futuri praestant et praestabunt, ipsi quoque praestare velint; quod dicto Rd.mo Episcopo Joapolitano et Successoribus eius de nobis et pariter de Successibus nostris Archiepiscopis Metropolitanis Chiovien. totiusque Russiae sanete promittimus et pollicemur. Interim omnia haec iudicio et confirmationi Sacrae Romanae Apo-

⁵³⁵ Metropolita Kioviensis (1437-1463), tempore Unionis Florentinae an. 1439.

⁵³⁶ Hypatium Potij et Cyrillum Terleckyj. Cfr. de hac Unione *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, ann. 1595-1596, passim, nec non vol. *Documenta Unionis Berestensis, eiusque Auctorum*, Romae, vol. unicum.

⁵³⁷ Haec professio fidei nobis monstrat quale momentum habere potuisset Metropolita Kioviensis catholicus in reunione Ecclesiarum Europae Orientalis et Meridionalis, si operarios et media sufficientia tunc temporis habuisset.

stolicae Selis subiecta esse volumus, et submisso subiicimus, ad quam etiam in hoc negotio scribimus.

Dabantur Minisci, Anno 1635, Partu Virginis, Mense Augusti die prima.
Josephus, Archiepiscopus

177.

Minsk, 2 . VIII . 1635

De missione ad Vallachos et Uscocos.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 72, 75v.

Eminentissimi ac Rn.mi Domini, Antistites de Propag. Fide,
Domini Colendissimi.

Missionem ad Rascianos, vel Valachos, vel Uscocos, omnibus enim his nominibus vocantur illi, qui in finibus Croatiae excubias agunt, ad reprimendas incursiones Turcarum, hanc inquam missionem promovet ipse Deus, dummodo S.C.M. premovere eam velit; quae omnia Emin.mis ac Rev.mis Dominationibus Vestris explicabit fusius R.mus Raphael, Episcopus Pinscensis, si praesentes offendent ipsum adhuc in Urbe; ad ipsum enim misi sufficientes supra hac missione informationes. Deus Optimus Maximus Eminentissimis ac Rvd.mis Dominationibus Vestris det tam in meta praesenti quam futura felicitatem. Ego vero indignus Sacrae Congregationis de propag. fide in Russia Minister, offero me et meos eidem ad omne genus obsequiorum in quaunque parte mundi.

Datum Minisci, in Alba Russia, die 2 Augusti, Anno 1635.

Eminentissimarum ac R.marum Dominationum
Vestrarum humillimus Servitor
Josephus Veliaminus Rutschi, Metropolita Chioven.
totiusque Russiae (*m p*)

(Fol. 75v): Ein.mis ac Rev.mis Dominis S.R.E. Cardinalibus, S. C. de Prop. Fide Antistitibus, Dominis colendissimis. (*sigil. et notae*)

178.

Minsk, 31 . VIII . 1635

De missione ad Vallachos et Uscocos, nec non de iis quae eveniunt ad corpus Hieremiae Barbarici, in Polonia occisi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 136, fol. 388rv, 391v.

Em.mi ac Rn.dmi Domini, Domini mei colendissimi.

Ante paucas septimanas dedi ad Emin.mas ac Rnd.mas D.nes Vestras litteras de missione ad Valachos in finibus Ungariae, Transilvaniae et Croaciae degentes, et promiseram me missurum opperarios ad Episcopum illorum populorum, Longinum Brancovitium⁵³⁸, modo obtineat a Sr.mo Caesare provisio-

⁵³⁸ Longinus Brankovics. Nomen hoc deest in *Hierarchia catholica* huius temporis.

nem pro ipsis, qui Episcopus postea substitit aliquantis per apud me, tandem obtinuit ut statim cum ipso mitterem duos nostros Monachos sacerdotes, non expectato responso ipsius ex Austria. Existimabat hoe ipse necessarium ut statim irent cum ipso; misi igitur in nomine Domini. Et quia hoc etiam instanter petiti ut cooptaretur in numerum Episcoporum Metropolis Chiovensis pro maiori nexus ipsius nobiscum, hoc etiam concessi, sed in vim rati habitationis S.D.N.; proinde mitto litteras quas ipsi dedi et supplico, ut per intercessionem Emin.marum R.marum D.num Vestrarum confirmetur a Sua Sanctitate. Ego quia putabam id esse utile huic novae missioni, properea concessi, subiiciendo nihilominus hoc et me ipsum pedibus Suae Sanctitatis, D.ni nostri Clementissimi.

De iis quae feruntur circa corpus piae recordationis Hieremiae Barbarigo, Metropolitae Paronaxiensis, qui a scelaratis hominibus, familiaribus suis crudelibus occisus est, dum peragraret Regnum Poloniae, expectando redditum Serenissimi Regis nostri ex Moschovia⁵³⁹, iniunxerant mihi Emin.mae ac Rnd.mae Dominationes Vestrae, ut de veritate gestorum investigarem et authenticum testimonium ad ipsas transmitterem; commisi hoc negotium R.dis Patribus Jesuitis Collegii Ravensis, prope quam civitatem perpetratum est hoc parricidium; nihil mihi certi scribitur, propterea hucusque nihil (f. 388v) hac de re ad Eminent.mas ac Rvnd.mas Dominationes Vestrarum scripsi. Si immediate ab Eminentissimis ac Reverendissimis Dominationibus Vestrarum demandaretur hoc Admodum Rev.do Patri Provinciali Soc. Jesu, ut ipse scribat ad Rectorem Collegii Ravensis commendando hoc negotium, efficacius expedient. Interim me meaque humillima obsequia semper parata offero Eminentissimis ac Reverendissimis Dominationibus Vestrarum.

Minsci, in Alba Russia, die 31 Augusti 1635.

Eminentissimarum ac R.marum Dominationum
Vestrarum humillimus Servitor

Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chiovien.
totiusque Russiae (*m p.*)

(Fol. 391v): Em.mis ac Rev.mis Dominis Cardinalibus S. R. E., Antistitibus S. C. de Prop. Fide, Dominis meis colendissimis. (*sigil. et notae*)

179.

(*Minsk, VIII,*) 1635

De itinere Petri Mohilae in Russia Alba, Nigra et in Lithuania, praesertim vero de iis, quae evenerunt Grodnae et Vilnae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 73-74v.

Rnd.me Domine, Fr. Observantissime.

Litteras R. D. V. de data 12 Aprilis accepi Minsei 6 Iulii, easque trium foliorum, ad quas respondeo; et quidem imprimis significandum videtur de insolentia Pseudo Metropolitae, hic est recens creatus, Mohilae⁵⁴⁰. Post finem

⁵³⁹ Expeditio Smolensensis an. 1633-1634, quae finem habuit mense Maio 1634 in pace s. d. Polanensi.

⁵⁴⁰ Petrus Mohyla, Metropolita non unitus Kioviensis (1633-1647).

iam Comitiorum in ipsa valedictione S.rmo Regi, in praesentia omnium tam Senatorum quam Nuntiorum, qui frequentissimi aderant, dixit mihi Sua Maiestas, a me tunc non rogatus, ante octiduum in privata audientia, ibi, inquam, in publico motu proprio dixit ista verba: Mohila non discedat Vilnam; rogavi ut hanc voluntatem suam aperiat Mohilae; promisit, et sic discessi, sperans Mohilam non venturum; substiit autem per Dominicam Passionis et per Hebdomadam Sanctam in Monasterio Suprasliensi, et ecce nunciatur mihi, quod feria quinta magna traiicit per fluvium proximum Suprasl, ubi ob inondationem multa passus est, sicut in residuo viae Grodnam, ubi et equi nonnulli mortui sunt, alii inde per viam disiecti; Grodnae sperabam iam esse R.mum Smolenseensem⁵⁴¹, sed nondum eo pertigerat, misi igitur ad Sacerdotes ut nullam ad celebrandum ipsi ecclesiam concederent, nec ipsi eum visitarent, quod et fecerunt; venit feria quinta magna vesperi, et Moniales nostras Grodnenses turbaverat; ipsae enim pro nocte Passionis iverunt ad ecclesiam Collegiatam vulgo Sobornam, ipsius etiam Monachi venerunt in absentia illarum ad Monasterium, quod dum significatur ipsis, postposita devotione et timore nocturno iverunt currendo per plateas Civitatis, nec recordantur dum ista mihi narrabant, qualiter torrentem Horodnizam tunc exundantem transiverint, et qualiter montem praeruptum, supra quem est Monasterium, ascenderint; absolvit igitur officium passionis in domo cuiusdam Civis uniti, ad quem forte tunc diverterat, nec ille Civis noverat illum; postridie summo mane discessus, festinans, ut veniret Vilnam in Vigilia Paschatis; submiserant enim ipsi Vilnenses in via equos recentes, sed nec hoc modo factus est voti compos; debuit in diversorio publico, quod quatuor Vilna aberat milliaribus cantare: Christus surrexit; venit iam post Vespertas Vilnam. Praesciverunt id Consulares nostri partis Ruthenae et re communicata cum Patribus nostris, ad quos nondum redierat Pater Alexius Duboviz⁵⁴²; Zyroviis festa celebravit; ego vero in Suprasl. Iverunt igitur ad Dominum Suffraganeum Vilensem⁵⁴³, aberat (f. 73v) enim et Episcopus; ille nihil directe respondit, vellene impedire adventum ipsius necne, cum alias offerret se Civitas ad hoc, quam tune administrabat ex parte Ruthenorum Ignatius Dubowiz, Consul huius anni; et licet nihil retulerint a Suffraganeo, iusserunt tamen claudere portam Rudnicensem, per quam ipse intrare debebat, et per quam modico tempore ante egressi erant Mercatores schismatici, procedentes ipsi obviam aliquot leucis; veniunt cum magno apparatu et inveniunt portam clausam et quia aliud consilium non ocurreret, iverunt sine cruce tamen girando Civitatem, donec pervenirent ad portam Acutam dictam, proximam Sinagogae ipsorum et sic ingressi sunt in ipsum Monasterium sine cruce et sine ulla solennitatibus, in primo ingressu Antistitis fieri solitis. Hoc tamen pro ipsarum parte fuit malum omen, quod Sutor unitus cum Sartore schismatico contendere ceperunt, illum scilicet non esse Pastorem, sed furem et latronem; exasperati sunt Schismatici, et observabant egressum eius ex fraternitate Rosensi, acquisiverunt arma; egreditur Unitus, irruit in ipsum Schismatici, sed quia inermis erat, eripit frameam ex manu Schismatici et perfodit eum, ut cadens moreretur; iste etiam Unitus,

⁵⁴¹ Leo Kreuza (1625-1639).

⁵⁴² Alexius Dubovyc, Archimandrita Leščinensis, dein Dermanensis et demum Vilnensis (ab. an. 1637).

⁵⁴³ Fortasse iam Marcianum Tryzna, Ep. Mallensem. Obiit an. 1643.

qui solus fuit, nec hoc sperabat, aliquot ictibus bipenium vulgo Obrichaim acceptis, corredit et ipse, et ita Schismatici cadaver ablatum est, iste autem, licet examinis, ductus ad carceres Praetorii, in quibus detinebatur ad discessum meum, ferme per decem septimanas, nec enim discedere volui, licet nihil paratum fuerit pro me, debui enim recte ivisse Prilepos, mansi tamen ad discessum Mohilae, qui post ingressum meum solennem exiverat, invitatus Domina Oginska, nec sperabamus eum redditum, sed rediit cum magna solennitate, crux praeferebatur, ingressus est per Plateam Trocensem, ivit per medium civitatis, benedicendo populum. Expectabatur Ill.mus Episcopus ex bonis suis Verchi, pro festo Sancti Stanislai, tanquam Patroni suae Cathedralis, sed nunciatur illum ob adversam valetudinem venire non posse; misi igitur Patrem Alexium Werchos, invenit eum ad finem prandii, dixit causam adventus, tale retulit responsum: sua nihil interesse, etiamsi ad Sanctam Trinitatem, ubi sedes est unitorum monachorum, cum cruce ingredieretur, non pertinere nos ad ipsum, etc. (f. 74) Paulo post supervenit famulus Domini Castellani Troensis, pro nunc Marsalco Tribunalis, cum litteris eadem nunciantibus, requirendo consilium ipsius, operam suam et aliorum Collegarum suorum offrendo itemque Dominorum Senatorum, sed respondit taliter, ut obstupuerint omnes; hoc responsum primum misit ad me dictus Dominus Marsalcus; fui tam discretus quod non curaveram discriri et copiam penes me relinquere, post modum rogavi, ut mihi iterato daret ad legendum, sed denegavit dicens, se missurum quando inveniret; postea respondit se non invenisse. Scripsi ego solus ad Sr.mum, direxi eas ad R.mum D.num Referendarium Lituaniae, sed hucusque nihil obtinui, differendo diem in diem, donec Sr.mus discessit Torunium; locutus est tamen Ill.mus Nuncius Apostolicus Vice Comes, cui Serenissimus inter alia de Mohila respondit: lo mortificaremo; et quia sciebam ipsum ivisse Sluzchum, et inde debere ire Minscum, contuli me etiam ego Minscum; sed ipsum iam offendii, fuit triduo me praesente, magnas stricas nobiscum habuimus, maiores autem habituri in Tribunal iudicii compositi; ex occasione huius adventus ipsius, sigillatim scribere nequaquam possum. Magnus ipsi honor a suis est exhibitus, magni sumptus per vias, et maiores per civitates, multa honoraria data, in auro, argento, et paratis pecunis; sola senior Oginska obtulit quinque millia florenorum, et quia plura non habuit, dedit singrapham obligatoriam pro tribus millibus; alia enumerando implerem chartas sine necessitate; quae omnia a Schismaticis facta non amore suae religionis disunitae, sed ut nobis exprobrarent, nos a nostris nihil horum habere, sed inveniant nos semper paratos ad respondendum: Daemonem horum authorem et impulsorem esse non Deum. Eo processit audacia ipsius ut hinc Minasco iret Ihummenam (praecipuum oppidum Episcopi Viln.), habens sibi ex civibus dicatoribus Cultores suos, ex altera parte confidebat lenitati Ill.mi Episcopi Vilniensis cuius haec est Civitas, expertus hanc lenitatem Vilnae, et iam isti ditiores plebem ignaram et simplicem deceperant ut contributionem facerent, oeconomos qui tantum hospitem exciperent (f. 74v) constituerit, ipse etiam praemisit Magistrum stabuli, qui pro una quasi septimana mansionis ipsius ibi coëmeret foenum et avenam. Dominus Woyna, germanus R.mi Vilnensis, Praeses loci illius, omnia pro Mohila collecta ad Arcem Episcopi comportari iussit, capita factionis capi, et carceribus includi, et dictum publicari, hunc qui venebat non esse Metropolitanum ipsorum Pastorem, sed

impostorem, illos non debere ullam reverentiam exhibere; Milites etiam D.ni Phalnae Sapiehae, Palatinidis Novogrodensis, avenam quam coëmebat Magister stabuli acceperunt et dum ad arma proriperet idem Stabularius vulneratus est; postea processerunt obviam Mohilae et impediverunt ne transiret pontem; familiam quae obstinere volebat depulerunt, ut desilire deberent tam equites quam pedites ex curribus; solus Mohila in reda clausa supra pontem permissus est transire et ita in proxima villa noctem illam exegit non eundo Ihumenam; vulneratos remisit Minseum, et ipse ivit Mohiloviam, Orsam, quo ego praemisi uno mense et amplius ante, ut scirent de ipso et ut agerent viriliter. Rohaczoviam etiam Bobruiskum etc. Tales sunt primi fructus quos decerpimus ex ista pacificatione, prouti ipsi vocant.

Irem ego Pinseum ad facienda hacc, quae mihi scribit R.D.V., sed quia ipsam expecto pro autumno vel certe pro hieme, non mihi videbutr viam tam longinquam hinc Prilepis Pinseum me posse suscipere; nec ullum auxilium pecuniarium habeo ad perficiendum hoc; res autem ipsorum ita se habent. Solohub arrestavit bona illius Wysocki, volendo ut redderet rationem villicationis suae, ipsi nequam locum tenenti R.D.V.; citavit ergo ad praetorium sub cuius iurisdictione erant domus ipsius et mobilia; Wysocki ordinavit foram dicens: se habere Dominum. Absentiam R.D.V. obiiciebat Solohub, ex altera parte ostendebat periculum amissionis iurium obligationum R.D.V. et redditum quos percipiebat ex civibus itemque contributionem etc. etc. Primarium remisit ad me.

Lettera senza fine. Delli mali portamenti che fà quel Pseudo Metropolita di Russia contro l'Unione.

Die 12 9mbris 1635. Congr. 211.

180.

In Russia Alba, 1635

Brevis relatio de morte et miraculis Hieremiae Barbarici, in Polonia occisi.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 539, fol. 61, 64v.

Hieremiae Barbarici, Paronaxae Archiepiscopi⁵⁴⁴, Graecorum Collegii ex Urbe quandam alumni caedes, cuius relationem primo iam a Praefecto literarum Ill.mi Domini Poloniae Nuntii Apostolici transmissam, Russiae Metropolita confirmat.

Acerrimum hunc haeresis Cirilli Patriarchae Hierosolymitani⁵⁴⁵ oppugnatorem, cum Gnaesna ad aliam Polonici Regni civitatem, verbis et operibus Evangelium annuntians, pertransiret, itineris insidiosi comites in vastissimam sylvam abduxerunt, ibique sacrilega proditione interfectum, impie etiam decollarunt, sacrum caput procul a confosso corpore proiicientes. Nefarium hoc facinus a sicariis perpetratum creditur tum praecipue Schismaticorum consilio, quorum intestino livori illum lethaliter infensum fecerat vigilantissima in Cirillum conflictatio; tum etiam aviditate pecuniarii viatici, quod illi idem Metropolita, et Cracoviensis Arcis Praefectus suppeditarunt; Deo interim per

⁵⁴⁴ Cfr. *Indicem nominum et rerum.*

⁵⁴⁵ Cyrilus Lukaris, Patriarcha Constantinopolitanus (1612-1639), pluribus vicibus.

ipsas latronum manus declarante, superfluum illi omnino fuisse pecuniae commentum, qui per Coeli viam sanguinem gloriosius quam aurum expendi didicerat.

Refertur illud praesertim miraculo tribuendum; corpus scilicet multis diebus inter eiusdem sylvae solitudines derelictum, non modo feris in ea vastitate frequentissimis omnino intactum perstisset, verum etiam (quod multi asserunt) ab ipsis belvis mole corporis potentioribus, abiecta voracitate, contra inferiores humano quodam in mortuum officio custoditum, visaque illi superfulgere nocturna lumina. Quod tamen certiori adhuc relatione confirmandum est.

(Fol. 64v): Relata 28 Maii 1635. Congr. 204. A Metrop. di Russia.

181.

In Russia Alba, 1635

Relatio de rebus Uscocorum nec non de missione ruthena ad eos uniendo.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 62-63v.

Relatio de rebus Rascianorum, qui et Valachi et Uscochi vocantur.

Sacra Romana Congregatio de Propaganda Fide ante aliquot annos scripsit ad me, ut apud hos Valachos, vel Uscochos, qui sub ditione sunt Sacrae Casareae Maiestatis, in finibus Croatiae, mitterem aliquos ex meis pro auxilio illorum populorum, qui hucusque videbantur nomine solum Christiani, nihil scientes vel valde parum de rebus fidei, idque non sua culpa, sed ob defectum operariorum. Misera ergo unum ex Ordine S. Basilii Presbyterum⁵⁴⁶, qui auctoritate Suae C. M. adiutus peragravit ipsorum regiones; ab initio timebant sibi ab ipso, putantes non esse eum Sacerdotem mere Ritus Graeci, cuius ipsi sunt tenacissimi; tamen quando legere, cantare in ecclesia ipsorum Ritu Graeco et lingua antiquiori slavica (qua ipsi sicut et nos Rutheni utuntur) in omnibus Divinis caepit, tandem Sacra celebrare, Sacraenta administrare, et omnia munia sacerdotalia obire, in quibus ipse fuit magis exercitatus quam quisquam ex sacerdotibus ipsorum, ita ipsum et amare et revereri cooperunt. Episcopo tamen loci illius, homini iam decrepito, non usque adeo gratus fuit, putabat enim eum ambire Episcopatum ipsius. Quocirca visum est huic Patri ire Romam, exponere Suae Sanctitati, et Sacrae Congregationi in quo statu esset loci illius Christianitas. Redit postea Viennam cum literis Apostolicis et Sacrae Congregationis tanquam Missionarius (f. 62v), exposuit S.C.M. ea quae vidit et quid esset necessarium ad lucrandum Deo illos populos, videlicet ut ex liberalitate Suae Maiestatis assignaretur Operariis, qui mitterentur a nobis Ruthenis, congrua provisio; annuit Sua Maiestas et expectare hunc Patrem iussit dum deliberaretur, qualisnam et unde talis provisio assignari posset. Sed subsecuti sunt tumultus bellici, qui impediverunt omnia et Pater ille, rebus infectis, ad propria remeavit. Scripsi de his Sacrae Congregationi, a qua iterum accepi literas, quod quidam Mateovich velit suscipere curam nostrorum, ut recta irent ad ipsum; respondi nos nec nosse de nomine hunc

⁵⁴⁶ Ut videtur, Methodium Terleckyj, dein Episcopum Chelmensem (1629-1649).

Dominum nec scire locum suae mansionis, bonum proinde esse ut ipse scriberet ad nos de tali suo zelo, et significaret, ad quem determinatum locum venire deberemus. Ipse non scripsit, nos etiam non misimus. Sed benignissimus Deus, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, providit illis miseris aliud medium, et quidem ut mihi videtur efficax; permisit Calvinistas Transilvanos novis persecutionibus exagitare Longinum Brancovium, Episcopum Genovae et Lipae, supra populos Ritus Graeci a Patriarcha Constantinopolitano schismatico constitutum, in tantum, ut a sua Ecclesia in exilium abire deberet, venit in Hungariam, ibi dum commoraretur Iaurini, ad Ecclesiam Rascianorum illius loci evocatus est ab Eminentissimo et Rnd.mo S.R.E. Cardinali, Archiepiscopo Strigoniensi, Selliam, ad residentiam episcopalem; incidit in Rnd.mum D. Joannem Tomcum Marnavitum, Episcopum Bosnen., qui pro suo zelo potenter egit cum homine, et transegit, ut abiepto Schismate ad gremium Ecclesiae Catholicae, Matris omnium Christi (f. 43) fidelium redierit, professionem fidei catholicae fecerit, absolutionem a Schismate acceperit, et pro complemento bonorum animae suae et sibi subiectorum, vel subiiciendorum Romam abiit et Vicario Christi obedientiam praestitit. Rediit Viennam quae siturus qualiter non iam Genovae et Lipae in Transilvania, sed apud Uscocos, sub protectione Caesarea, operam suam offerre posset. Inde suasu Patrum nostrorum, Monachorum S. Basilii, qui sunt Viennae⁵⁴⁷, suscepit difficilem et periculosam peregrinationem in Russiam, quaerendo me hinc inde, tandem invenit me, et conversatus sum cum ipso per trium fere mensium spatium cum magno gusto meo, potissimum hinc quod habeat bona desideria animabus, quarum curam gerit, valde proficia, et talia quae non difficulter ad optatum possunt deduci finem, modo adsit gratia S.C.M. in providendo ipsi de victu et iis, quibus natura humana carere non potest.

(Fol. 63v): Die X . Xmbbris 1635. Cong. 211.

182.

In Russia Alba, 1635

De unione Longini Brancovitii, Episcopi Joanopolitani.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 70.

Literae Ill.mi Metropolitae Russiae ad R.mum Pincensem⁵⁴⁸.

Mense Junio venit ad me R.mus Longinus Branchovitius⁵⁴⁹, Episcopus Genovae et Lipae in finibus Transilvaniae et Hungariae, quem suscepit ut hospitem; postea examinavi et vidi qualiter constitutus sit Metropolita illius loci a Patriarcha Cyrillo, qualiter ab Ill.mo C.mo Cardinali Strigoniensi, Primate Regni Hungariae, vel ex commissione ipsius a R.mo Domino Joanne Tomco Marnovitio⁵⁵⁰, Episcopo Bosnensi, a Schismate absolutus ivit Romam, ibi obedientiam reddidit, quem vere unitum esse et bene affectum erga Ecclesiam Christi cognovi, licet latine nil sciat et sit ignarus quae controversiae inter nos et Schismaticos intercedant. Conclusi itaque, ut antea voluit S. Con-

⁵⁴⁷ Gabriel Kolenda et Laurentius Kosovickyj, qui venerunt Viennam die 28. III. 1633.

⁵⁴⁸ Raphaëlem Korsak.

⁵⁴⁹ Cfr. *supra*.

⁵⁵⁰ Joannes Thomas Marnavich, Ep. Bosniensis (1631-1639).

greg. de Prop. Fide, subvenire illi populo per nostros Ruthenos, quo ante et expediveram P. Methodium, et ille dedit Romae B.mo P. relationem; deinde scripsit mihi S. Congreg., ut mitterem meos ad D. Matheovich, quem ubi querere ego debui nescivi, et sic neminem eo misi. Interea S. Congregatio eo promovit Episcopum dictum Maximum in Bulgaria a Schismaticis consecratum. In vim ratae habitionis ipsius Sanctitatis cum R.mo Longino sic processi; dextras dedimus nobis societatis, ut ipse iret in illas partes ad suam Ecclesiam, in opidum distans a Vienna 10 milliaribus; libros impressos multos illi dedi, quos potui tunc habere, cum et apud nos sit eorum inopia; etiam destinavi dare ei duos Patres, alterum Praesbiterum alterum Diaconum, quos mittere statim non potui quia ille ipse caruit quo se sustentaret, tanto minus poterat eos sustentare. Scripsi commendando illum et eius res ad Eminentium Cardinalem Pasman⁵⁵¹ et alios; quarum litterarum copias R.mae Domini mitto, ex quibus intelliget statum eius Ecclesiae et Episcopi et exponet S. Congreg. de Prop. Fide, quae deinde B.mo Patri, quos et petet ut intercedant apud S. Caes. Maiestatem, ut adiuvet eum, providendo primo ei unde vivere possit ipse et ii qui cum eo erunt, cum nil habeat.

* * *

Ex Copia literarum ad S. Congreg. de Prop. Fide

Petit Metrop. Russiae ut Missionem hanc ad Rascianos, Valachos vel Usco-
cos (sic enim hi populi vocantur) S. Congreg. cum ipso Deo promovente inter-
positione sua apud S. Caesaream Maiestatem promoveat. De quo melius R.mus
Episcopus Pinscensis⁵⁵² debebat informare.

183.

In Russia Alba, 1635

De unione Longini Brancovitii, Episcopi, quem commendat.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 70v.

Ex Copia ad Eminentium Cardinalem Pasman⁵⁵³.

Dicit Metropolita quod R.m Longinum venientem in Russiam pro impe-
trando auxilio animabus libenter exceperisset, tanto magis quod secum portavit
literas Episcopi Bosnensis et quod dixerit se reddidisse Romae obedientiam.
Tum petit ut dictum Episcopum iuvet, operarios se submittere ei promittit,
modo E.mus Cardinalis interponat suam auctoritatem et pro eo intercedat
apud S. Caes. Maiestatem, ut dicto Episcopo unde vivere possit provideatur,
si quidem nec palnum terrae habet, nec hortum, ne ullum redditum unde vivere
possit, nec operarios, qui mitti a se debent, sustentare potest.

⁵⁵¹ Petrus Pázmány, hungarus, Aep. Strigonien., nom. Cardinalis die 19.XI.1629, tit. S. Hieronymi Illyricorum, Obiit 19.III.1637. Cfr. *Hierarchia catholica*, vol. IV, pag. 22, nr. 28.

⁵⁵² Raphaël Korsak, Coadjutor Metropolitae, qui tunc Romae commorabatur (1633-1635).

⁵⁵³ Cfr. supra, nota 551.

184.

In Russia Alba, 1635

De eodem negotio unionis Longini Brancovitii, et de missione ad Valachos et Uscocos.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 70v.

Ex Copia ad Episcopum Bosnen ⁵⁵⁴.

Gratam dicit Metropolita sibi fuisse comendationem eius R.mi Longini Episcopi, eamque dicit correspondisse suis literis, quem bene affectum erga Sedem Apostolicam et res fidei reperit; proinde dedit illi libros impressos, et alia officia charitatis ei praestitit. Cum quo volebat expedire duos Patres, eosque Theologos, sed difficultas se obtulit, siquidem ipse carebat quo per viam sustentaretur multo minus haberet quid illis daret; quos Metropolita mitere statim est paratus, modo S. Congregat. interponat se apud S. Caesaream Maiestatem, ut eis et Episcopo de victu provideatur, quod potest facile efficere per Nuncium Viennae residentem; cum iam ante Imperator promiserit fundare aliqua monasteria per eas partes pro familia Basiliana Ruthena, qui facile fructum insignem ibi sunt facturi, siquidem eidem sunt illae gentes affectissimae, ut retulit P. Methodius, qui eo expeditus erat.

185.

In Russia Alba, 1635

Idem Primi Hungariae.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 59, fol. 70v-71.

Ex Copia ad R.mum Episcopum Jaurinen., Primatem Regni Hungariae ⁵⁵⁵.

Quoniam, inquit, non paucas esse sciat oves sub suo dominio, Rascianorum et Valachorum, ad quos R.mus Longinus Episcopus ipsorum intrat per ostium, cura Ill.mi D. Tomei, cuius opera obedientiam ille Vicario Christi praestitit, quo ut etiam suas deducat oves, petit ut eum adiuvet, intercedendo etiam apud S. Caes. Maiestatem, ut ei provideatur unde vivere ille posset, et illi quos illi submittet, qui cooperabuntur in hoc s. negotio. Cum etiam S. Caesarea Maiestas permiserat (f. 71) praestare aliqua Familiae Basilianae Ruthenorum de quo instabit etiam apud eandem S. Caes. Maiestatem S. Congreg. de Prop. Fide.

* * *

Idem ferme scribitur ad Nuncium Apostolicum Viennae residentem. Idem ad Confessarium Caesaris dictum P. Lamerman.

Idem ad Ill.mum Comitem Abaltaim, huius negotii patronum et promotorem, et dicti R.mi Episcopi Longini et ut ad finem caeptum negotium promoteat adhortatur eum Metropolita tanquam hominem in fide catholica zelantem. Qui Comes est Militiae Crucigerorum Patronus, et multa facit pro fide catholica.

⁵⁵⁴ Cfr. notam 550.

⁵⁵⁵ Episcopus Iauriensis ab an. 1629 erat Nicolaus Dállós. Cfr. *Hierarchia*, vol. IV, p. 207.

186.

Vilna, 20 . VIII . 1636

De statu S. Unionis in genere nec non Alumnos commendat.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 136, fol. 377, 384v.

Ill.me et R.me D.ne, Fr. Colendissime.

De illis quae apud nos hoc tempore aguntur, actaque sunt hoc integro semestri, nihil D.mi Vestrae Illustrissimae et Sacrae Congregationi scripsi, eo quod opinor Ill.mum Dominum Nuntium de omnibus plenam dedisse informationem, tanquam omnia videntem et scientem. Commissio aut potius communis plaga, quae ecclesias Unitorum vastare et auferre debuerat, suspensa est ad Comitia proxime in Januario futura, cum iam in Polonia maxima ex parte sit absoluta, de quo alias iam scripsit Reverendissimus Pinscensis ad Dominationem Vestram Illustrissimam. Nos in Lituania iure certamus cum Schismaticis. Pseudo Episcopus Mohilovien.⁵⁵⁶ decem millium florenorum poenae subiectus, pro invasione Archiepiscopatus Polocensis. Eademque poenae subiecti illius Dioecesani, cives Mohilovienses, pro quodam tumulto facto contra unitos Religiosos Mohiloviae. Iam videntur tanquam phrix plagis meliores, et quaerunt quosdam modos pacis nobiscum ineundae, quod proposuimus Illustrissimo Domino Nuntio; hic nihil addimus, quia res adhuc in secreto silentii delitescere debet, tantisper donec mens Suae Maiestatis nobis innotescat. Sciet D. V. Illustrissima quam primum, postquam aliquid certi habebimus. Nunc praesentium latores futuros Collegii Graeci Alumnos, P. Gabrielem Colendam⁵⁵⁷, actu Praesbiterum et Clementem Szuyski⁵⁵⁸, Diaconum, Religiosos nostros, paterno D. V. Illustrissimae commendo affectui, me autem antiquo eiusdem favori ex corde offero.

Vilnae in Lituania, Augusti 20, Anno 1636.

III.mae ac R.mae Dominationis Vestrae addictissimus Servitor
Josephus Velamin Rutschii, Metropolita Chioviensis
totiusque Russiae.

(Fol. 384v): Ill.mo et Rev.mo D., Domino Francisco Ingolo, Secretario
S. C. de Prop. Fide. Fratri colendissimo. (*sigil. et notae*)

⁵⁵⁶ Sylvester Kosiv (1635-1647), dein Metropolita Kioviensis non unitus (1647-1657).

⁵⁵⁷ Gabriel Kolenda, primum Alumnus Viennensis, dein Romanus (1636). Postea Archiepiscopus Polocensis (1652-1674) et Metropolita Kioviensis (1665-1674). Cfr. *Epistolae Metropolitarum Kioviensium Catholicorum*, vol. II, Romae 1956, ubi datur parva biographia et epistolae eius.

⁵⁵⁸ Clemens Szujskyj, ex districtu Berestensi, ut diaconus ingressus est Collegium Graecorum de Urbe die 1.XII.1636. Discessit e Collegio ob adversam valetudinem, et obiit paulo post Venetiis.

187.

In Metropolia Kioviensi, an. 1617-1636

Necessum fuit hic adiungere etiam Regulas s.d. Particulares singulorum officiorum in Ordine Basilianorum, simul cum Regulis Episcoporum, quas, secundum testimonia ipsius Metropolitae nec non perantiquae et universalis traditionis, Metropolita Rutskyj conscripsit inde ab anno 1617, quasque per sex Capitula Generalia Ordinis in praxim introducere studuit et procuravit. Regulae Episcoporum, ut videntur, anno tantummodo 1636, in Capitulo Vilnensi promulgatae fuerunt. Quia agitur de opere quod per longius crevit tempus, hoc iam maturum anno 1636 collocavimus, quo anno, in Capitulo Vilnensi, mense Augusto, Rutskyj operi suo huic dilecto, Ordini nempe Basiliorum ultimum dixit vale.

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 4898, fol. 30-53.

**REGULAE PARTICULARES SINGULORUM OFFICIORUM
REGULAE PROTOARCHIMANDRITAE**

Caput 1-mum.

Concernentia Personam et Officium Protoarchimandritae.

1. Quoad suam personam implebit omnia ea, quae reliquis Praesidibus praescribuntur, eo diligentius, quo munus ejus praestat aliis. Quare Religionis regimen non distrahet ipsum ab orationibus aliisque pietatis studiis, imo intellegat necesse est se ad id vocatum, ut orationibus meritisque apud Deum suis fulciat totam Religionem, eique obtineat divinarum gratiarum effluentiam.

2. Officium ejus consistit in hoc, ut omnia monasteria eorumque incolas administret, accurando ut quilibet in particulari major minorque suo religioso muneri respondeat, satisfaciatque eujusque rei gratia regulas constitutionesque Ordinis itemque Officialium ejusdem praesto apud se habebit easque lectitabit.

3. Ratio Praesidentiae ejus super alios ejusmodi esse debet eujusmodi ipse expressit in se Dominus noster Jesus Christus, ejusque sancti Apostoli, ut nimirum exemplo magis quam verbo subjectos sibi ad perfectionem ducat, memor illarum maximarum (1 Petri 5, 3): « non ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo », et (Mat. 20, 28): « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare ».

4. Reget alios charitate, benevolentiaque, imperans cum mansuetudine, prudentiaque, ut fidenter ad eum recurrant omnes, tamquam filii ad patrem, tamen severitatem quoque paternam subinde, cum res feret, bonitate permixtam adhibebit.

5. Nullam regularum Constitutionumque aut consuetudinum Religionis, quas semperque in Religione invenerit immutabit, neque novas introducet; quod si necessariam esse aliqua in re immutationem censuerit, expectabit Ca-

pitulum Generale Religionis, et tum proponet id aliis immutabitque si ita videatur, si tamen non fuerit tutum praestolari id temporis consulet ea super re Metropolitam.

Caput 2-dum.

Quid iuvare Protoarchimandritam in eius Officio possit.

Tres Patres affuturos (!) a Consilio designabit ei Capitulum, qui iis in locis degent in quibus frequentius diutiusque eum morari contingat, quibus cum super maioribus momentis conferet, quod si quis eorum eodem loci adesse non possit per literas convenientius erit. Ex iisdem diligitur unus ab eodem Capitulo qui ei assistat maneatque quando opus sit. Idem quoque co-mitabitur iter agentem, in quo loco manebit dum alicubi consistet atque omni in re auxilio ei erit. Integrum quoque erit Proto Archimandritae adhibere in Consilium in rebus occurentibus Praesidem Monasterii illius in quo tunc temporis deget, itemque Patres Consultores ipsius aut aliquem illorum imo alios etiam interdum, de quibus existimet bene negotio super quo deliberatur consulturos. Quod si nec hi adesse possint, per literas sententiam illorum explorabit, si quem autem ex assignatis a Capitulo, qui ei assistant Patribus mori contingat, poterit ante Capitulum adhibito consilio reliquorum duorum superstitionis eligere sibi tertium, qui deinde a Capitulo aut confirmetur, aut mutetur.

2. Id super quo futurum sit Consilium, exacte perfecteque, quantum fieri possit, Patribus Consultoribus exponet, ut bene intelligent negotium, de quo consulturi sunt. Caput autem negotii ita proponet ne pree se monstret ullo indicio in quam partem proclinet, quo liberius audientiusque quivis Patrum sententiam suam dicat, quod si quid tale fuerit de quo non possint consuli Patres, procedet in eo modo, praescripto separatim in Regulis Praesidum.

3. Si quis eum monuerit praesertim vero Zelator ei ad id additus, aequo exaudit et grato suscipiet animo.

4. Eo loci ubi diutius commorari solet, habebit repositoryum serraculo munitum in quo servabit libros munimentaque ad munus suum spectantia, item horum omnium regestrum.

5. Praesides per omnia Monasteria ipse constituet mutabitque pro suo optimo visu, quod quidem oportune in Capitulo Religionis fieri potest; item Praesides Novitiatus, ad id adtendens ut in rebus spiritus probe exercitati regiminisque in Ordine nostro gnari sint, ipse quoque constituet Confessarios Fratribus nostris. Patres vero Consultores et Confessarios pro saecularibus ac Magistros in scholis.

6. Quid quid actu aut mutatu opus fuerit in aliquo Monasterio praestabat id praesentibus Monasteriorum Praesidibus, dabitque operam ut in quolibet Monasterio Fratres debito cultu prosequantur Praesides suos, qua propter neminem ab obedientia horum Praesidum eximet, nec immunitates aliquas particulares admittet, nec ansiam praebeat subiectis vilipendio habendi Praesides suos, tamen palam debet esse omnibus, quod recurrere in necessitatibus praefusisque suis ad Supremum Praesidem liceat omnibus.

7. Si quos praesidendi aptos advertat eos sensim exerceat minoribus munis domesticis, in quibus monstrent suum quisque talentum. Item in eosque inspiciat, qui cum funguntur aliquibus officiis, aptiores tamen essent aliis muniis studiisve, qua in re habenda potius ratio est boni communis quam personae.

Caput 3-tium

De recipiendis ad Religionem ab eaque dimittendis.

1. In recipiendo recens venientem ad Religionem servanda sunt iam praescripta in Regulis Communibus.

2. Non admittendi ii, qui non sunt Instituto nostro necessarii, praesertim qui comparandis liberalibus artibus scientiisque idonei non sunt, laici non plures admittendi, quam quod necessarii sint ministerio Monasterii.

3. Dimittere a Religione eos, qui needum vota Deo religiosa nuncuparunt, Proto Archimandritae intererit, qua in re non erit praecox, donec tentet experiaturque omnia ea, quae bene disponendo aptiusque retinendo in Religione tyronico non ferant.

4. Ii qui insolenter exceperunt e Religione, aut sese a nostra opera recuperentur, sive sponte sua ipsi revertantur, iterum ad Noviciatum obligabuntur, aut exercitatorum Patrum cuiquam subdentur, tamen advertendum est, tales ut plurimum ineptos agendae in commune vitae nobiscum.

Caput 4-tum.

De scholis.

Diligens adhibebit studium ut nostri scholam studiumque habeant bene ordinatum, numeroque studentium confertum capaxque, Fratrum etiam aetatis infimae atque legere modo scribereque sciant, quibus communis religiosus elargiendum est vestitus, absque caputiis tamen, modusque vivendi ac exercitorum praescribendus, diversus ab aliis, qui vel vota praestiterunt, vel ad ea sese in Noviciatu comparant, Magistri eis providendi ejusmodi, qui cum literis vita quoque religiosa eos imbuant, simulque cantum ecclesiasticum ac ceremonias edoceant, cumque notabiliter in literis profecerint atque ita ut idoneos se reddant, alioribus adeundis scholis, tum ad Noviciatum trasferentur, quo exacto ad vota religiosa admittentur ad altioresque mittentur scholas, aut ad alias religiosas occupationes applicabuntur.

2. In ea schola Magistri id diligenter attendent, ut bene perfecteque discipuli addiscant linguam latinam ita ut loqui scribereque latine sciant, quod si tanta dissentium multitudo sit ut et distinctione scholarum et Magistrorum numero maiore indigeat, id omni eum diligentia curabit efficere, sciens hunc esse unicum efficacissimum modum Ordinis nostri propagandi, ipse dispescet vel per semet vel per alium quempium, qui huic rei par sit, ut iuventus nostra id ediscat, quod pro eius aetate ingenioque ac per Religionis exigentia discendum

est, qui autem ad artes liberales scientiamve quampiam minus se praestaret idoneum, non est ei id studii permittendum ut vel quam maxime velit.

3. Hanc eandem scholam si tota in uno quopiam loco consistat, quotannis inviset inspicietque, tam in docentes quam in discentes attendens ut quivis suum impletat officium.

4. Singularis in Religione nostra erit pro iuvenibus nostris schola graeca, in qua e fundamentis ordinateque eam linguam, nobis apprime necessariam addiscant, et si eiusmodi schola comode possit coniungi in eodem loco cum schola latina, praestabit Proto Archimandrita eo modo, qui ipsi optimus videatur.

5. Ei qui maiore ad quampiam scientiarum polleant aptitudine maioreque teneatur erga eam volentia, quam ad alias, ita ut spes sit ipsum excellenter in ea profecturum evasurumque celebrem, permittendum est. Dabit operam ut in Ordine nostro non ii tantum qui latine sciant paresque sint ediscendae Theologiae morali sed rudes quoque linguae latinae habeam modum exercendi se in ea scientia in aliquo principe Monasterio nostro, nihilominus in quolibet etiam Monasterio deget vel unus aliquis huius scientiae peritus solvendis difficultatibus adeuntium confessiones, ut habeant a quo illuminentur imperiti.

6. Curabit etiam ut pro docendis quoque iuvenibus saecularibus in locis aptioribus terrarum Russiae erigantur scholae, in quibus diligenter bonoque ordine doceantur tam literae liberales quam pietas christiana.

7. Si inter Patres advertat quempius, qui studia absolverit, inque vita religiosa bene exercitatus sit, simul vero idoneus parque disceptando cum haereticis, permettit ei ut lectioni Sacrarum Literarum, Sanctorumque Patrum sese dedat, aliisque libris, quos eiusmodi negotium exigat.

8. Citra eius scitum nemo Fratrum ullus ascendat Sacrorum Ordinum gradum etsi sit idoneus.

9. Qui Noviciatum de more nostro absolverint, cum eius scitu ad vota religiosa admittentur, nisi ob validas quaspiam causas videatur ipsi vota eiusmodi in aliud tempus deferre; votis nuncupatis, ea in librum singularem suis met manibus inscribent, ad haec advertent, ut iuxta Constitutionem nostram quartum quoque votum de non procurandis dignitatibus ecclesiasticis ab omnibus emituntur, iuxta modum in separata charta expressum.

Caput 5-tum.

De aedificiis, proventibus et expensis.

1. Potiora in Monasteriis aedificia absque scitu eius non aggredientur Praesides. Ipse praescribet modum aedificii, re prius collata cum peritis artis aedificiae, non tantum suis sed et externis ac suis met oculis, quantum fieri possit, despiciet locum aedificio destinatum, aut per literas a Fratribus eorum Monasteriorum sufficientem noticiam capiet. Item attendet ut reficiatur id quod refectione indiget.

2. De redditibus cuiusque monasterii sciet, dabitque operam, ut non minuantur, sed augentur potius per bonam rei familiaris administrationem; si

quis novam Religioni aut Monasterio cuiquam dotem offerret acceptare poterit, tamen si Dator obligationem aliquam a nobis exigat, differret id ad Capitulum Religionis immines ibique, si ita in communem visum fuerit, acceptabit, eodem sese modo geret cum eo, qui novum erigere dotareque voluerit Monasterium.

3. Possessiones Monasteriorum ipse, si possit, visitabit, ut pervideat rem familiarem et si quid emendatione aut reparazione indigeat, monebit Praesidem eius Monasterii.

4. Non permettit Monasteriis magna contrahere debita, si computatis redditibus consuetisque eleemosinis intelligat solvendo esse imparia. Item neque plures in Monasterio permettit sustentari quam possint Fratres.

5. Si pro communi totius Ordinis necessitate contribuere opus fuerit, ipse assignabit quod quodque Monasterium pro ratione suorum reddituum, quos adnotatos apud se habebit, conferre debeat.

6. Nullam causam seu litem in suo Proto Archimandrita ullus nostrum agredietur, quod si per compromissum aut amicam compassionem complanari possit, non adeunda erit lis, nec etiamsi citet quis nos, nisi evidentia iustissimaque habeamus munimina.

7. Fundationes munimentaque Monasteriorum omnium praecipua curabit servare in Principe Monasterio, loco tuto, curam quorum habebit Fratum Patrumve aliquis a Capitulo destinatus, reliqua autem Monasteria Appographia tantum eorum habebunt.

8. In vestitu religioso omnium nostrorum haec duo attendet, ut et honestus sit, et paupertati religiosae non aduersetur.

9. Nosse debet cuiusvis Monasterii expensas iisque computatis summam tam reddituum quam expensarum, tabulis ad id factis, iubebit inscribi suamque subscriptet manum, quo sciat si quid supersit ex proventibus aut debita superarint proventa.

10. Habitationes, repositoria omnemque supellectilem domesticam, dum visitabit Monasteria, circumspiciet, dabitque operam ne desint necessaria, neque superent superflua. Regesta rerum mobilium omnium, quae tum in eo Monasterio semper apud Praesidem asservabuntur, conferet cum regestris antecedentis visitationis a se subscriptis. Item perspiciat examinetque, quis oeconomiae modus in quovis sit Monasterio.

11. Si quae bona ab obitu cuiuspiam Fratrum nostrorum obveniant Monasterio cuiquam adverteret ut absque strepitu, provocacioneque excitationis contra nos hominum, imo potius pacate repetantur, ut simus exemplo aliis.

12. Non permettit nostris ut petant aliquid a Parentibus aut Propinquis, sed omnibus cuiusque necessitatibus Religio provideat, quamvis alicui haereditas obveniat eorum bonorum, quae ipsum cum in saeculo ageret contingebant.

Caput 6-tum.

De nexu Proto Archimandritae cum Metropolita.

1. Quemadmodum omnes, qui se manciparunt cultui Divino in Congregatione nostra, subesse debent Proto Archimandritae tanquam proprio suo Antistiti, Patrique, ita ipse sciat oportet se subesse debere supremo Hierarchae Russiae, sua obedientia aliis quoque nostris exemplum praebens, quo honore prosequi debeant Superiores.

2. Quotannis rationem reddit Hierarchae eorum omnium, quae fiunt in Religione et si qua augendae ei ope opus sit, ab suo Hierarcha exposcet. Patres quoque Consultores eius semel saltem in anno scribent ad Hierarcham, si qua in re eius auxilium necessarium sit. Item aliis quoque licebit ad eum recurrere in suis necessitatibus.

3. Continua eius erit cogitatio de augendo bono Religionis et quidquid ei hac in re in mentem venerit, id adnotabit suoque tempore cum Patribus sibi additis super eo consulet. Congregationes seu Capitula Ordinis debito tempore in iis locis, quibus aptius sibi visum fuerit, convocabit, et qua de re consultatio in imminenti Capitulo futura sit providebit, super quo ipse consulat Metropolitam.

4. Si oportunitas obvenerit ferendi opem aliis Ritus nostri regionibus adfuerintque personae huic rei aptae in Congregatione nostra, diligenter in id oculum convertet incumbetque. Item cum aliis nostri Ordinis S. Basillii Caetibus, qui in aliis Dominiis sive Christianorum sive Gentium degant cum Ritu sive Graecum sive Latinum sequantur nexus ineundus est christianaee charitatis, per literas aut internuntios, capto a Metropolita consilio. Eorum qui in nos benevoli sunt confirmanda amicitia atque benefactoribus nostris gratos se exhibeant nostri studendum. Si quis vero aduersetur nobis, dabitur opera, ut melius de nobis sentiat, propensusque in nos reddatur.

Caput 7-mum.

De moderandis Fratribus.

1. Capiat notitiam de illis qui in decursu studii literarii sunt ac tempestive pervidebit cui quisque rei adhibendus est; ministrando hominibus tales eligendi sunt, qui conversatione sua cum saecularibus eos aedificare possint.

2. Sacrificium Missae omnisque Divini Officii ordo ecclesiasticus uniformis sit per omnia Monasteria nostra; eademque servetur ratio in concessionibus audiendis, confessionibus aliisque sacris operationibus. Doctrina sacra introducatur in Monasteria eique diligentem navent operam nostri. Quorum omnium modum ipse prescribet Proto Archimandrita, attendetque ut ab omnibus servetur, novi autem quid introducere haud ipsi licebit, antequam consulat Metropolitam, caeterosque omnes Episcopos. In synodo Provinciali habebit liberam vocem post Episcopos.

3. Si pestis ingruat eis in locis, ubi nostra Monasteria sunt sita, curandis contactorum pestilentia animabus tales deliget, qui in tam difficile easu operam suam opemque afferant proximis, quo in delectu magno iudicio prospicioneque procedendum est.

4. Confessarii, praesertim pro sexu muliebri, sint quantum fieri potest aetate maturiores.

5. In missionibus Fratrum ad varias partes hominibus iuvandis curandum est, ut tales e Monasteriis mittat, qui non sint aut spirituali, aut temporali detimento Monasterii; quando vero mittet quempium, aliquam sufficientem ei praescribet instructionem, cuius rei gratia mittatur, quove modo sese ibi gerere debeat. Dabit quoque operam ut per frequentes literas sciat de progressu uniuscuiusque missorum, quo eos iuvet consilio, praecibus aliisque modis, prout tempus, locus, et persona exiget. At haud ferendum est ut Fratres suarum necessitatum obtentu divagentur. Quod si iusta causa adsit, visumque fuerit indulgere, tali addat socium, qui eum in omnibus advertat ipseque ab eo audiatur.

6. Fratres insolenter excurrentes e Monasterio bonis aut saltem quibusunque modis revocabit. Si quis autem non sua sponte, sed coactus redeat, severe talem puniet.

7. Et si curandum est ut Fratres nostri assuescant comita sancta paupertate peragere itinera, emendato per viam victu, tamen consideratis personis necessitatibusque poterit impertiri quod necessarium iudicaverit Praeses Monasterii, qua impensa restituetur ab eo Monasterio cuius necessitati mittitur; circa quod si quaepiam occuret dubietas, cognoscat Proto Archimandrita.

8. Quando ex uno loco mittit quempium ad alium, significabitur illius alterius loci Praesidi quod scitu necessarium sit de ista Persona, ut Praeses ille notitiam capiat eius de eoque congruentibus eum gerere possit, absque Patentibus aut literis nemo ex ullo loco mittetur ad aliud.

Caput 8-vum.

De visitandis Monasteriis.

1. Visitabit per semet ipsum omnia sui iuris Monasteria ibique demorabitur, ubi maior exigerit necessitas, quod si ob gravia quaepiam momenta ipse adire loca omnia non possit, consociatis consiliis cum Patribus Consultantibus mittet alium, loca tamen in quibus existit Noviciatus scholaque Religiosorum ipsem per se diligenter visitabit.

2. Cum ad aliquod Monasterium venerit, eam inspectionis rationem tenebit, ut Praesidem interoget, an non urgens quid adsit, cui occurendum sit in continenti, deinde ad omnes insimul perloquentur, incitando eos ad curam suimet ipsorum perfectionisque religiosae ac boni communis totius Religionis.

3. Inchoabit lustrationem a templo, quo oceluso ingreditur ad Altare, circumspicietque qua in observatione Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum sit, item Lipsana Sanctorum, ex quibus ne micam licebit cuipiam extrahere, tum Altaria portabilia et quidquid ad Altaria spectat, imagines quoque et omne id quocunque tam in templo quam in gazophilatio templi reperietur, aut ad illud pertinet.

4. Exquiret a Praeside et Patribus Consultoribus aliisque antiquioribus Patrum aut primoribus Officialibus de iis quae sciant de statu Monasterii aut personis in eo agentibus, quod si commodius fore videatur, ut in scripto id ei tradant, hoc quoque integrum ei erit exigere, certioribus illis redditis tam scripturas eorum, quam quae ab ore retulerint, soli duntaxat ipsi nota fore, nec ulli alii patefacienda; id quod diligenter accurabit, ut ne vel minimo indicio eos prodat.

5. Capta eiusmodi notitia reque apud se perpensa, accipiet cathalogum eorum qui in Monasterio degant consideretque super eo cum Praeside, sciscitans ab ipso de quolibet sigillatim ut quis eorum sese gerat.

Caput 9-num.

De ratione agendi cum Fratribus in visitatione.

1. Deinde vocabit singulos ordine eo, quo ei magis expedire visum fuerit, ex singulisque particulatim exquiret de statu tam proprio uniuscuiusque quam aliorum, tum de statu communi Domus, quodque annotandum memoriae ergo censuerit ut scribet.

2. Ut maiore quis fidentia ei loqui possint, vultum serenum uniuicique praefert amanterque alloquetur, ut ne ullus se delatum esse ex contracta forte facie suspicetur.

3. Monebit eos ut veritatem sincere aperiant, alias enim ipsos fore reos si incuratus restet morbus, quem ipsi celarent. Monebit item ut ne id cuiuspiam alii referant quid occultum sit, etsi sciscitetur quis de hoc, et quamvis ipse Praeses eius Monasterii.

4. Ne facile credat quod de aliis, praesertim Superioribus dicetur, sed id adnotet consideretque, ut veritatem assequatur, qua in re ad illud diligenter attendet, ut ne abbladiendo Fratribus efficiat eos remissiores in obediendo erga Praesides eorum eo loci praefectos.

5. Si quem deprehendat qui scissuras dissidiaque inter Fratres aut inter eos ac Superiores excitet, quam primum removebit talem ab eo coetu, nisi certum remedium praesto sit, quo adhibito ipse inficere alios deinceps cesseret.

6. Postmodum circumspiciet omnia quaecunque sunt Domi, iuxta ea quae dicta sunt superius, rescrique curabit an Officiales inferiores, qui res Monasterii curant, obsevent Regulas suas, sibi quisque proprias.

7. Interrogabit Praesidem, Patres Consultores et Vicarium, an serventur Regulae communes et Statuta Congregationum sive Capitularia, et si quid non observetur sciscitabitur causas, ob quas non servetur, curabitque servari. De (!) etiam maiorum Officialium, cum ipsismet singulis seorsim colloquetur, inferiores etiam Officiales alii committere poterit, suo praesertim socio alloquendos.

8. Denique vocabit Praesidem Monasterii, positis ante oculis Regulis Particularibus Praesidum, ex iis ex eaque notitia, quam ab aliis iam habet, interrogabit de omnibus, quae ad eius personam ac munus pertinent.

9. Paterna hoc modo lustratione Domus et rebus examinatis, ne labor eius reddatur inanis, totum id quod vidit, audivitque ipse secum expendet, et si quid fuerit certi dispescet ab incerto, tum quid locutusque sit cum Praeside, quid cum Patribus Consultoribus localibus aliisve, quid promulgaturus in communi omnibus, quid relatus consultationis ergo ad Patres Consultores Generales, quid ad Congregationem seu Capitulum Generale. Itidem omnia haec apud se considerabit Deoque Domino diligenter commendabit.

10. Si quid necessarium iuvando bono ordini statuendum censuerit, id considerandum committet iis, de quibus putet quod bene rem eam penetrant; antequam etiam finem visitationi imposuerit Domino Deo in Sacrificio Missae praecibus commendabit, ut iuxta eius sanctissimam voluntatem ad gloriam honoremque Ipsius omnia concludantur.

11. Eorum autem, quae ad bonum ordinem Domus faciunt et de quibus interrogandi sunt Praesides, Patres Consultores aliqui, quemadmodum dictum est superius, brevem visum est subicere hic indiculum et sequitur.

Si quis Fratrum extra modum propensior sit erga cognatos. Si quis extra confessionem sciat inordinati aliquid accidisse in eo Monasterio, quomodo Praesides occurerunt.

An sufficiens sit numerus Confessorum et an satisfaciant suo muneri quamque frequenter et quo fructu excipiuntur Confessiones.

An et quomodo in scholis perficit studium literarum; quae circa illud diligentia, et quis finiat studia?

An aegrotos, aegenos, incarceratedosque invitant nostri, et an et quomodo eos iuvent?

Quis fructus ministeriorum a nostris proximo exhibitorum et ex quo ministerio maior? An Doctrinam Christianam docet et quo fructu? De missione nostrorum ad varia loca, quis huius fructus, quomodo sese gerant missi. Si quis obtentu infiriae valetudinis languescit spiritu, detrectatque labores et occupationes religiosas, convertens se se ad ocium.

An circa aegrotos nostros debita cura cum charitate adhibeatur. An mutua charitas inter Fratres sit?

An peccetur inobedientia erga Superiores.

An non aliquis elato sit animo ambiante praeesse aut ad proprietatem proclinet?

Omnes vero indiscriminatim interrogandi de his quae sequntur.

Quomodo valeant corpore et an sufficientem habeant victum, vestitum. cellam in qua habitent.

Si qua laborant dubietate, aut difficultate, aut id fidenter exponant, et an quid scire, discere opus habent?

Quomodo cum eis procedant Superiores; et quid ipsi putent de ipsorum personis et officiis.

Si quis Praesidum impedivit literas ad altiores Superiores scriptas, aut signo quopiam ostendit, sibi id displicere ne de ipsius factis sciat Superior?

Si sciat extra Confessionem de quocunque Fratrum aliquid, quod adversetur Praesidi. uti inobedientia, murmur, etc.

De conventiculis familiaritateque seorsiva, si quid contra religiosam disciplinam aut minus caute per nimiam familiaritatem commissum sit, si multes sint aliquae.

Quomodo observantur Regulae Communes? Quomodo curatur ordo Monasterii et an praescriptis, quae ab altioribus Superioribus veniunt, satisfiat.

Quomodo nostri satisfaciunt ministeriis erga proximos, quis modus et fructus.

Quis prefectus nostrorum in vita religiosa et quae exercitatio in comparandis virtutibus. Si quid etiam de aliis sciat Monasteriis, ut seire deponat.

De iis qui novant operam studio literario haec quaeri possunt.

Quo quis polleat ingenio et qua voluntate erga studium propendeat.

An studium impedimentum ipsi sit in rebus spiritualibus eumque distrahunt. An non desit ipsi aliquid ad studium necessarium aliaeque communitates.

An imbat lectioni scriptionique.

Ipse de suomet in studio prefectu quid censeat.

Novitiorum quisque super his interrogabitur.

An constans habeat propositum vivendi moriendique in Religione? An paratus sit ad omne ministerium, gradum, occupationemque, quam ipsi Religionio praescripsérunt.

Quem prefectum facit in exercitiis religiosis.

De his omnibus aliisque, de quibus ipsi videbitur, interrogabit amanter tanquam Pater Filium, dabitque operam, ut Fratres alacriter omnia exequantur.

REGULAE CONSULTORUM GENERALIUM.

1. Relegent ea omnia de ipsis in Actis Constitutionibusque Capituli Generalis nostri primi et quae in observandis circa electionem Proto Archimandritae habentur.

2. Diligent Religionem suam magna ferentur voluntate ad eam promovendam, id quod in omnibus consultationibus habebunt prae oculis; propterea considerabunt, quantum in officio eorum situm sit momentum, si illud bene administrent, ad quod ante omnia tenera requiritur ad Religionem suam affectio.

3. Cum eos ad Consilium vocat Superior, antequam adsint, Domino Deo consultationes suas commendabunt, quo gloriae honorique SS.mae Eius Maiestatis, ac incremento boni Religionis totum id cedat, tum deinde fideliter, et cum debito Superioribus cultu, memores sanctae obedientiae, suam sententiam exponent.

4. Amabunt se mutuo reverebunturque tum inter sese quam coram aliis, alter alterum verbis factisque tuebitur. Quod si contingat, ut in consultatione diversum fuerit unius iudicium a iudicio alterius, aut singulare differensque a reliquis omnibus, id mutuam charitatem non tantum non convellet, sed ne modo ullo quopiam offendat.

5. Rem de qua consultabitur bene intelligent, nec prius suam sententiam dicent, quam rem bene ipsam expendant; existimentesque deliberatione opus esse ac reiectione responsi in aliud tempus, Superiori significabunt.

6. Rationes sententiae suae breviter innuent, et si opus sit firmandae propriae sententiae ad aliorum sententiam reponere id modestia religiosa praestabunt.

7. Quando Superior, auditis Patrum Consultorum sententiis, statuet id a quo maior eorum pars discessit, aut aliud quid, a quo omnes, iudicium suum iudicio eius subdet, nec ullo signo praeseferent, sibi id displicere, aut alia se fuisse in sententia, imo collaudabunt Superiorem apud alios, bonamque defactis Superioris opinionem apud omnes defendant, ideoque ipsum, si omnes esse putent, altiori Superiori, ut res latorem habeat, deferent, verum bene prius perpenso Deoque commendato an deferendum sit.

8. Etiamsi non interogentur, videretur vero aliquid conferre ad bonum commune sive totius communitatis sive unius cuiusquam personae, proponere poterunt Superiori, cui sive consilium in ea super re velit, sive ipse per se aliquid determinare integrum erit.

9. Cavebunt Patres Consultores, ne vel id quod ipsis Superior proposuit, vel ipsis consultarunt, multo vero minus id quod definitum est aliis revelent. Ipse Superior suo tempore res determinatas promulgabit.

10. Si necessarium putent addere quid de more, aut immutare in vietu, amictu, laboribus, occupationibusque, Superiorem super hoc, Deo Domino re prius commendata, per Zelatorem Superioris comedentabunt.

11. Si opus sit altiori Superiori per literas significare quidpiam, licebit id illis, inferiori Superiori re minime dicta. Imo praestat, ut nullus non solum Superior, sed nec alii Patrum, qui ad Consilium non spectant, sciant quid illis literis contineatur, pariter si altior Superior ad eos aut ad quempiam Fratrum scribit, eas literas non monstrabunt eius loci Praesidi, nec Praeses leget.

12. Si quis ex Fratribus de suis difficultatibus quibuscumque cum eis loquitur velit, ita eum consilio admonitioneque iuvabunt, ut bonam simul de Superioribus opinionem tuentur. Diligentissime vero curabunt, ut nullo signo munus Superioris regimenque Monasterii sibi usurpare videantur, imo ita omni eius ordinationi subiaceantur, (ut aliis sint exemplo) verae obedientiae.

13. Quae omnia ut eo facilius praestent, Regulas tam Superioris, quam Officialium omnium apud se habebunt, modumque administrandi moderandique primo totam Religionem generatim deinde Monasterium in quo degunt probe percipient.

14. Insuper semel in annum quilibet Consultorum ad altiorem Superiorum scribet, significando quid ipsis videatur de bono Monasterii sui, nempe an et quomodo Regulae serventur, praesertim vero an Praeses muneri suo respondeat. Nihilominus saepius etiam scribent cum opus fuerit.

Videntur hie confundi Consultores Generales Ordinis, cum Consultoribus localibus, cum Priorum Officialium sit cum Proto Archimandrita de bono tum totius Religionis, quam singulorum Monasteriorum consultare, posteriorum vero Superiori locali de rebus sui tantum Monasterii consulere, respective tamen exceptae hae Regulae servient alterutris.

REGULAE PROVINCIALIS SEU VISITATORIS.

1. Cum in Congregatione nostra locum Provincialis obtineat Proto Archimandrita, omnes pene Regulae localibus Monasteriorum Vicariis praescriptae, eius muneri subiective ad Proto Archimandritam quadrabunt.

2. Praeter has habebit apud se omnium Praesidum Officialiumque reliquorum cujusque Monasterii Regulas, ut quando visitat scire facile possit, anne Praesides eiusque Officiales iuxta eas sese gerant.

3. Singulis annis ipsemet in persona propria obibit singula Monasteria inspicietque inobservantiam Regularum et Constitutionum nostrarum. Quod idem frequentius praestabit etiam per literas.

4. De proventibus expensisque a quolibet Praesidum notitiam capiet, regestraque revidebit, et rationes a Praeside eiusque dispensatoribus exiget. Fundationes quoque omnes revidebit conscribetque et an ipsis satisfaciat inquiret.

5. Modum vitae temporisque distributionem per omnia Monasteria praescribet.

7. Praesides in Monasteriis, si necessitas urgeat, ad ulteriore dispositionem Proto Archimandritae praeficiet, aliosque eodem modo Officiales.

8. In Clausuram Monasterii an munita sit inspiciet, itemque in alia aedificia.

9. Coordinabit res Ritus ceremoniarumque ecclesiasticarum, ut ubique uniformitas servetur, item in habitu quoque religioso, utque quilibet Fratrum certas habeat assignatas sibi occupationes, ut nullus detur ocio locus.

10. Attendet ne excedenti numero Fratrum graventur Monasteria. ut eos qui graves sint cuiquam Monasterio ad aliud Monasterium transferat.

11. Fabricas Monasterii diligenter inspiciet coordinabitque.

12. Fratrum qui in exteris regionibus studiisque cavant, singularem curam geret, tum per literas eos visitando, solando, paterne monendo, ac ad laborem tolerantiamque animando, tum necessitatibus eorum egentiaeque, si qua laborent, suis modis providendo.

13. Denique ex Regulis Proto Archimandritae petat ea, quae in ipsis pro lis de visitationibus scribantur.

REGULAE PRAESIDIIS SEU SUPERIORIS LOCALIS.

1. Vita Praesidis vivum debet esse exemplum sibi subiectis, ut dicere possit: imitatores mei estote sicut et ego Christi (1 Cor. 4). Quapropter Regulas communes primo ipse observabit, item singularitates cavebit in esu, potu, vestitu, strato, aliisque rebus utensilibus.

2. Magna erit voluntate ad augendum bonum Religionis, praesertim Monasterii cui praeest, magnoque animo ad pervincendas omnes difficultates adversitatesque, quae in eius munere occurunt, occurrereque possint, ut etiam paratus sit mortem oppetere.

3. Inunget se Domino Deo oratione aliisque bonis operibus. Idemque aliis persuadebit. Monasterio autem ita suo attendet, ut nullo alio, quantum fieri possit, discedat. Item ne multis occupationibus, imo nullis aliis sese distineat,

quantum ipsi integrum est, quam iis tantum, quae muneri eius congrunt, nisi ei a propriis occupationibus temporis aliquid supersit, peragendis aliis muniis Monasterii, ut sunt concionari, confesiones excipere etc.

4. Rectae administrandae rei domesticae iuvabit, ut quolibet die horam saltem impendat cogitationi ad instar quasi meditationis de bono Monasterii comparetque singularem librum, in quo adnotet quae ex tali cogitatione, aut postea per diem integrum contingat ocurratque menti, quae bono Domus regimini conferant, concernentia necessitates Fratrum, tam animam quam corpus respicientes, an ne hae non desint et qua in eis ope opus sit, quibus de rebus consultandum cum Patribus Consultoribus, qua in re convenientius Superior, quid cum quovis Fratre loquendum, aut quomodo procedendum. Item Fratres omnes in charta aut tabula descriptos ante oculos habebit frequentque inspiciat. Ita enim facile quo unicuique Fratrum sit opus in memoriam veniet.

5. Cum nullus hominum adeo est perfectus, ut ipsem per se id quod decens ac proficuum est, absque errore semper assequatur, praesertim in iis, quae ad animam pertinent, idecirco in Religione etiam iuvando Praesidi feren- doque ipsi consilio in quolibet Monasterio ab omnibus Fratribus eligentur tales aliqui, qui tam in vita religiosa bene exercitati sint, quam gerandarum rerum prae aliis omnibus gnari peritique in minoribus Monasteriis bini, in amplioribus vero quaterni, et Patres Consultores vocabuntur, quemadmodum et illi qui a tota Religione capitulariter electi; quod si quis eorum ab eo Monasterio ad aliud transferatur, alias in locum eius eligetur, in illo autem cessabit id munus.

6. Officiales domus cum bona deliberatione primo apud semet ipsum, deinde communicato consilio cum Patribus Consultoribus constituet, quibus Regulas quoque, iuxta quas munus quisque suum administret, in scripto dabit, deinde attendet an ita sese gerant. Ineptos ab Officio demovebit, longoque tempore detinebit, addet quoque iis alios, quos putet iisdem muniis idoneos, ut hi ex illis tempestive assuecant muniis, quo commodius deinde in loco istorum succedere possint, quae omnia adhibitis ad consilium Consultoribus faciet. Praeses, si cui munus suum magnum facessat negotium, addet adiutorem, si cui vero minus, ut notabile ipsi supersit ocium, praescribet ipsi aliam occupationem, modo ne haec priorem impediatur.

7. Qualibet septimana, aut saltem post duas quasque semel (quamvis semper quoque quoties res exigat id fieri possit) cum Patribus Consultoribus de rebus maioris momenti, ut ipsi necessarium esse videbitur, conferet, et quamvis ipse non habeat quod proponet, tamen eos convocabit, sciscitaturus an ne ii forte habeant quod augendae Religioni necessarium sit, atque de hoc consulat unumquemque eorum patienter et audiet, et quamvis aliquid dicatur, quod non ad gustum ipsi sit, grataanter acceptabit, nec ullo signo proferet se magis in hanc quam alteram propendere partem, ut eo liberius, quod cuique videatur, proferant, excepta autem uniuscuiusque sententia in singulari libro, ad id comparato, scribet, et altiori suo Superiori significabit. Ex his Patribus Consultoribus, eo iuvante, a Communitate electis Proto Archimandrita deligit unum, qui Praesidem moneat, si in re quapiam tam in vita religiosa quam in munere Praesidis suo officio desit, debetque talis omnibus Fratribus innote-

seere, ut ipsi exponere possint, si Praeses cum quopiam eorum minus aequo procedat; quo circa Pater eiusmodi debet esse quam perfectissimus et discreto praeditus, ut et authoritatem Praesidis sciat et Fratribus, quantum aequum sit, gratificari; nomen ei erit Zelator. Eius admonitio grata esse debet Praesidi.

8. Si tale quid accidat, de quo existimet aut non expedire aut non posse agi cum Consultoribus, resque sit momentosa, uti observandum Fratri famam, aut ob aliam quampiam gravem causam, rem comedabit Domino Deo secumque diligenter quod factu opus sit, nec id quod apud se statuit exequetur prius, quam animus a passione liber sit.

9. Regendis facilius suaviusque Fratribus duo sunt perquam necessaria, alterum est amor Fratrum erga Praesidem, quem facile comparabit sibi Praeses, si diligenter eorum necessitates curet, alterum honor quem ab illis sequetur, si severitatem suo tempore temperet charitate nec sine causa in illos advertit. Item ut alios quoque Monasterii Officiales ament honorentque Fratres operam dabit.

10. In rebus victui mansionique servientibus aliisque necessitatibus corporis ea procurabit, quibus natura indiget, habita ratione necessitatis imbecillorum, et eorum qui iusta de causa plus aliquid requirent modo ne se immisceat singularitas superflua aut immisceri videatur. Neve appareat proclivior esse Praeses ad unumquempium quam ad alium. Item a pociori curabit eorum necessitates spirituales.

11. Etsi quis Fratrum pro sua obligatione in Regulis Communibus descripta, omnes debeat tam suos defectus, quam quos advertit in Fratribus animae suae bonique communis amore ipsem, nec interrogatus deferre Praesidi, tamen quia plures experiri oportet, qui hoc suum officium aut non novierunt, aut si norint, ob suam imbecillitatem ei non satisfaciunt, Superioris autem interest, ut omnia sciat, ideo ex probatoriis designabit aliquos, qui ei soli, non vero ulli cuiipum alii, innotescant. Horum munus erit observare clanculum actus Fratrum in templo, refectorio, per cellas et in conversatione mutua hora recreationis omniaque fideliter referre Praesidi, quos in quo vel minimo prodat Praeses diligentissime cavebit, imo dabit operam ne vel in suspicionem incidat apud Fratres hac de causa. Nomen huic officio erit Custodis.

12. Frequenter de rebus animae alloquatur oportet Fratres Praeses, accito unoquoque sigillatim, sed praesertim et ex destinato facietur id quodlibet trimestri et tum interrogabit Fratrem de eo quod ei magis expediens esse iudicaverit.

13. Ea de quibus omnibus sciscitari posset sunt fere: qua valetudine sit, de victu, amictu, et statu, quae commoditas cellae, in qua dubietate aut perplexitate animi difficultate laboret. An ne sentiat tentationes alias, an cum mala aliqua luctetur consuetudine, aut propensione in malum antiqua aut recenti, et quomodo sese in hoc gerat, quem faciat profectum in spiritu, quem in paupertate, castitate, et obedientia, an singularem habeat aliquam occupationem? Regulas nostri Instituti an cella servet, legat, observet; quomodo peragat orationem mentalem, Divinum Officium, lectionem piorum librorum, examen conscientiae, confessionem; quod si munus aliquod obit, quo-

modo ei satisfaciat. Si quid etiam de aliis sciat, in quo forte officio suo desint, quomodo secum conversentur hora recreationis, aut sese gerant in ecclesia, item in refectorio. Qualis conversatio cum saecularibus, sive eorum ipsorum, sive aliorum Fratrum? Illi qui dant operam studio literario interrogandi sunt, qua memoria, quo ingenio pollut? qua sunt voluntate erga literas, de commoditate cellae, quid quisque ipsem de suo in literis profectu putet? quae ipsi vires, an omnia adsint, quae ad literas addiscendas adsint? Ex noviciis quaeret, an constans habeant propositum vivendi in Religione usque ad mortem? an parati sint ad omnia Monasterii munia, quibus eos admovebit Religio, ut ad cognata, pistrina etc. etc.

14. Attendet diligentissime Praeses, ut Fratres veraciter sincereque tam de semetipsis, quam de aliis Fratribus omnia significant aperiantque, nil clementes, idcirco modus interrogandi erit benignus, ut probe intelligent Praesidem non interrogare tanquam iudicem ut puniat, sed tanquam Patrem ut instruat, soleturque filium. Quidquid ab iis audierit secreto Praeses aliis id non referet, itidemque eis quoque praecipiet, ut quod audiverint spiritualiter dictum a Praeside, id ne manifestent aliis. Non omnia quae recensita sunt ab singulis sciscitanda, sed considerate, et cum iudicio, ratione personarum habita, quod si quid sit, de quo sine rubore Fratris interrogare non possit, de eo in Confessione interrogabit.

15. Horrendum manet iudicium Praesidem, qui deliquentem Fratrem non castigat, sciens de delicto, at nolens ipsi se molestum exhibere. Modus paenarum diversus erit iuxta diversitatem culparum, personarum, aetatis, habitudinis corporis, capacitatisque spiritus, ad haec ratio habebitur aedificationis omnium, correctionisque eius, qui paenam subit, pro publicis aliisque notis delictis publica infligetur paena, eo tantum in charta, ex qua legetur paena praescrito, quod aedificationis omnium.

16. Nisi necessitas aliter exigat, aut circumstantiae personae, temporis, loci, aliaeque id volent, ordinarius puniendi erit modus eiusmodi: Primo in lenitate spiritus cumque demonstratione charitatis monebitur delinquens, secundo severius explicabitur ei delictum eius, ita ut illud agnoscat erubescatque, deinde procedetur ad infligendam paenam, tamen id quoque ipsum cum demonstratione caritatis, ut diversa sit paena religiosa a paenam hominum saecularium, si forte (quod abesse omnino debet a Moderatore religioso) more hominis saecularis excandescat, tum nec puniat, nec monebit, donec defervescat ira, quamvis iram quoque praeferre sit interdum utile.

17. Paenae ordinariae trifariam distingui possunt. Mediocres sunt: sumere cibum sedendo in seabello, pedes aliorum osculari, orare flexis genibus, culpam suam in refectorio coram omnibus palam dicere, aut legere, in esu uno ferculo contentum esse, in potu cerevisia secundaria, ministrare in coquina, in pistrinis aliisque vilioribus locis et his simila. Maiores paenae: in pane et aqua loco prandii conquiescere, per septimanam qualibet die inter prandium extensis ad modum crucis manibus prostratum iacere, seiunetim a Fratribus adiuncta maiori vel minori abstinentia, decem, viginti, aut quadraginta dies exigere, etc. Minime sunt: stando cibum capere, orationem Dominicam dicere, ab uno quopiam ferculo abstinere, et eiusmodi alia, quae prudens Praeses facile excogitare poterit.

18. Si quis Fratrum adeo si indisciplinatus, ut post plures paenas non corrigatur aut alias scandalo contagio aliis, is alio loci obligabitur, ubi nemo cum illo, nec ille cum quopiam conversetur, verum non accedendum ad id, nisi exhibitis primo omnibus possibilibus mediis collatoque super hoc serio consilio non tantum cum Patribus Consultoribus, sed etiam cum suo Superiore, tamen si damnum timeatur communitati ex retardatione seiunctionis, re collata cum Consultoribus, accelerabit paenam eiusmodi.

19. Magna attendet diligentia ut Regulae Constitutionesque Religionis serventur ab omnibus. Item praevidebit pericula, in qua incidere in circumspectionem possit Frater occuretque tempestive, ne incidat, vetans ipsi id, etsi valde deposeat, quod damno futurum praevideat, quod si cadat curabit erigere prolapsum, tam ipsem per se, quam per alios. Item praestabit, praecisa omni dilatione, erga eum cui tentatio quaepiam ingruat.

20. Cuilibet Fratrum praescribet occupationes, inspecto considerate, cui quis aptus idoneusque sit, in cuiuspam aptitudine viribusque minor sit una occupatio, superaddet assignabitque aliam aliamque modo ne ei quidquam supersit temporis ad otium.

21. Exhortationem ad Fratres spiritualem qualibet septimana, aut post duas quasque septimanas semel dicet Praeses, aut is cui ipse committet; poterit quoque aliquo pio ac religioso viro ex aliqua quapiam Religione ad idem uti; erit autem totus sermo eiusmodi qui vocationi religiosae congruat. Huc spectant alia quoque exercitamenta spiritualia, quae communitati conferant, ut cum quis petit moneri de culpa ab aliis, si quam in eo advertant. Item colloquium spirituale mutuum de modis quibus extirpentur vitia ac comparentur virtutes aliaeque his similes ex more SS. Patrum collationes.

22. Diligenter curabit Praeses ut charitas sit inter Fratres, amovens id quod causa esse possit simultatis inter eos; quod si advertetur in quopiam simultas aut ira contra alium conciliare studebit, et in mutuam reducere gratiam; qui vero eorum reus sit, curabit efficere ut satisfaciat offenso.

23. Iis qui student literis non permittendum ullum impedimentum, ut sunt occupationes aut ministeria domestica, quae ipsis notabiliter de tempore suriperent; attendet etiam ne studio valetidinem ledant; in illos qui negligenter studeant studiose intendet; choristae autem qui literis non dant operam, occupabunt se transcriptione librorum, aliaque scriptio.

24. In occupationibus scholasticis circumspiciet Praeses an tam ii qui student quam qui a studio vacant, ordinate diligenterque suum munus peragant et an praeterea spiritualibus occupationibus satisfaciant, praescribet quid quis discat pro aetate ingenioque cuiusque, et qui ineptus descendendo fuerit, talem amovebit a studio scientiarum, aut admovebit ad faciliorem quapiam scholam, seu scientiam artemve literarum; qui autem magnam aptitudinem aut voluntatem praetulerit ad inferiorem quapiam scientiam, permittendum est ut in ea se exerceat. Cavendum ne in Monasterio noxii existent libri aut scripta.

25. Cum plurimum intersit, ut excipiendo Confessionibus, Concionibusque descendis ii adhibeantur, qui muniis huiusmodi pares sint, ideo singularis in Monasteriis erit exercitatio in enodandis conscientiae casibus, praesertim semel in septimana. Item iis, qui student, praescribetur ordo concionum dicendarum in refectorio, ut quolibet die Dominico dieque festo concio habeatur ad mensam.

26. Recreatio ne exorbit in abusum, operam dabit, nimirum ut ii qui impetrata venia deambulatum exeunt, ad locum designatum omnes eant, in redditu vero omnes pariter, non divertendo ad domos aut amicos, Monasterium petant. Cui praestando unusquispiam eorum a Praeside designatus curam adhibebit.

REGULAE VICARII

1. Officium Praesidum hoc est Archimanditarum, aut Hegumenorum continuo in Monasterio manere, ita ut nunquam discedant, verum cum diversae necessitates accidere possint, ob quas Praeses ad tempus ex Monasterio egredi aut discedere cogatur, et quamvis esset Praeses aut aegrotet, aliisve necessariis occupationibus impediatur, ut habeant Fratres ad quem tanquam ad Superiorum recurrent, propter hoc Patrum unus qui sit probatior eligeretur.

2. Eius munus in hoc consistet, ut Praesidem adiuvet in eo quod ipsi ille committet absque vero demandatione Praesidis nil statuet, nil immutabit; absente autem Praeside si quid tale contingat, ut consulere Praesidem non possit, nec Praeses tempestive redeat, collata re cum Consultoribus, faciet quod factu opus existimet, etsi id commissum ipsi a Praeside haud fuerit modo eredat id illius voluntati non adversari; quocirca cum redierit Praeses omnia ipsi significabit, et tum valorem consequetur factum, cum probaverit Praeses.

3. Oportet ut habeat apud se legatque Regulas non Communes tantum, sed et Praesidis diligenterque observet; item Regulas omnium Officialium Monasterii, curetque ut singuli eorum suas quisque servet apud se et observet.

4. Inviset cellas. Si vero absolvat eum Praeses ab officio, successori ipse suo ordinate omnia ipsumque officium tradat. Imo, quae apud officium spectat edocebit; singulariter attendet, ut eibi bene preeparentur. Item in refectorio, coquinaria, penario, cellario, aliisque locis Domus circumspiciat ut res eant et an Officialles suo muneri respondeant.

5. Inspiciet an ne quid cuiquam desit, aut supersit, maiorem autem curam habebit eorum, qui necessitates ad corpus spectantes minus persequuntur. Quolibet die, tempore praestituto, eorum quae Domi fiant Praesidi rationem reddit, quidquid vero Praeses imperaverit ut fiat, id ipse in libro singulari annotabit. Deinde quid fecerit praestiteritque significabit.

6. Revocabit in memoriam Praesidi necessitates Domus praesertim cum tempus ingruit coëmendi res tam victui quam amictui servientes, ut tempestive id fiat provideaturque, quidquid tam aestati quam hyemi convenit.

7. Item de imperfectionibus Fratrum, de quibus vel ipse sciat vel ab aliis acceperit, aliisque quae bonum ordinem Domus respiciunt: Quis profectus Fratrum in obedientia, oratione, virtutibus religiosis, studiis aliisque occupationibus praemonebit Praesidem, potissimum vero an confiteantur Communione sumant suis temporibus.

8. Attendet ut suis temporibus de nocte accendatur extinguatur ignis, utque portae Monasterii sint clausae.

9. Singularem adhibebit curam Domus ut sit munda ac proinde ut certis et immotis temporibus verratur nilque sit quod hominum oculos offendat.

10. Studebit ut Fratres charitate inter se, obedientia vero cum Praeside connectantur. Si quis offendatur Praesidi sedandae offensae ipse potius subeat

odium Vicarius, quam in Praesidem transferat, ut in assignandis paenis, quas ipse ex arbitrio Praesidis infliget.

11. In corripiendis Fratribus evitabit perturbationem animi et in id incumbet, ut is, qui paenam subit intelligat merito eam sibi esse inflictam.

12. Circumspiciet an non Fratres per Domum obambulent, aut intempestive loquuntur denique an quilibet id quod ad se spectat peragat. Annotandis autem iis quae advertet habebit in promptu pugilares.

13. In refectorio sub primam mensam attendet ut fercula ordinate e coquina extradantur, utque Fratres, qui ministrant, bene suum munus peragant, modestiaque religiosa inter eos reliquosque Fratres servetur.

14. Si quis externorum venerit, Praeses vero sit impeditus, aut absit, Vicarius eum alloquetur et prout res exiget expediet.

15. Considerabit Fratres cui rei eorum quispiam aptus sit et an talento aliquo praeditus, de quo cum Praeside aget, ut talem ad id praeparet disponatque, ad quod idoneus providet, imo subinde ad Consilium adhibet, si de quapiam eiusmodi re agere contingat, ut proxim comparet.

REGULAE CONCIONATORIS

1. Id ante omnia curabit, ut voluntatem suam vere sincereque dirigat ad gloriam Dei ac lucrum animarum, neque in hoc opere quaerat vanam gloriam et, si subrepat, efficaciter resistat.

2. Media huic fini sunt: dare operam occupationibus spiritualibus, quae sunt in usu nostro, exercere se in virtutibus, praesertim in charitate erga Deum et proximum, secundo, erga animas vera humilitate ut parvus se estimet, ideoque non exigat ab hominibus ut de eo singulare quid existiment, utque moribus actionibusque ac vita exemplari religiosa reliqua magis doceat quam verbo.

3. Scripturam Sacram diligenter considerateque lectitabit eiusque commentatores. Item scripta SS. Patrum, ut vero lectio haec sit fructui comparabit librum singularem, in quo scribet, quid putet in primis necessarium, distincta materia in certa capita, qua de re in concionibus dici possit instruendo aedicandoque populo. Item relegat Evangelia Dominicarum et Sanctorum in totum annum, et quod super quapiam Evangelio dici posse ocurrat scribet, ut paratus sit dicere ad populum, etiam cum acciderit libris destitui.

4. Materia concionis erit ut invitet populum ad paenitentiam, ad declinandum a malo faciendumque bonum, ad exercendum misericordiae opera, ad orandum Deum, ad aliosque christiana pietatis actus, ad pugnam cum mundo, diabolo, et carne, ad parentiam Superiores tam ecclesiasticos quam saeculares, ab bene educandam prolem rectamque administrationem familiae, ad frequentanda Sacra Sacraenta, praesertim Confessionis Communionisque Corporis Christi; exquisitas vero subtileisque materias, quae ad communem aedificationem non faciant, evitabit.

5. Modus concionandi conformabitur auditori, maxime vero consulet simplicioribus, exquisita verba non effectabit, iocis referendis novis aliisve inanibus rationibus non immorabitur. Item attendet ne exerret in citandis Sacrae Scripturae locis, SS. Patrum aliorumve Authorum, quos pro re sua adducere

solet. In arguendo autem erit circumspectus ut ne personas singulares tangat. Quod si laudandus aliquis sit, modeste id praestabit graviterque ac citra assentationem concionando horam non excedet.

6. Conferet ipsi si bonos ipse audiat Concionatores, legatque libres eorum, qui de modis recte concionandi scripserunt. Item in locis minus famosis, aut Domi inter Fratres, exercet se in concionando. Item meditetur primo id quod dicturus est. Nec minus conferet, quantum ipsi integrum erit, scribat concionem ad verbum, et ni ulterius possit, primo saltem anno, quibus omnibus praestitis Dei Domini implorabit opem, citra quam nihil in cordibus hominum efficiet. Necessarium denique fuerit, ut habeat eos qui eius audiant concionem moneantque quae emendatione ipsi opus putent; at si quid audiant ab aliis Fratribus aliisque externis auditoribus per Praesidem, aut si Praesidi ita visum fuerit, per seipsum significent, quod ipse gratanter acceptabit, praferetque sibi cultu acceptatum esse.

REGULAE ZELATORIS

1. In administrando hoc officio duo cavenda sunt: alterum, ut ne per licentiores monitionem Praesidis minuatur aut remittatur obedientia honorisque tam externus quam internus Praesidi debitus. Alterum, ne evitando huic priori incommodo libertas deinde monendique opprimatur.

2. Monebit Praesidem de eo, de quo maior pars Consultorum monendum putet; in aliis vero rebus, quae aut ipsi incurrint in mentem aut ab aliis audiat, non tam facile ad monendum accidet, nec nisi re Domino Deo commendata existimet rem gravem apprimeque necessariam esse monendo ad personam Praesidis sive officium eius spectet.

3. In quo monebit Praesidem silentio id occupabit, tamen interrogatus a Consultoribus de eo, quod ipsi dicendum comiserunt, aut ab altiore Superiore rem ac egit refert. Praeses monitus de re quapiam, ei non consulat, Zelator iterum iterumque cum demissione ingeret rem memoriae Praesidis, quod si non speret emendationem, praemissa oratione ad Dominum Deum, altiori Superiori significabit.

REGULAE SPIRITALIS

1. Perspectum habebit statum Ordinis nostri, fereturque magna voluntate ad promovendum eius bonum, in obedientia humilitateque exemplo praeibit aliis atque ita sese geret ut ametur, quo omnes ad eum fidenter recurrant tanquam ad Patrem eique semet ipsos sincere aperiant, ac spem concipient reportandi ab eo spiritualis solacii auxiliique.

2. Eius munus erit edocere sigillatim quemlibet Fratrum aut etiam Patrum sibi a Praeside commissorum pro captu cuiusque, ut se gerere debeant intus et extra, praesertim ut in omnibus actionibus suis veram constantemque habeant voluntatem serviendi Deo cumque eo collendi sese et consuescendi per exercitia spiritualia. Itemque zelum curandi iuvandique animas.

3. Examinabit quem teneant modum in oratione et eamine conscientiae et contra imperfectiones suas ineunt rationem cum conscientia per examen par-

ticulare, quoad quamlibet imperfectionem sigillatim adhibeantque congrua remedia suis aegritudinibus. Item quomodo sese gerant in comparandis virtutibus religiosis, praesertim in obedientia. Item de paenis spontaneis deque actibus pietatis, si quos singulares habeant, inquiret.

4. Si in quolibet dictorum a via aberraverint, monstrabit quomodo redire debeant, servato (bono) Ordinis nostri, erga quem ut omnes bona voluntate sint curabit. Attendetque ne Fratres vacando devotioni caput laedant, aut viribus nimis deficiant.

5. Diligenter incumbet lectioni librorum spiritualium curabitque pernoscere et docebit modum, ut cum fructu legantur. Inter libros delectus fiet eligenturque faciliiores ac nostrae vocationis aptiores.

6. Sedulum se praestabit in consolandis afflictis ac monendis simulandisque desidibus, atque horam cuiilibet praescribet remedium pro ratione aegritudinis necessitateque uti, exempli gratia frequentiorem Communionem, orationem prolixiorem, exercitia spiritualia, auctionem paenarum afflictionemque corporis, lectionem librorum, qui ad hunc finem facient. Quibus in rebus consultet Praesidem quid ipse per se possit et quid ad eum referre debeat.

7. Parem adhibebit diligentiam circa illos qui in gradu Clericorum non sunt, ut sua condione sint contenti, nec ambiant Clericatum docebitque eos pro captu uniuscuiusque quomodo orent adhibitis globulis praecatoriis, ut ea ratione utilius tempus exigant.

8. Docebit omnes ut magna cum devotione Sacra Sacrosactae Eucharistiae Misteria accedant, hoc est insumpta ante aliqua mora temporis in oratione, postea vero in agendis gratiis.

9. Praeterea cum singulis illorum etiam quos Praeses censeat iam bene in vita religiosa esse exercitatos fundatosque semel in mense conferet aut etiam frequentius pro rei exigentia. Saepe vero explorabit quem fructum ex oratione aliisque occupationibus religiosis ferant Fratres, an id eluceat in eorum vita actionibusque et an proficiat in virtutibus de die in diem.

10. In his omnibus in id advertet ne ordinem Domus occupationesque singulorum inturbet, praesertim studia illorum, qui eis dant operam, nisi Praesidi aliter videatur. Singulariorem curam diligentioresque adhibebit circa alios, qui recens in Religionem ingressi sunt. Omniaque hie dicta cum illis agendo servabit.

REGULAE INSTRUCTORIS NOVITIORUM

1. Intelligat magnum oportet esse officium gerere cum recens admissis ad Religionem, quo ab initio imbuti fuerint more ex eo facturi sint spem de suo in posterum profecti; curabit igitur ut dum praeest aliis, ipse quoque in perfectione proficiat.

2. Devincet sibi animos eorum, quibus praeest, quo fidentius ad eum in temptationibus suis recurrent, eique semet ipsos sincere patefaciant, spem concipientes se in omnibus solatium opemque ab eo relatuuros.

3. Opus ei erit adiutore fido quique in rebus spiritualibus bene exercitatus sit. Hunc vero assignabit ipsi Proto Archimandrita. Incumbet diligenter lectioni librorum spiritualium, imo sit, qui ante in eis versatus fuerit, ut in-

telligat non tantum ab experientia propria sed etiam ex scitione, omnia ea quae in vita spirituali accidere possint; recens admissis eos tantum libros eis legendos tradat qui propriae nostri vocationi congruant.

PRIMA PROBATIO

4. Postquam admittetur quis ad Noviciatum, imprimis collocabitur in separato cubiculo per dies aliquot, ut discat interea quae spectant ad Religionem nostram, utique itidem Religio eum agnoscat. Die altera aut tertia instruetur quomodo sese in loco gerere debeat, aut videlicet nec verbo, nec per literas, nisi instructori ob graves causas secus videatur, cum quopiam conferat sive externo sive domestico praeter eos quos Praeses huic rei assignaverit; per id vero temporis diligenter explorabit instructor an aptus idoneusque sit Instituto nostro. Tum tradet ei Regulas Communes apudque eum relinquet, ut oportuno tempore eas legere considerareque possit.

5. In promovendis declarandisque his omnibus sensim procedet, ut cognoscere possit res Religionis nostrae pro captu quisque suo eoque firmior deinde sit, constantiorque eorum in Religione perseverantia; ea vero vel maxime exponenta eis sunt, quae deinde negotium difficultatemque facessere possint, qualia exempli causa sunt, ut sese paratos debere esse sciant subeundis quibuscunque muniis occupationibusque Monasterii, item paenit, etc.

6. Si quis magis ad literas quam ad occupationes religiosas proclinet et videatur minus idoneus esse addiscendis literis, utque natura, aetate, interrogabit eum Instructor an pacienter latus sit, si ante vota dimittatur a Religione, uti minus idoneus esse Religioni compertus.

7. Monendus quoque est, ut sincere veraciterque ad ea omnia, de quibus interrogatus fuerit respondeat. Cum in hoc ipsius Religionisque bonum admodum consistat: promittat, anno in probatione exacto, bona omnia, quae habet, quomodocumque Praeses voluerit, se relicturum, modo disponendi de eis sibi relieto.

8. Hoc pacto per quinque aut sex dies aget cum eo exponens in quo consistat Religio nostra, et quod debeat esse ipsius officium. Ad haec lectioni libri cuiuspiam spiritualis et temporis congruentis faciet ipsum immorari.

LAICI

9. II qui legere nesciunt minusque apti sunt occupationibus spiritualibus et si in hoc eorum statu instrui debeat, pro eorum captu incumbet operi manuum praescripto a Praeside.

10. In hoc suo seclusorio Confessionem faciet totius vitae suae cum ordinata preparacione per meditationes spirituales huic fini accomodatas sumetque Sacrosanctam Eucharistiam, tum ad communionem illorum recens admissorum Fratrum admittetur.

11. Si in hac prima probatione probet se aptus qui ad ulteriorem probationem admittatur, Praeses, aut is cui ipse demandet, in singulari libro scribet quod secum attulerit subserbitque ipse qui attulit, et servabitur in loco separato donec vota Deo nuncupet.

12. In alio item libro singulari adnotabit annum diemque ut quis venit ad Religionem. Item nomen, genus ac patriam, et quod servare velit omnia ea quae ipsi proposita sunt, quod itidem manu sua subscritet recens admissus, quod si scribere nesciat, alter quispiam vicem eius supplebit.

MODERATIO NOVITIORUM

13. Vestitus vilos multum confert mortificando abdicandoque semetipsum, contemnendo mundo eiusque vanitatibus. Quare aequum est, ut novitii viliora deferant quam alii vestimenta, quod iudicio Praesidis committitur, ut ipse perspiciat quod maiori futurum sit aedificationi.

14. Iuvabit dare ansam subinde Novitiis exercendae obedientiae, puper-tati aliisque virtutibus, tentando eos duriore quoipam imperio aut vilioribus grossioribusque utensilibus experiendoque quo animo ferant idque maiori ipsorum emolumento fructuique spirituali, tamen moderatio servari debet pro cuiusque viribus.

15. In afflictando corpore id attendetur, ne vires labescant, unde inepti reddi possint ad exequendas occupationes Religionis, quem admodum ex alia parte cavebitur, ne in desidiam incidatur, ex qua spiritus debilitetur, caro autem exorbitet.

16. Exhortationes de iis fient rebus, quae statum nostrum respiciunt, ut de observandis Regulis, de fine Instituti nostri, de mediis ad eum spectantibus, de extirpandis vitiis plantandisque virtutibus, de mortificandis passionibus aliisque huc eodem pertinentibus. Modus autem exhortationis erit facilis, simplex, accomodatusque inflammandis animis recens aggredientium studium perfectionis.

17. Exponetur eis explanabiturque Doctrina Christiana, Catechismus, modus recte fructuoseque adeundi Confessionem Communionemque. Item audiendi Missam, orandi, meditandi, ac legendi libros spirituales.

18. Saepe reducet ipsis Instructor in memoriam, ut omnibus rebus actionibusque studiant quaerere Deum eique placere, cum ipso consuescere, eumque in oculis ferre, utque nullum perfectionis gradum intermittent quem, opitulante divina gratia, consequi possint.

19. Ut prosit omnibus Tyronibus Instructor dabit operam ut eos bene cognoscat prospiciatque unumquemque sigillatim alloquens exploransque quomodo cuique eorum succeedat; ex eiusmodi enim colloquiis insignis solet provenire fructus.

20. Docebit eos externam quoque corporis actionumque compositionem, ut ea sit religiosa decensque, iuxta doctrinam alibi praescriptam.

21. Examinabit quem servent modum in oratione ac examine conscientiae, quomodo supervenientes tentationes sese gerant, quae media adhibent extirpandis vitiis, imperfectionibusque, an observernt examen conscientiae particulae contra singulares defectus, quem modum adhibeant in acquirendis virtutibus; explorabit etiam an ea praestent, quae ipse eos docebit.

22. Si separatim quisque suam cellam habuerit, inter duas cellas, quas incolent iuniores, tertia erit, in qua collocabitur probatior exercitatiorque.

23. Si duos contingat simul esse sive in loco sive in via, missis a Praeside, sit unus eorum talis, de quo nullum dubium extet alteri socio fore aedificationi.

24. Si permittendum cuiquam videatur esse, ut cum cognato aut amico aliquo saeculari loquatur, adsit alter, quem Praeses assignaverit brevibusque expiat sese, nisi ob singulares causas aliter videatur Praesidi.

25. Non assumentur Novitii pro sociis cum nostri vadant ad Domos saecularium, nec munia ipsis assignabuntur, quae trahant secum aliqua externorum, ut sunt ianitoris, dispensatoris. Si tamen necessitas id exigat, sitque talis Novitus, ex cuius sermone exemplique fructum referant saeculares, poterit id Praeses indulgere.

26. Diligenter attendendum est toto probationis tempore, ne forte quis eorum sit, qui ineptus inutilis Religioni nostrae futurus praevideatur; qua in re major habenda ratio est boni communis, quam hius vel illius personae; quid vero ipse de eiusmodi Tyronibus censeat quolibet semestri ad altiorem Praesidem perscribet, ut ipse disponat.

27. Etiam si solitum probationis tempus exiret, ad vota non admittet, donec altiori Praesidi significet, facultatemque ad eo obtineat. Per septimanam etiam saltem dabit otium Novitio sese nuncupandis Deo votis praeparandi, ut praeter alia, quae ipsis praescribentur, diligenter consideret cognoscatque, se perpetuum in Religione fore mancipium nulliusque sui iuris. Quod si videatur ut diutius detineatur in probatione aut contrahatur tempus probationis, id altior Praeses dispescet.

28. Circa eos qui non sunt Clerici adlaborandum est ut sciant orare pro suo captu. Item animum voluntatemque propensam habeant ad exequendum munus suum contenti eo cum Martha.

29. Exhortationi solitae omnes aderunt, tamen in collatione spirituali interrogabuntur tantum Clerici, nisi Praesidi interdum videatur etiam ex Laicis quapiam quaerere; ab aliis occupationibus exercitationibusque spiritualibus poterunt esse immunes Laici ob operas domesticas, nihilominus suo tempore locoquo, ut iis praescriptum fuerit, orationes suas peragent.

30. Qualibet septimana vacabit eis dies unus a solitis occupationibus spiritualibus liber, quo honesta religiosaque insimul mutuoque utentur relaxatione animi, sive Domi, sive in ambulatione.

REGULAE SACERDOTUM

1. Quidquid in Regulis Communibus scriptum est, id scient Sacerdotes quam maxime ipsis scriptum.

2. Officium Divinum diligenter, devote, et suo tempore recitabunt.

3. Vivent ita, ut quolibet die peragendo Sacramento Sacrificii sint apti. Ideoque bis saltem in septimana confitebuntur, Ritus seu ceremonias in Divinis uniformes cum aliis servabunt, nihil de sua adinventione addentes, dementes aut immutantes.

4. Euchologiis hoc est Missalibus Agendisque seu Ritualibus iis utantur, quae a nobis accepta sunt. Modus in Divinis, vox in cantu, lectionesque et

reliquae omnes actiones externae eiusmodi erunt quae alios aedificant, nec propriam devotionem impedian.

5. Celebratur Missam ad primum statim pulsum ad ecclesiam ibunt, ut peragant offertorium; finito vero secundo pulsu, mox Missam inchoabunt.

6. Occupationes Sacerdotum trifaria dividuntur suntque exercitatio in spiritu suimet ipsorum, studia literarum et cura proximorum; his tribus occupationibus, ut quisque satisfaciat, dispoet tempus, ut singulis horis suam habeant occupationem, hanc vero dispositionem vel ipse Praeses vel de eius facultate ipsimet praescribent.

7. Huic fini praeter orationem mentalem communem suum quoque proprium habebunt exercitationis spiritualis modum, legendo libros pios, consultando de profectu spirituali et horum similibus impedendo tempus, quod ipsis ab aliis occupationibus domesticis, ut a Praeside peculiariter assignatis refert. Quo pacto aptiores efficientur ministrando proximis, cum ab iis invitabuntur. Imo quaerendo ultro eos, qui ipsorum ope indigeant, etiamsi non invitent.

8. Eam scientiam magis amabunt, quae statui ipsorum iuvandisque animabus conduceit, qualis est easum conscientiae, Scripturae Sacrae, SS. Patrum, Annalium Ecclesiasticorum, Legendarum de vitis Sanctorum; ut autem utilior sit eiusmodi lectio, annotabunt quod advertent magis necessarium instruendis docendisque hominibus non tantum in contionibus confessionibusque, sed et in communi colloquio cum proximis; eas vero scientias declinabunt, quae aut statui ipsorum minus congruant, aut quas bene intelligere aut consequi nequeant. Proficuae solent esse huic fini collationes mutuae de easibus conscientiae, qui accidere possint in confessionibus. Eiusmodi autem collationes semel qualibet septimana fient.

9. Ministrando proximis non tantum parati, sed ultro quaerent modos praestandi eiusmodi ministerii, aut parvulos docendo ea quae ad finem pertinent, aut adultos exhortando ad fugam peccatorum, studium virtutum, visitando aegrotos aegenosque ac incarceratedos, sed praesertim agonizantes, omnibusque opem ferendo, conciliando inimicos, animabus defunctorum suffragando, homines ad solemnes privatasque preces ac supplicationes, aliosque pietatis actus ad ecclesiam invitando; interdum consultabunt muto Domi de modis, quibus praedicta rite ac cum fructu obeantur.

10. Omni studio fugient otium nec quamlibet occupationem aggredientur, sed eam quae Instituto nostro respondeat; quocirca diligenter considerabunt dispicientque quid in eo loco aut regione, in qua degunt, sit magis necessarium saluti propriae et proximi, cui rei sint ipsi pares, deferentque Praesidi, ut ipse aptos designet.

11. Non se excusabunt Praesidi imperanti, nec causabunt impossibilitatem, ineptitudinem; Deus namque est, qui operatur cooperaturumque se afforeque suis operariis promisit estque certus in promissis, cui fidem adhibeant.

12. Occupationes inutiles et quae tempus tantum defraudant evitabunt, quales sunt: obambulations, vectationes, visitationes, colloquia non tantum cum externis, sed cum nostris quoque.

REGULAE ECCLESIARCHAE

1. Attendet sub-Ecclesiarchae, ut suo muneri respondeat, iuxta suas Regulas quas habebit apud se.
2. Quolibet Sabbato ante vesperas in Sacrario, ubi sacra vestimenta induunt Sacerdotes, affigat chartam aut tabulam appendat, in qua scriptus sit ordo, qua quis die Sacerdos celebrare debeat Missam, tam maturam quam summam. Eodem modo Diaconis etiam ordinem in ministrando praescribat, attendetque, ut diebus Dominicis ac Festis semper Sacerdoti assistat Diaconus; si fuerint duo, alter ad summam ministrare poterit, nisi solenni pompa celebranda sit Missa, tum enim ordinabit ministerium Diaconorum, iuxta ipsorum numerum.
3. Eidem incumbet attendere, ut vulgarior vestitus sit sacer usui diebus pro festis, pocior vero nec tunc usurpetur, nisi ex gravi quapiam causa idque conscientia Praeside, principalissimus autem servabitur pro principalissimis festis.
4. Impensam curam adhibebit ut venerabile Sacramentum Corporis Domini omni reverentia circumspectioneque asservetur et pro necessitate mutetur, non expectata tertia quinta magna.
5. Attendet ut Missae pro Defunctis, praesertim, quemadmodum infra exprimetur, pro Fratribus nostris et Fundatoribus ne intermittentur atque commemorationes fiant pro piis etiam in aliis Missis.
6. Quando Praeses causam quapiam Domino Deo in Missis comedandam volet, annotabit id in charta et affiget eam in sacrario, ubi Sacerdotes saeculis vestimentis se induunt.
7. Si quis externorum dicere Missam velit, non admittet nisi notum et qui sit aedificationi, super quo consulat Praesidem.
8. Advertet an Sacerdotes celebrantes satisfaciant obligationibus suis Regulisque, quae ipsis sunt praescriptae, an pili verticis tonsi aut rasi et quidquid ipsis ad decorum ecclesiae spectat.
9. Ordinandos instruet in ritibus ceremoniisque ecclesiasticis aut per se aut per alium, quem ipsi Praeses addiderit; attendet utque omnes non tantum in ceremoniis, sed in singulis Missae verbis uniformitatem servent. Item ne Confessionem excipiant, nisi ii qui destinati sunt a Praeside.
10. Fratres nostri communicabunt iuxta Regulas Communes certis suis temporibus. Ipse vero cum Hypo Ecclesiarcha attendet an ne quis Fratrum sit hac in re negligens Praesidi significabit; communicabunt autem Fratres separatim saecularibus.
11. Sacrum Chrisma semper ut sit recens, et reverenter servetur. Item Reliquiae Sanctorum, et si quis has videre velit, pariter reverenter et cum debita reverentia monstrabuntur.
12. Crucem, calices aliquamque supellectilem et ornamenta ecclesiastica circumspice asservabit, ne destruantur, quod si quid destruatur, consulto Superiore statim curabit reparari.
13. Altaria, mapiae ac tobalia et caetera, quae vestiunt ac contegunt Altare, ut sint munda nitidaque; quare saepius ad lotum dabit permutabitque.
14. Si exornanda erit ecclesia, nil inconsulto Praeside utendum a quapiam accipiet, acceptam vero rem bene custodiet, et restituet deinde integrum,

15. Si ecclesia aliudve quod ad eam spectans egeat reparacione, Praesidi referet curabitque efficere quid ipsi Praeses praescripserit.

16. Commemorabit Praesidi, ut aliquos designet, qui obseruent Concio-nes nostrorum; hi vero si quid animadversione dignum notent, primo ad Praesidem referent, deinde, si ita Praesidi visum fuerit, monebunt Concio-natores; attendet quoque ne contio ultra horam protendatur.

17. Curabit ut tot sint Confessarii quod esse necesse sit, ut ne excipiatur confessions de nocte, quod si secus ex necessitate accidat, ut candelae seu lumina ardeant.

18. Si exornandae ecclesiae pecunia colligatur, aut a piis detur, in scrinio oeconomi asservabitur duabus seris clausa, clavum una apud Praesidem al-tera apud Ecclesiarcham reposita.

19. Albae ceteraque linea, uti purificatoria, corporalia etc., ut munda sint saepeque laventur modo solito. Item antemensia vetera permetentur novis, ipsa vero comburantur, et cinis in loco mundo asservetur.

20. Librum habebit in quo conscribat ex ordine omnem suppellectilem ecclesiasticam, alterum vero in quo quidquid accesserit, aut adauetum sit de novo, quibus et personam a qua datum quid sit. In eodem libro scribet ea, quae sunt veterata, nullius usui,

21. Res praeciosiores frequenter perlustrabit ne quid perditum sit aut malo usu destructum seu viciatum; cui rei habebit arcas munitas portasque ecclesiae diligenter obserari curabit.

22. Si quis Fratrum nostrorum de vita migraverit ea quae ad funus reli-giosum spectant atque pro suo quisque ordine funebri indumento vestiatur, ante vero ut ad corpus lectio cantusve solitus sit. Item ut pro anima Defunctorum consuetae quadragenae Missae ac Exequiae peragantur.

23. Sub eius cura erunt musici et cantores saeculares, si qui aderunt.

24. Attendet ut Sacerdotum quilibet sigillatim certis temporibus eidem fini dicat Missas infra notabitur; Fratres autem, qui non sunt initiati sacris, praees dicent, quas ipse consulto praescribet Praeside.

25. Missarum ordo erit eiusmodi; ineunte quolibet anno solennis celebra-bitur Missa pro confirmanda augendaque Religione nostra, die scilicet 1.-a Januarii, Sacra Circumcisione Domini et Sancti Patris nostri Basilii Magni, huic ei de proposito cooperabuntur singuli alii Sacerdotes sigillatim quilibet dicens Missam.

26. Quolibet anno post prima memorata Dominica S. Basilii solemnis item celebrabitur Missa pro Fundatore loci proque Benefactoribus nostris vivis et defunctis; pro iisdem dicet quoque Missam sigillatim quilibet reliquorum Sacerdotum.

27. Initio cuiuslibet mensis celebrabit Missam is cui ex ordine celebran-dum accidet, pro Religione nostra; eodem die alia celebrabitur Missa pro Fundatore et Benefactoribus nostris. Item diebus festis duae peragentur Mis-sae, altera pro Religione, altera pro Fundatore, ab iis Sacerdotibus, quibus id continget secundum ordinem vicis sua.

28. Qualibet septimana pro Benefactoribus nostris dicetur una, duaeve, aut etiam plures Missae pro ratione loci Sacerdotumque.

29. Quando Religio nostra acceptata loco aliquo in possessionem eiusdem venerit, Sacerdotum quilibet pro Fundatore eiusdem loci proque Benefactoribus nostris ternam dicet Missam.

30. Si morietur Fundator, pro eius anima proque Benefactoribus eiusdem Domus nostraræ tres Missas dicet quilibet Sacerdos.

31. Si quis Fratrum aut Patrum obierit nostrorum, quilibet Sacerdos eius 3 Missas dicet, praeter consuetum Missarum quadragenarum. Per alia vero Monasteria unus quisque Missam peragat. Fratres autem, qui non sunt sacris iniciati, totidem audient Missas orando pro Defuneto quot dicet Sacerdos. Ii qui missi sunt censemuntur de numero Patrum, Fratrumve illius Monasterii, ex quo sunt missi.

32. Item servabitur modus si plures Fundatores conferant Symbolas ad fundandum Monasterium pro nostris.

33. Omnes Sacerdotes fixa ad Monasteria tenebunt ut orent pro unione Sanctorum Ecclesiarum, incremento Divinae Glorie in Ritu nostro, extirpatione haeresum schismatisque proque iis qui vel iuvant vel impediunt bonum animarum, pro amicis inimicisque nostris, Instituti, pro iis qui spiritualia nobis praestant remedia.

34. Qualibet septimana Sacerdotum quilibet Missam dicet pro Pastore ordinario advocando Divinam opem eius propositis beneque administrando suo muneri. Qualibet itidem septimana Sacerdotum quilibet dicet Missam pro altiori Superiore, alteram vero pro sui Monasterii Praeside.

REGULAE HYPOECCLIESIARCHÆ

1. Hic in omnibus rebus ecclesiae morem geret Ecclesiarchæ.

2. Modestiam moderationemque religiosam servabit in incessu, sermone aspectuque.

3. Externis sciscitantibus de re quapiam, aut aliquid potentibus ipse curabit satisfacere cum eorum aedificatione, aut ducet ad Ecclesiarcham; quod si contingat faeminas alloqui, demissis id oculis aget, et quam primum expediet sese ab eo alloquio.

4. Praeparabit sacram vestitum Sacerdotibus celebrantibus disponetque competenti ordine et vestiet Sacerdotes.

5. Celebranda Missae duas saltem accendet candelas, attendet item ut vinum sit sincerum purumque, aqua pariter recens et limpida, ampullæ seu urreuli nitidi, panis ex optimo tritico praeparatus, super quo monebit Pistorrem, qui si suo huic officio non satisfaciat, deferet Praesidi.

6. Sacerdotes excipiendis confessionibus a Praeside assignatos ipse vocabit ad ecclesiam si vero eorum indigeant confessari, quibus vel maxime gratificandum est.

7. Si quid pro Paracletice seu Supplicationibus datum fuerit, Ecclesiarchæ reddet, hic vero significabit Praesidi.

8. Magnam adhibebit diligentiam in seranda Ecclesia ac imprimis circumspiciet ne quis remaneat, abscondatur se, donec vero ecclesia aperta patet dabit operam ne unquam desit Custos, sed vel ipse vel alias quispiam ex apto prospectabit loco, quid geratur in ecclesia.

9. Curabit mundiciam in Altari circa illud, conteget altare ne poloeretur, exornabit suis temporibus. Item vasa sacra omniaque, quae ornamento ecclesiae sunt, asservabit cum diligentia circumspectioneque suis in locis.

10. Ecclesia ut sit munda, quapropter semel in septimana verretur, praesertim autem pridie solennium festivitatum.

11. Attendet ut candele circumspete extinguantur.

REGULAE BIBLIOTHECARII

1. Curabit omnes Monasterii libros in unum librum, huic rei comparatum, inscribi eo ordine, ut separatim inscribantur libri spirituales et sacri, tum profani. Item inter spirituales separatim graeci a latinis, Patres ab aliis Doctoribus. Pari modo inter profanos separatim philosophi ab oratoribus et hi ab aliis, alias disciplinas tractantibus.

2. Item curabit ut iidem libri bono ordine collocentur, vel in pluteis vel in scannis huic rei accomodatis cum suis discriminibus affiganturque chartulae super singula pluteorum aut scannorum discrimina, in quibus generatim notentur authores, cuius sint sententiae aut professionis, item in singulis libris quis sit eiusque libri author in particulari, ut sic facile, si quo libro opus sit, possit inveniri.

3. Bis in mensem verri faciet Bibliotecam, semel vero pulverem depellet fenestras pluteosque ut proflatus capere possint diebus serenis aperiet, quod si humiditas aliqua compareat in libris, locum librosque humectatos essicabit.

4. Praeter indicem omnium librorum Monasterii alterum habebit, in quo Frater quilibet inscribet quos eo anno ad usum libros excepturus est. Anno autem exeunte iuxta eundem indicem recipiet a Fratribus libros, quibus non indigebunt amplius, relictis necessariis, iuxta arbitrium Praesidis vel eius quem assignabit Praeses. Item si quis Fratrum ante exactum annum discedat, secundum eundem indicem omnes libros reddet. Quod si desit aliquis liber aut destructus sit, Praesidi significabit.

5. Eos autem libros qui in comuni usu erant poterit, consulto Praeside, committere Fratrum cuiquam, qui eos quotidie ordinate in uno loco componat singulis suis ligulis clausos.

6. Si quem advertat, qui libros male curet, non eos claudat, eos pingat, folia frangat, loco chartularum discriminatoriarum folia plicata interponat, ad Praesidem referet, ut Frater is moneatur.

7. Libros Monasterii nulli Saecularium aut Ecclesiasticorum praeterquam nostris, qui in Monasterio degunt, commendabit, nisi magna urgente necessitate, cum singulari facultate ipsius Praesidis, idque praestituto certo tempore brevique intra quod restituatur nomenque connotabit accipientis, cum autem tempus illud venerit, mox repetet. Item cum quis Fratrum ad breve tempus librum quemdam accipiet, sribet non in indice, sed in tabula huic rei accommodata, quae appendetur in loco, unde facile videre legique possit, at neque hos libros fratri concedet absque venia Praesidis.

8. Biblioteca erit semper oclusa. Claves ab ea erunt duae, altera apud Praesidem, altera apud Bibliothecarium, quam hic non cuique concedet sed

illis tantum quibus permissum sit a Praeside, qui tamen ipsi, oclusis ianuis, legent libros sibi necessarios, alios intro haud admittent; eandem clavem pro noctu reponet apud Praesidem maneque recipiet.

9. Attendet ut libri, praesertim qui sunt maioris momenti multumque necessarii, si sint laceri reficiantque, quod ipse praestare id possit, aut Fratrum quispiam, artificeem non adhibebit; si vero charta aliqua pluresve desint, curabit ex aliis similibus codicibus transcribi.

10. Libri haeretici in repositorio occultiore asservabuntur, ut ne quis eos legere possit, nisi licentiam legendi habeat a Metropolita, aut ipso Summo Pontifice; quare oportebit habere praesto indicem librorum prohibitorum.

11. Si ei innotescat prodiisse in lucem librum quempiam Monasterio necessarium, aut offeret se oportunitas comparandis libris necessariis, significabit Praesidi, curabitque eos comparari.

REGULAE OECONOMI NUNC PROCURATORIS

1. Ad officium eius spectat providere omnia necessaria toti Monasterio; idcirco cura eius connotentur omnes proventus Monasterii, quos suo tempore recipiet ad Monasteriumque deportabit, quod si visum Praesidi fuerit conquerere eleemosinas, ipse eas recuperabit.

2. Proventus Monasterii tempusque quo solent percipi conscriptum habebit in separatis libris. Seorsim vero scribet locationem domorum, adnotato praetio, tempore, proventisque. Item alios contractus seorsim, itidem quid pro tempore sive in rebus, sive in pecunia ex proventibus Monasterii reciperit, seorsim eleemosinas quoque.

3. Quolibet trimestri rationes reddet coram Praeside de accepto et dato, seu expenso, item si quid debeat Monasterium, Monasteriove debeatur, ut bene calleat Praeses quid domi agatur.

4. Si notabilis quaepiam summa pecuniae aliunde obvenerit, arbitro Praeside, in certo scrinio huic rei comparato duplique sera cluso reponetur, a quo alteram clavim Praeses, alteram Oeconomus asservabit, scribeturque quid impositum, quidve inde acceptum fuerit, cui rei separati libri comparabuntur.

5. Quidquid afferat, qui recens admittitur ad Religionem, cum scriptione manus ipsius recipiet reponetque res utensiles, in penu vestiaria, pecuniam vero in repositorio pecuniae Monasterii usque dum emittat vota.

6. Dispensatori dabit pecuniam coëmendis necessariis, cum quo inibit rationem qualibet septimana easque expensas in suo libro annotabit.

7. Diligenter attendet, ut suo tempore quidque ematur, ne deinde aut aque bene aut dupla pecunia ematur. Id etiam cavebit, ne parcendo pecuniae coëmat minus utilia, aut quae forte nulli deinde usui futura sint.

8. Attendant ut ea, quae empta sunt, bene asserventur, ut ne quid corumpatur, quod si advertat aut non bene asservari aliquid aut non bene dispensari, referet Praesidi aut Vivario.

9. Si in praediis aut Domibus, quae sunt iuris Monasterii reparatione quid egeat aut alio quopiam, quod expensis opus habeat, item si quid vendendum putet, Praesidi significabit, nec Domus, aut agros locabit, nec alios contractus inibit, nec mutuo accipiet, aliudve quopiam negotium aggredietur, nisi id ei committatur a Praeside, quod si secus ipsi quid faciendum esse videatur, quam

Praeses praescripserit, poterit modeste sententiam suam exponere causasque, ob quas sic ipsi videatur.

10. Nosse debet omnes causas Monasterii et si cuiquam a nobis vel nobis a cuiquam intentanda sit lis, scripturas ad causam spectantes perlustrabit beneque considerabit, tum ad Praesidem referet, et, si Praesidi visum fuerit, cum peritis iuris rem conferet.

11. Antequam causa deveniat ad iudicium, si fieri possit, conciliare partes curabit seu per semet ipsos, seu admisso arbitrio amicorum, atque sic litem sopire, quod si ad iudicem res devolvatur, id praeseferet, parti adversae innotescere faciet, se paratum esse amplectendae iustae concordiae, prosequendae causae advocatos procurabit quam optimos.

12. Si causa fuerit ardua maiorique indigeat diligentia ac ope diversarum aliarum personarum, Praesidi refert, ut designet qui id accurent.

13. Ipse superattendet omnibus privilegiis, iuribus et causis Monasterii, quae asservabantur in loco tuto quaelibet seorsim, ut facile quaelibet inveniri possit: ab hoc reconditorio clavis altera apud Praesidem, altera apud Oeconomum erit.

14. Seorsim asservabit apographa causarum, seu extracta ex Tabulis actorum forensium, ut, manentibus in Archivo originalibus, his exscriptis praebetur causa coram iudice et haec quoque asservabuntur bene et tum prae-mentur cum opus fuerit.

15. Singularis liber erit, in quo scripta erunt pociora Privilegia, etiamsi non ad verbum, modo res ipsa exprimatur, pariter alia iura super possessiobibus, quas Monasterium habet, idque ideo ut oeconomus habens illa in cella saepe relectitans perfectam capiat pericium omnium causarum Monasterii.

16. Si quam causam acceperit ex Archivo, in libro, qui ibidem appensus erit, notabit, quid acceperit, quo anno, die, mense, quando autem causam reponet e libro quoque adnotatum delebit; cella eius erit clusilis, ob scripturas eius officium respicientes.

17. Quidquid ipsi Praeses imperaverit, memoriae causa in pugilaribus aut alio quopiam huic rei apto libello adnotabit.

18. Notitiam habeat eorum, qui maxime sese praestiterunt Benefactores Monasterio tam vivos, quam defunctos, eosque in carta praescriptos appendet ob oculis, ac Praesidi significabit, ut gratos nos exhibeamus.

19. Expediet ipsi saepe conversari cum hominibus, quos ille deveniat nobis causisque nostris gratiam proinde eorum captabit, sed potissima ipsi cura erit, ut eos, quibuscum consuescit, verbo opereque aedificet.

REGULAE VESTIARII

1. Dabit operam ut reconditorum sit quam ordinatissimum, nimirum ut seorsim vestimenta pannea, seorsim linea, seorsim calcamenti reponantur, pari modo ut nova a veteribus separatim asserventur, asservandis pannis perticæ aut mensæ accommodabuntur, pro lineis armaria, pro calceamentis arcae aut asseres parietibus affixi.

2. Indusia, strophia et id genus alia linea singulis erunt singularia seorsimque asservabuntur, ne inter sese permisceantur, in unoque numerus aut aliud quodque signum inscribetur, cui rei comparabitur armarium cum diseriminibus, ut facile reperi possit, id quod unicuique necessarium sit.

3. Res, quas asservabit, in libro indicio connotabit, itemque si quid recens accessit; quidquid vero rerum novarum Fratri cuiquam tribuerit, scribet annum, mensem, diem.

4. Advertet an ne vestimento quis indigeat, aliave quapiam re, nec expectabit donec ipse Frater roget, significabitque Praesidi semel atque iterum, si forte oblitus sit, quodque prescribet Praeses praestabit.

5. Ea quae Fratribus in hyemem necessaria sunt, aestate providebit cuncta, etiam minima, quaeque pari modo hyeme quae aestati serviant, reficienda quae refici possent, aut nova praeparando.

6. Quod si quid haud indoneum reparatui fuerit, Praesidi ostendet, quodque is imperaverit praestabit; ingruente hyeme omnia quae cui Fratrum necessaria pro ea sint distribuet, receptis aestivis, quae in aliam aestatem ordinate servabit, nisi Praeses concesserit aliquid ex aestivis apud Fratrem quempiam usui ipsius relinqui, nihilominus considerabitur necessitas; idem modus servabitur ingruente aestate.

7. Utensilia linea denumerata certo numero lotori dabuntur, eodemque ab eo recipientur. Ne quid vero memoriae excidat, in charta perscribetur quidquid detur. Item quidquid dat ad Refectorium indeque recipiat.

8. Die Sabbati vespere indumenta caeteraque linea utensilia per cellas distribuet. Dominico vero die mane denigrata usu recipiet, eo numero quo Sabbato praeterito dederat, si quid desit inquiret, quod si non assequatur, Praesidi significabit.

REGULAE COQUI

1. Cum in coquina laborat, pro Fratribus intelligat se laborare ipsius Christi causa cum Martha; quare diligenter attendet, ut bene coquatur, ac prout opus sit conditatur quodlibet ferculum.

2. In coquina omnia munda sint, suppellex coquinaria tota ipsa coquina et quae circa sunt purgata, circa fercula, ut fieri possit, sese munde nitideque geret, praesertim cum pisces disponit in scutelis, ne manibus eos attingat, sed ut singulare ad id vas habeat.

3. Suo immote tempore apponet ollas igni, ut iuxta praescriptum horarum moremve Monasterii suo itidem tempore omnia sint parata, secus enim omnes occupationes Monasterii hac sola causa interturbabuntur.

4. Praescriptionem ferculorum, qualia esse debeat per integrum septimanam, habebit apud se, quantumque unicuique scutellae implendum sit, consultet Praesidem.

5. Parare aliquid singulare nec ipse praesumet, nec alii permittent, donec adsit facultas Praesidis, excepto Nosocomo, qui aegrotis ministrat, qui quidquid parandum dixerit parabit.

6. Suppellectilem coquinariam praescriptam habeat in libro, itemque quidquid ei accesserit, servabitque librum, attendens ne quid pereat destructaturve, si quid autem reparatione indigeat, aut emi necesse sit, Praesidi suo tempore significabit.

7. Diligenter attendet, ut lignorum quam minimum consumatur, idemque servabit in aliis rebus, ut ratio habeatur religiosae paupertatis, nec quid sit supra necessitatem, ideoque nec plus de coeto parabitur quam exigat numerus Fratrum, ne nimis ab illis supersit.

8. Quidquid superfuerit in coquina in ollis aut in refectorio in scutellas colligetur et ipsi reddetur, qui memor paupertatis asservabit ac deinde indigentibus domesticis aut externis distribuet, consulto Praeside.

9. Ab ira murmureque in exequendo suo officio diligenter cavebit, ut ii etiam saeculares, qui eum in ministerio adiuvabunt, habeant quo aedificantur, non scandalizentur.

REGULAE CURATORIS REPECTORII

1. Attendet ut in refectorio omnia sint munda, verretur qualibet quarta feria et Sabbato et cum opus fuerit. Item atrium refectorii, stamnum cultrique ac cochlearia repurgabuntur, mensae stamnaque lavabuntur, areneae amovebuntur, aliaque omnia, quae ad mundiciem nitoremque spectant, suis temporibus curabuntur; si quae vero ipse praestare non possit, adiutorem a Praeside petet.

2. Aquam a lavaero post caenam totam effundet, recentemque, quae satis sit in integrum diem infundet, mantilia, mappas, mappaliaque suis temporibus prout opus fuerit siccabit, mutabit, totumque humefacta dabit, deinde eodem in numero recipiet.

3. Suo tempore pulsabit primo campanam pro mensa, rerecito in coquina parata esse omnia, secundus pulsus a primo uno quadrantae tardabit; pro secunda vero mensa lector lectione absoluta pulsabit.

4. Si quis Fratrum non servet silentium aut in alia quacumque re contra decentiam religiosam delinquit, tam ad primam quam ad secundam mensam, item si quis inter prandium caenamque otiose ad refectorium ventilet Praesidi referet.

5. Quidquid a mensa panis ferculorumque aut potus superfuerit, nulli suo arbitratu dabit, non tantum externo, quamvis mendico, sed ne Fratri, sed iuxta praescriptum duntaxat Praesidis indigendi reddet.

6. Postquam a mensa surrexerint Patres Fratresque mappas executiet, ei si opus sit, exsiccabit, complicabit, inque conditorio ad id comparato reponet.

7. Quolibet Sabbato praescribetur ordo in charta a Praeside eorum, qui per iminentem septimanam ministrabunt ad mensam primam secundamque. Item quis lecturus sit ad mensam per eam septimanam; quam chartam in loco ex quo videri legique possit appendet in refectorio. Quod si quis huic ordini non respondeat delatus ad Praesidem paenam subibit.

8. Sciet conscriptosque habebit eos, quibus facultas data est, ne ad primam mensam veniant, sed ad secundam aut in cella comedant, monebitque coquum quot scutellas ad primam secundamque mensam cellamve, cui id permissum

sit, dare debeat; si quis vero non habita facultate ad primam mensam non venerit de tali Praesidi significabit.

9. Res refectorii omnes ad minimam usque conscribet in charta servabitque chartam apud se cum subscriptione manus Praesidis, si quid vero accesserit ibidem adseribet, custodietque tanquam res ipsius Dei, ne quidquam dispereat destruaturve. Quod si ipse apud quempiam Fratrum aliquid de rebus refectorii frangat, rumpatve, aut perdat, mox significabit ipsem et sincere Praesidi paenamque flagitabit, utque reficiatur res curabit.

10. Hyeme attendet utque fornax calefiat ac ternis diebus taedae lignaque vespere praeparentur, ut mane hora quinta circumspexe ac absque damno accendatur; si qua parte fumus permeat et mox meatum obliget, cui rei argillam retro fornacem asservabit.

11. Candelas accensas vespere hyeme cum candelabrio enuncioriisque per mensas disponet, ut in maioribus mensis hinc sint. Lectori autem separatam parabit statuetque candelam.

12. Saeculares ad refectorium non tantum ipse introducet, sed aliis quoque id vetabit, nisi expressa adsit facultas Praesidis, nec ipse diu in refectorio demorabitur, nec alios demorari permitte, sed omnia suo tempore cum aliis peraget, nimis orabit, librum spirituale leget, ecclesiam frequentabit.

15. Suo tempore significabit Praesidi quo opus esse putet in refectorio ut si vas quodpiam novum emendum sit, aut vetus reficiendum, aut repositoria addenda.

REGULAE DISPENSATORIS

1. Officium eius in hoc consistet, ut recte ordinateque dispensetur quidquid in cella penualia potuariaque extat cum respicientia ad religiosam paupertatem; respectus tamen habebitur necessitatis cuiusque, qua in re etiamsi aequalitas inter nos servanda sit, tamen potior ratio habebitur aegrotorum aut imbecillorum pro eo, quod ei Praeses praescriperit, qui in omnibus his consuletur.

2. Ad eius quoque munus pertinebit attendere, ut in coquina, refectorio, penario, cellaque potuaria omnia fiant suo tempore, familiam Monasterii operariam ipse curabit, attendetque ut muneri suo quisque satisficiat, non solum in operis, sed etiam in pietate, qua super re subinde refricabit memoriam Praesidi aut Patri spirituali, cui eos Praeses committet, quodque ille statuet, ipse effectui mandabit.

3. Qualibet die conferet cum Vicario, qui ideo additus est ut cui rei attendere non possit Praeses attendat Vicarius, tamen Praesidem quoque ipsum consulere poterit cum ipsi necessarium esse visum fuerit.

4. Attendet ne Fratres per Monasterium divagent, neve cum famulari turba, nisi eorum cuipiam singulariter a Praeside concessum sit, conversentur. Sed ut quisque suae incumbat occupationi, et si aliquam advertat inordinationem, eodem vespere imo tempestivius etiam Vicario significabit.

5. Si quid supersit a mensa, id memor sanctae pauperitatis asservabit, deinde convertet ad domesticos pauperes, qui degunt ad ecclesiam scholamve. Diligenter succulosa asservabit victualia attendetque ne corumpantur, et si prope sit ut corumpantur, Praesidi significabit, quod ut rectius observet saepe adibit penarium aliaque loca, ubi asservantur quae spectant ad vietum; tam penarium quam vasa caeteraeque res, quae inibi sunt, munda sint.

6. Si res quaepiam deficiat in fundoque sit tempestive monebit Praesidem, ut provideatur; tonnae sint mundae, cervisia mulsa ne potetur donec defaecetur, quare commemorabit Praesidi, ut tempestive coquatur.

7. Citra arbitrium Praesidis nulli Patrum Fratrumve tribuat quodpiam, neque potum, praesertim a prandio et Completorio, nullasque curabit preces minasve, si vero hac in re gravis ei sit Pater quispiam aut Frater, mox deferet Praesidi.

8. Ante Completorium demittet familiam domesticam, ut mox a Completorio omnes claves reponantur apud Praesidem, apud ipsum vero nunquam claves pernoctent.

REGULAE NOSOCOMI SEU INFIRMARII

1. Ut primum rescierit de morbo Fratris cuiuspiam, si putet rem non esse spernendam, Praesidi significabit.

2. Si incidat quis in morbum, consuletur Praeses an mox advocandus sit medicus; quoties vero venerit medicus, ipse quoque ei aderit, utque de adventu medici sciat, monebitur sono campanuli domesticae.

3. Id quod aegroto praebendum fuerit, curabit ut tempestive procuretur beneque praeparetur.

4. Cellae aegrotorum sint mundae, strata idonea aliaque providenda, quae aegrotum solentur.

5. Solabitur et ipse aegrotum verbis spiritualibus exhilarantibusque curabitque libros ex quibus aegrotus solatium opemque spiritualem capiatur.

6. Interrogabit Praesidem quos Fratrum vocari iusserit ad invisendum aegrotum miscendumque eum illo sermonem, cavebit vero ne dum vult gratificari aegroto, potius ipsi obsit.

7. Diligenter attendet, ut quod imperet medicus, omnia praestet neve quid eorum intermett aut immutet, utque eo tempore coque modo, quo praescribet medicus, praebeat medicinam, prandium, caenam, quae cuncta memoriae gratia seribet sibi in charta, iuxta praescriptum medici.

8. Tenebit memoria dum quidam aegrotare eeperit horaque qua morbus incipit et qua abscedat, tum propter medicum, tum propter Praesidem, ut illos informet, tum etiam ob eibum, ut tempestive eum exhibeat.

9. Si morbus sit contagiosus, vasa alia tali providebuntur, quibus caeteri non utuntur.

10. Qui revalescere incipiet non permittendum ut e lecto surgat, donec medicus Praesesque concedat.

11. Diligentissime curabit, ne debita aegrotis ministeria desint, rationem tamen habebit etiam suimet siveque socii, ne nimis vigiliis excedentibusque laboribus aut contagione morbi valetudinem laedat.

12. Incipiente gravi morbo, monebit Praeses aegrotum, ut omnia Sacra-

menta suscipiat donec compos sit rationis, quod si absit periculum nihilominus attendendum, ut die qualibet octava Saera Comunione sese reficiat, nisi Praeses ob causam quampiam eo tempore intermittere iubeat.

13. Morbo invalescente monebitur Praeses, ut omnium Domesticorum praecibus diligenter commendet aegrotum, eoque diligentius, si eum propinquorem morti advertat, ut agonisanti nostri quam plurimi adsint, qui eum iuuent in eo, quo tune temporis indignerit.

REGULAE JANITORIS

1. Id diligentissime attendet, ut ianua Monasterii sit semper oclusa, neve claves in sera resistent; quod si ipse de expressa voluntate Praesidis exiturus sit, alium in suo loco relinquet.

2. Cirea ianuam mundicies servabitur verreturque etiam qualibet die, si opus fuerit.

3. Attendet ut si quis ad ianuam loqui vellet, submissa id voce faciat.

4. Nomina omnium Patrum Fratrumque in tabula descripta prope Ianuam habebit, loco omnibus conspicuo, ubi certis singulis adnotabunt se ipsos, qui exeunt; quod si illi id non praestiterint, ipse praestabit, ut sciat quis domi adsit, quis absit.

5. Neminem extra ianuam exire permettit, qui facultatem non habeat a Praeside; percontabitur vero ex iis quo vadant ut sciat, ubi quaerendi sint, si opus fuerit.

6. Cum audiverit sonum campanae ianitoriae, mox relietis omnibus properabit ad ianuam, et si commode possit per fenestrelam ianuae expediet allocutorem, si negotium exigui momenti sit, quod intelligere poterit ex circumstantiis, quis nempe a quove, aut ad quem venerit, quomodo vocetur. Quod si negotium perspexerit esse momentuosum, nulla re cuipiam dicta, Praesidi significabit, qui si annuat, vocabit Patrem Fratremve, qui requiritur.

7. Idem intelligendum est de literis aut eleemosinis cuicunque missis et ne de eis sciat is, cui missae sunt, nec item permettit efferri ex Monasterio literas aliudve quodpiam, inscio Praeside.

8. Si quis Fratum nostrorum ex alio quopiam Monasterio veniat, non ipsum introducet intra claustrum, donec Praesidi de eo significet. A pociori id observabit cum saeculari; faeminas vero numquam permettit ingredi intra claustrum, nisi cum expressa facultate Metropolitan. Modus agendi cum adventantibus erit eiusmodi, ut quem aedificet non tantum verbo sed et opere, ipse vero imaginem in se referet omnium degentium in Monasterio; idecirco non diu cum eis colloquetur, ne ad multiloquium delabatur. Faeminas vero quam primum, haud nectendo cum eis moras, expediat.

10. Si quis ex hominibus insignioribus venerit, deducet talem ad cellam ad ianuam, si fieri facile possit, Patrum quempiam relinquit cum illo, donec Praesidi significet, ut descendant hospitemque pro eius statu recipiat.

11. Muneri ipsius erit attendere ut portae Monasterii claudantur resernturque suo tempore, claudendo eas prius quam nox superveniat. Clausas nulli aperiet citra arbitrium Praesidis, mane vero aperiet simul ac signum dabitur in ecclesiam per campanulam, antequam in campanili pulsetur campana, pro

cantando Divino Officio; post Completorium cum itur cubitum primum in area ecclesiae et Monasterii circumspiciet, an porte sint clausae, deinde ianuam claudet clavesque ad Praesidem referet.

12. Si sciat de quopiam, quod in area remanserit neque in claustrum sit regressus, Praesidi significabit. Item si quis cum facultate Praesidis abeat invitatus ad prandium, neque redeat post primum pulsum pro vesperis, aut egressus post vesperas, non revertatur ad domum pro caena, qua in re conscientiam eius coram Deo obstringimus.

13. Hasce Regulas ad suum munus spectantes diligenter servabit observabitque et si qua in re delinquat culpam dicet coram Praeside paenamque conditam infligi sibi posset; cum hoc officio curabit, ut aliam praeter ea singularem habeat occupationem, quae ipsum in hoc suo munere non distrahat; potissima fuerit si incumbat lectioni spirituali cum consideratione, oret rosarium, coronamve adhibitis globulis praecatoriis. Interdum etiam scribat aliudve quodpiam eiusmodi factitet, consulto Praeside aut Patre spirituali.

Hae sunt Regulae particulares, quae haberi nunc potuerunt, et si subinde mancae et sensu alicubi obstruso, et quas collector huius voluminis eripuit interitui alias ob iniquitatem temporum nostramque incuriam prorsum perituras.

Desiderantur regulae Secretarii Ordinis, Notarii Congregationis, Confessariorum communium, etiam quoad saeculares, Rectoris scholarum, Praefecti, Magistrorum, Regulae modestiae, quarum aliquas vidit ipse collector, aliquas supponit extitisse et nonnullae memorantur subinde etiam in hoc volumine.

Scripsit Iosephus Regulas etiam Episcopis imo ipsi Metropolitae et quidem Metropolitae Regulas hactenus non meminit se vidisse collector, quod aut interierint, aut alicubi delitescant, earum autem quae praescriptae sunt Episcopis, extat exemplar rhutenicum manuscriptum, manuque ipsius Josephi et correctum et subscriptum, quod hic latine redditum representatur, ut sequitur.

188.

In Metropolia Kiovensi, ante an. 1636

Regulae s.d. Episcoporum, quas, ut videtur, Metropolita in ultimo Capitulo Generali eius vita durante promulgavit.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscova, Polonia, Rutheni*, vol. 8, fol. 640-659v.
BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 4898, fol. 53-59.

REGULAE EPISCOPORUM

Caput Primum

QUO OPUS SIT EPISCOPO RATIONE EIUSMET IPSIUS

1. Quod inesse voluit Christus S. Petro cum committeret ipsi pasturam Ovium suarum, idem intelligat Episcopus velle Christum, ut ipsi insit. Ni-

mirum ut sit perfectus in fide catholica, noscat omnes fidei articulos, ac sciat eos propugnare cum opus fuerit, item ut fundatus sit in charitate erga Deum et proximum.

2. Primo igitur ante omnia curabit semetipsum, ut sit Tabernaculum Spiritus Sancti, sciens tam arduum munus absque singulari auxilio divino recte administrari non posse; auxilium autem eiusmodi communiter dari non solet, nisi quis illud mereatur vita spirituali, hoc est frequenti meditatione, puritate animi, et exercitatione in virtutibus, praesertim ad statum ipsius pertinentibus.

3. Vita Episcopi exterior esse debet eiusmodi, ut exemplo sit vitae aliorum, qui ipsi subsunt, Officium Divinum debita cum diligentia devotioneque singularis diebus suo tempore recitat. Missam itidem qualibet die saltem audiet, quod observabit etiam tum, cum in praedio deget.

4. Saepius confitebitur, et communicabit, examinabit conscientiam singularis diebus, procurabit etiam libros statui suo congruentes, quos exstare sciat apud viros pios doctosque.

5. Saepe aut semel saltem in rebus domata, destinata a se ad id die, cogitabit de iis, quae requirantur necessariaque sint in eius Episcopatu, quod ad modum meditationis faciet, invocato prius Deo Domino, quodque menti recurrat ne elabatur, in singulari libro adnotabit, quem apud se in arcano observabit.

Caput II.

QUID EPISCOPO NECESSARIUM SIT RATIONE STATUS EIUS RELIGIOSI, ET IMPRIMIS VOTI OBEDIENTIAE

1. Obedientiam praestabit in omnibus Hierarchae suo Metropolitae.

2. Quolibet anno per litteras significabit Metropolitae de se suisque negotiis. Tertio quolibet anno ipse adibit Metropolitanum, quod si ipse id praestare haud possit, per alium quempiam virum gravem e suo Clero id praestabit.

3. Vocatus a Metropolita veniet absque omni excusatione, nisi gravi morbo retineatur, aut alia quapiam causa magna, de quo obice mox certiorem faciet Metropolitam, eius id considerationi permittens, ut ipse cognoscat quid maioris momenti sit, an id cuius gratia veniendum sit, an illud ob quod restandum, quodque scribet Metropolita hoc Episcopus sequetur.

4. Cum ad eum Metropolita venerit inspecturus res ipsius Ecclesiae, acceptabit tamquam legitimum Pastorem, Patremque suum, lustrationem propriis impensis sustentabit, in quo eum Metropolita monuerit, aut quod praeciperit, omne id praestabit.

5. Partium Episcopi erit auctoritatem iuraque Metropolitana, ac si propria tueri, ut integra perduren neque a quopiam infringantur.

6. A sententia Episcopi appellatio ad Metropolitam, a Metropolita vero ad Sedem Apostolicam Romanam semper currat, quam impedire, ac obicem quempiam ei ponere nemo praesumat.

7. Diligent, venerabunturque Metropolitam Episcopi tanquam Filii Patrem, monitiones eius grataanter acceptabunt, curabuntque ut subditi eorum idem praestent.

8. Quando literae encyclicheae Metropolitae expedientur ad Episcopos, vicinior Episcopus ad vicinorem sibi Episcopum, eodemque modo ulterius alter ad alterum eas promovebunt, circummittentque, donec ad singulos deveniant, quod si ad quemlibet sigillatim scripta fuerint literae simulque omnes ad unum mittantur, is, acceptis ad se spectantibus, reliquas novo involucro inclusas suoque sigillo munitas ad alium mittet Episcopum, et sic deinceps modo dicto alter ad alterum, donec ad omnes deferantur, ut non sit opus Metropolitae ad singulos singulares mittere Tabellarios.

9. Post obitum Metropolitae ii Episcopi, qui de nostra Congregatione sunt, collatis Capitibus viribusque curabunt ut unus ipsorum, aut sacerdotum quispiam nostrae Congregationis, qui iudicio ipsorum tanto muneri, quam maxime par sit, quamprimum in Metropolitam renunciatur, imploratis hanc in rem commendaticiis ab iis, qui optulari possint, uti sunt Senatores, allique Proceres. Candidatus quoque suas scribat literas, cui omnes subserbent Episcopi omnemque aliam quam eiusmodi exigat negotium diligentiam adhibebunt.

10. Inaugurationi novi Metropolitae aut eius ad Sedem Metropolitanam ingressui omnes Episcopi Congregationis nostrae aderunt tanquam negotio summi momenti, et antequam inauguretur, tradant ipsi in scripto Regulas servandas a Metropolita, quas ipse pro viribus se servaturum vobebit votumque in charta expressum, ac manu propria subscriptum, ad manus tradet Episcopi qui sit antiquior reliquis, is vero Proto Archimandritae, ut in Archvio Religionis reponatur. Quodsi quis citra benedictionem arbitriumque Summi Pontificis Romani ascendere Sedem Metropolitanam attentet, ei omnes, etiamsi vitae discrimin subeundum sit, resistent.

11. Si communis quaepiam necessitas accidat, quod communes impensas exigat, consenteente mutuo in id maiori parte Episcoporum, Metropolita cuilibet Episcopatui praescribet certam pro ea necessitate conferendam summam, pro ratione proventuum cuiusque Episcopatus, quorum Ragestra habebit Metropolita ab ultima lustratione conscripta, ne ulli hac in re fiat iniuria, quod vero cuique praescriptum fuerit tempore praestituto singuli extradent.

Caput III.

QUO OBSTRINGATUR EPISCOPUS QUOAD VOTUM PAUPERTATIS CASTITATISQUE

1. Paupertas religiosa ab Episcopis maxime intus observabitur; exterior autem paupertas in hoc consistet, ne proventibus ecclesiasticis utantur tamquam Domini, sed tamquam Administratores, convertendo eos in id quod ipsis lex canonesque ecclesiastici praecepunt, quando Metropolita id exiget.

2. Dispositio proventuum Ecclesiae antiquitus eiusmodi fuerat: *Prima Pars* convertebatur in ipsum Episcopum, *altera* in ecclesiam, id est non tantum in sacerdotes, atque diaconos, sed etiam in cantores, scholam, reparationem ornatuum, et apparatus ecclesiae. *Tertia pars* inpendebatur restaurandis bonis Ecclesiae, hoc est aedificandis mansionibus, reformatis praediis augendisque

pecoribus, elaborandis agris, fodiendis stagnis piscinisque, si sint loca apta, aliisque ad rem familiarem spectantibus, item litibus sustentandisque iis qui in ea laborant. *Quarta pars* debebatur egenis, seu pauperibus, quos inter iuxta nostrorum temporum exigentiam talis possit constitui ordo: primum locum tenebunt ii, qui spontaneam paupertatem Deo voverunt, uti Religiosi, Religiosaeque, secundum, iuvenes literarum capaces, ut literis, vitaque pia exerceatur, qui deinde idonei reddantur promovendo cultui divino, iuvandisque animabus, tertio, virgines inopes, viduaeque, item sacerdotes pauperes, ac ii suscepturi Ordines Sacros veniunt, morarique apud Episcopum coguntur, dum istruantur ordinenturque, si prorsus non habeant, quo se sustentent, orphani hominesque per infortunia ad egestatem delapsi; quarto, manci, debiles, aegrotique pro quibus curabit Xenodochia erigi. Si proventuum ecclesiasticorum talis fuerit dispensatio, Episcopus bonus erit, Deoque acceptus oeconomusque ecclesiasticorum bonorum, paupertatemque religiosam intra suos cancellos retinebit.

3. Anno exeunte rationes inibit cumque iis, quibus id commisit, an quid a quopiam harum quatuor partium supersit, et id quod superest seorsim reponet reservabitque in casum, nec movebit, donec necessitas quaepiam urgens id poscat.

4. Servandae paupertati conferet, si non ipse servet pecuniam dispensemsetque, sed alius quispiam, et si fieri posset inveniatur idoneus ex Fratribus nostris, aut ex clero saeculari, sin secus vel Saecularis, explorata tamen prius fidelitate virtuteque hominis; tamen hi, quamvis perfectissimi sint, expensas in codice scribent annoque quolibet ad manus Episcopi tradent, quos ipse tempore commodo revidebit, aut alteri revidendos committet.

5. Non minus id quoque ad paupertatem spectat, ut id caedat Ecclesiae, quod acquisivit comparavitque Episcopus vita sua sive in rebus mobilibus, sive immobilibus; si quid, Episcopus existens, emet, id in nullum transcribet, vel legabit ulli, nec item ullus cognatorum ipsius sibi id usurpabit. Verum inde solvetur familiae post eius obitum, funusque honestum pro dignitate adornabitur, scitu et singulari tune dispositione Metropolitae, cui id ratione officii ipsius competit. Tamen poterit Episcopus in scripto relinquere, quis famulorum fuerit magis meritus, et quid cuique dandum, ex sententia eius sit, totum nihilominus id arbitrio permittet Metropolitae.

6. Castitas religiosa eo servabitur perfectius quo status eorum altior Deoque propinquior est. In Aulis eorum, cum in eis resident, uxores oeconomorum, aut aliorum officialium, tantoque magis aliae feminae non adsint tune.

7. Otium diligenter cavebunt, qua re utile fuerit, ut distributas occupationibus suis horas habeant; ituri cubitum cogitabunt quid sequenti die facturi sint.

8. Certam mensuram in esu, potuque, ac sommo sibi praescribent observabuntque.

Caput. IV.

QUALEM EUM OPORTET HABERE NEXUM CUM RELIGIONE

1. Erga Religionem tanquam Matrem suam, quae ipsos Deo peperit, filiali voluntate ferantur Episcopi, curantes incrementum omneque bonum eius, eamque iuvantes pro suis quisque viribus, potissimum autem in id incumbent,

ut in suo quisque Episcopatu unum saltem bene ordinatum habeat Monasterium, sub regimine Proto Archimandritae, cui omnia monasteria subiacebunt.

2. Nexus eorum cum Religione quo sit arctior, unum saltem sacerdotem, Reliosum Ordinis Nostri, quem Proto Archimandrita assignabit, cui confiteri possit, aliisque operibus spiritualibus, semper ad latus habebunt, quem licebit Proto Archimandritae, si necessitatem magnam perspiciat, revocare aliumque substituere, consciente tamen annuenteque Metropolita.

3. Item si Episcopi adesse velint Congregationi seu Capitulo Religionis, integrum id eis erit tanquam membris principalioribus huius corporis, ubi omnibus sessionibus, collationibus adesse possint adeoque voce libera pollebunt; si vero ipsi non adfuerint, recte facient si eos sacerdotes Instituti nostri, quos penes se habeant mittant, non tanquam Legatos, aut Vicarios suos, qui eorum vices impleant in Congregatione, sed tanquam Monachos, qui eandem vocem habeant, quam alii Patres, locus vero missis eiusmodi Patribus erit iuxta antiquitatem emissae professionis.

4. Etsi iuxta statum suum episcopalem non subiaceant expresse Regulis Communibus Religionis Episcopi, tamen eas servabunt apud se, saepeque legent; cum vero multa ibi sunt Episcopo necessaria, eas observabunt.

5. Vestitus Episcopi erit honestus pro statu Episcopali, et more accepto utque in eo eluceat, quod sint Monachi, item quod sint Rithus Rutheni sitque aedificationi non offendiculo, item nec in eo quid sit superfluum aut exquisitum.

6. Mensa episcopalibus quo fuerit modestior eo laudabilior erit, lectio sit ad mensam, temperantia diligenter servetur, praesertim in potu; carnes penitus non degustabunt, praeterquam in gravi morbo, et donec revalescant, si vero magna debilitas fuerit, quod iuxta sententiam catholicorum piorumque medicorum aliter refici non possint, quam cibis carnibusque, significabitur id Metropolitae peteturque facultas, ac benedictio, citra quam non presumet vesci carnibus. Eaque facultas ita intelligi debet, ut non sit advitalitia, sed durante tantum debilitate, aut intervallo temporis praefixo a Metropolita, item adverteretur, ut eiusmodi carnium esus occultus sit, non patens.

7. Familia Episcopi, quantum fieri possit, constabit ex Monachis, praesertim Oeconomus in praediis, Praefectus Domus, Dispensator, Notarius, Cellarius, tamen ut sint probati, bonique exempli. Quos mutare nequibit Proto Archimandrita citra scitum facultatemque Metropolitae.

Caput V.

QUOD EST MUNUS EPISCOPI QUOAD SAECULARES

1. Munus eius est esse Mediatorem inter Deum, et homines, offerendo Sacrificium, et orando pro populo primum sibi commisso, qui est in eius Dioecesi eiusque curiae commissus, annuntiando voluntatem Dei, id est docendo eos tam fidem veram catholicam, quam vitam piam, et quamvis haberet tales, qui huic rei proposit, tamen curabit, ut certis temporibus, uti festis solennioribus, ipse quoque doceat populum, maxime vero praestare id debet, si alium quempiam praedicando verbo Dei idoneum non habeat.

2. Attendet, ut sacerdotes in eius Dioecesi existentes satisfaciant muniis propriis. Idecirco opus erit inspectione, nimirum ut quolibet anno mittat lustratum per totam suam Dioecesim sacerdotes timoratae conscientiae, et sufficientis scientiae, qui capta legitime noticia de doctrina, ministerio, et vita cuiuslibet Sacerdotum, fideliter Episcopo significant. Idem Lustratores attendant, ut omnia in ecclesia plene adsint, quae persolvendo Sacro praestandoque cultui divino serviant, tam vestitus, quam libri ecclesiastici, utque omnia munda sint, praesertim in Altari, sed praecipue ut Sacrosancta Corporis Christi Mysteria munde asserventur.

3. Quo facilius providere Episcopus possit quo quid loci necessarium sit, omnes Decanatus et in iis sitas ecclesias conseribet in uno libro, item ecclesias vacantes, quas, donec inveniatur Parochus, viciniori commitent, qui et fundos custodiet ne diripientur, et certis temporibus celebret in ecclesia utque sciant Parochiani, ad quem reccurant in suis necessitatibus spiritualibus.

4. Synodus totius sueae Dioecesis quolibet anno peraget in uno eodemque, aut in diversis locis, prout commodius visum fuerit; in peragenda Synodo potissima habenda erit cura, ut quilibet sacerdotum confiteatur peccata confessariis ab eo expositis Communionemque sacram e manibus eius accipiant omnes, deinde dicatur exhortatio de eo quod tunc temporis tempus personaeque exigunt, ut aliquando de 7m Sacramentis in genere, aliquando de eorum singulis, praesertim de absolutione, et casibus conscientiae, monebit, ut ante unamquamque Missam alter alteri confiteatur atque quolibet die Dominico diebusque festis Missam celebrent; in ipsis Synodis causas quoque inter Ecclesiasticos iudicabit. Item si quid Laici sive Saeculares contra Ecclesiasticos habeant. Cathechismum Doctrinamque de septem Sacramentis apud nos ruthenice impressa quilibet habebit.

5. Decanus, seu Protopopa quotannis bis scribet ad Episcopum de Parochis, et ecclesiis, quae in eius Decanatu existant, ut Episcopus scire possit quid ubique per eius Episcopatum fiat; quodsi quis quadraginta leveis distet ab Episcopo, satisfecerit, si vel semel scribat.

6. Diligentissime attendet, ut nemini cito manus imponat, sed ut is, qui Ordines suscepturus veniet, primo testimonium habeant de honestis suis natalibus probisque moribus, sive a Fundatore, vel a Collatore, sive a Parochianis, deinde, ut exacte examinetur de scientia non tantum legere dicereque Officium Divinum, sed etiam ea quae sunt fidei, deque septem Sacramentis, quae nisi calleat, potius primo addiseat ibidem apud Episcopum; verum in id inspiciet Episcopus, ut ii, quibus instruendus committetur cum charitate id praestent, non aspere tractando, non insultando eius inscientiae, sed commiserando, ita ut ipse etiam id intelligat, et eo audentior sit. Munera pecuniamve ab iis, ordinationis intuitu nec ipse episcopus, nec ullus quispiam non tantum Saecularium sed nec Ecclesiasticorum exiget; si quid dederit grato animo acceptandum, si nihil haud exigendum. Notario pro literis investitivis, si quis possit, florenum dabit, qui vero nec id valeat ob inopiam, non extorquendum est.

7. Ut forma celebrandi sit eadem omnium, quivis neo-Parochus, nisi plus possit, septem saltem Missas celebrabit residens apud Episcopum, donec dentur ipsi literae investitivae addenturque ei unus Ecclesiasticorum aliquis, qui caeremoniarum ecclesiasticarum consuetudinumque nostrarum in celebrando sit bene peritus.

8. Est quoque munus Episcopi iudicare Causas, quae coram eo producentur, non tantum inter Ecclesiasticos, sed etiam et Laicos, ac Saeculares de rebus ad Tribunal Ecclesiasticum spectantibus; idecirco necessum est ut Canones habeat SS. Patrum, iuxta quos iudicet, item Codices bene ordinatos in scribendis causis, quae ad eum devolventur. Eosque libros aut ipse diligenter apud se, aut apud Notarium, si iuratus fuerit, servabit. Ad haec puniendis excessivis sacerdotibus carcerem habebit, et quae ad eum spectant.

Caput. VI.

QUALE MUNUS SIT EPISCOPI CIRCA LAICOS, SEU SAECULARES EIUS REGIMINI SUBIECTOS

1. Homines saeculares, qui pastoratu eius subsunt, ut facilius efficaciusque gubernare possit, curabit voluntatem eorum benevolentiamque erga se lucrari, non tantum bona vita sua, sed etiam invitando eos ad conversandum, gratificandoque illis, in iis quae citra offensam conscientiae propriae praestari possint. Interdum etiam bucella panis, quam ei dedit Deus, impertiendo eis praesertim, in quibus maiora momenta posita sunt.

2. Facilis sit ad eum cuilibet accessus, diviti, egenoque, praesertim liberiora habebit a suis occupationibus certa tempora, de quibus sciant homines et auditius tunc ad eum veniant. Exaudiet unumquemque patienter, respondebitque, ut cuique satisfiat. Generatim loquendo modus agendi ei loquendique, ac conversandi cum hominibus erit eiusmodi, ut hos aedificant ad amoremque erga se allicant.

3. Si quis propudiose cum Dei offensa aliorumque scandalo vivat, monebit talem caute primo, ut voluntatem eius erga se, quantum fieri possit, integrum conservet, quod si monitio eiusmodi fructum non sortiatur, alia adhibebit maiora monita, quae ratio naturalis dictet, praemissa super hac consideratione; si vero nec id iuvet, praestabit gratiam amittere hominis, quam laedere gratiam Dei, intereque monebit, denique serius, denique animose utetur, data sibi a Deo auctoritate, neminem tamen in ira corripiet.

4. Si quis patrare quid aggrediatur, quod aduersetur Deo eiusque gloriam infringat, maxime vero si et alias inficiat, huic opponet sese etiam cum discrimine vitae propriae.

5. Antequam ad hoc, aut grave quodpiam negotium se accingat, ubi potentia adsit adversae partis, hoc procedet ordine; primo, Domino Deo se committet, implorabit ab eo bonum consilium, commendata re etiam aliorum precebus praesertim pientorum, deinde accurate consultabit cum viris timentibus Deum eiusque gloriam amantibus, quosque putat, in eiusmodi negotiis versatos, recteque consulturos. Item cum iis quoque, quorum ope ad id negotii indigeat, denique secum ipso. Tum si videatur aggrediendum negotium illud aggrediatur. Postquam vero est aggressus, constanter persistet, nec diligentiae sumptibusque, quantum negotium exigerit, parcat, donec ad finem perducat.

6. Eos quibuscum frequentius consuescit, ducet ad rectam e tota vita confessionem, quod ut eo libentius praestent, expediet ut occludant sese cum eis

in penetrali ostendatque ipsis rei tantae necessitatem. Porriget et modum recte instituendi examinis conscientiae seseque offeret si voluerint in confessarium, aut suppeditabit talem, quem aptissimum ad id putet. Post confessionem curabit, ut ordinet vitam imposterum, pro statu occupationibusque quisque suis.

Caput VII.

QUOD OFFICIUM SIT EPISCOPI QUOAD PROPRIAM FAMILIAM DOMESTICAM

1. Perpendens Episcopus gravissima illa Apostoli verba 1ma Timotheum, 3: Si quis autem Domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit, dabit operam, ut familia eius exemplo sit aliis in sobrietate, pietatis aliisque honestis actionibus; idecirco haereticos, potatores, libidinosos, litigatores penes se non tolerabit, nisi spes adsit haud vulgaris eorum emendationis.

2. Prima cura Episcopi circa familiam erit, ut eos conservet in pietate, hoc est ut frequenter confiteantur, saltem vero quatuor singulis annis communicent, cui rei confessarius Episcopi attendet.

3. Ut bene ordinetur familia Episcopi, curabit, ut nisi adsit Ecclesiasticus aliquis saltem saecularis quispiam sit rectus beneque compositus vir, etiamsi uni ipsi tantum solvendum, quantum duobus tribusve aliis, cui cura committatur moderatioque omnium. Ipse sciet de re omni domestica familiaque utque omnes ei pareant eumque venerantur, quod facilius praestabunt, si ad ipsius intercessionem apud Episcopum Dominum suum consequantur quae iuste petierint. Episcopus quoque rationem habebit intercessionis eiusmodi sui Ministri.

4. Ne familiae ansa adsit insolentiae, curabit ut omnes penes ipsum in aula eius commaneant, non vero per hospitia in urbe aut civitate diversentur, nisi cui id Episcopus permiserit; item ut sufficientiam habeant in aula esculentorum, et potus, ne causationes offerant, se ob id cogi urbem civitatemve adire.

5. Nec patiatur otiosos, sed attendet, ut unusquisque suam occupationem habeatur eique faciant satis; curabit id Major Minister, monebitque ubi opus sit. Quodsi monitionem non audient, Episcopo significabit; item id omne quod Dominum Deum probosque homines offendat, bona fidelitate voluntateque referet. Episcopus quoque re ex eo percepta, cavebit ne ullo signo cuiquam id prodat, sed competenti modo prudenterque vitio occurret. Praeter hunc Ministrum (conferet) si alios etiam quospiam fidos habeat, quos expertus sit proniorem in se voluntatem esse dignos fide, ut ex relatis eorum sciat omnia Episcopus quid agatur Domi, qua in re prudenter procedet, ne ex ira odiove immerito quis deferatur; idecirco, etsi quid sciat, non statim verbis promovet, donec opportunum tempus sese offerat; interea nullo indicio prodet, si quid sciret, nisi detrimentum aliquod ob dilationem in aliud tempus sequetur.

6. Ut eo tutius faciliusque familiam non solum ipse Dominus, sed et Major Minister moderari possit, oportet ut condignum famulantibus pretium pannusque suo tempore citra protelationem reddatur, ne habeant quod praetendant, accusantque, si quid eis imperet.

7. Proborum maior respectus erit, e contrario, mali poenis afficientur, iuiores diligenti disciplina coērcebuntur. A tenera aetate ingerendum est ipsis

fastidium licentiae immoderataeque libertatis; quod si post plures diversasque poenas, non ad bonam frugem redire voluerit quispiam, dimittet illum, ne alios corrumpat; in matuiores autem animadvertiset verbis, monitioneque severiore, ac acri increpatione, etiamsi opus sit, praesentibus omnibus, ut erubescat, poterit quoque inclusum ieniunio coercere, quodsi non sese corrigat, non tollerabit eum apud se.

8. Optimi communiter solent esse illi, quos a prima iuventute adsciverit, pietateque imbuerit, ac sub disciplina educaverit Episcopus. Quapropter cum inauguratus fuerit Episcopus, mox deligit idoneos iuvenculos eosque praesentes sibi ac ob oculos reservantes retinebit. Ita enim et diligent Dominum suum, et timebunt, servireque piae aliis melius poterunt.

Caput VIII.

QUALIS CONVERSATIO DEBET ESSE EPISCOPI CUM EXTERNIS

1. Curabit comparare noticiam in Aula Principis, ut propensos in se habeat in Cancellaria, itemque Senatores ecclesiasticos et saeculares. Idecirco intererit Comitiis eaque loca frequentabit, ad quae illi convenient, submissione devinciet quemlibet, visitabit in hospitiis, et quos sibi magis necessarios profuturosque putet, eorum Domos quoque adibit captabitque gratiam, quo pacto possit. Contractam noticiam literis fovebit renovabitque; idem observabit cum Officialibus ac Civibus primoribus, quibus innitanter caeteri.

2. Potissime cum statu ecclesiastico Ritus Romani singulariori nexus curabit coalescere, nimirum Episcopis, aliisque Praelatis, ut benevoli nobis sese praestent rebusque nostris, nos pro fratribus reputent, iuuentque, non vero depriment. Qua in re sciendum esse plus effecturos nos, si mites tractabilesque audiamus, quam si contendamus cum illis, quod diligenter cavendum.

3. Item cum Religionibus eorum intima charitate fraterna agendum est nobis, praesertim cum ea Religione, cum qua iam strictius colligari caepimus insignemque ab ea opem in rebus nostris experti sumus. Ex huius quoque Religionis Patribus quaerenda erunt, quae ad rite instituendam vitam administrandum munus Episcopi pertinet.

4. Etiam Haeretici officiis obsequiisque devinciendi atque ad bonum disponendi. Persuadebitur illis, ut filios suos ad scholas catholicas docendos erudiendosque mittant, in quam rem Episcopus opem illis pro viribus praestandam pollicebitur, etsi fieri potest etiam compensas offerat, obstringet sibi hoc pacto parentem etiam improbum, filium vero efficiet catholicum.

Caput IX.

QUAE DEBEAT ESSE CURA EPISCOPI QUOD BONA POSSESSIONEMQUE ECCLESIAE

1. Circa bona possessionemque Ecclesiae duplex ei cura erit, altera, ut bene procedat res familiaris, hoc est ut proventus accrescat, altera ut in causis Ecclesiae debita vigilantia adhibeatur.

2. Quod ad primum attinet, provisionem suam ita disponet: computato familiae numero hospitibusque subducet rationem quantum in septimana con-

sumatur panis, potus, et pro familia carnium, unde facile colligere erit, quanto in totum annum opus sit, unde pisces singulis diebus pro se ipso, pro familia vero diebus ieiunii, item alia mensalia esculenta potulentaque, unde quid, et quo tempore comparandum sit. Denique panni pro se familiaque aliisque id genus necessitatibus, ubi diligenter attendet, ne expensae superent proventus.

3. Ut bona Ecclesia recte carentur, Curatores praeficiantur viri probi, hoc est, qui non sint haeretici, sed Rutheni catholici, si hi desint, licet catholici Rithus Romani quique pii sint, neque graves subditis. Ad haec habeatur unus quispiam fidelis peritusque, qui singulis annis semel saltem lustret in qualibet possessione Episcopi, non tantum ea, quae protulerunt agri, pecora, et quidquid contineat Domus, ut veram noticiam capiat, experimentumque cuiusvis frugis faciat, sed etiam, ut perspiciat quis fructus accumulari, quidve usibus necessitatibusque Episcopi ac familiae eius provideri possit, ne ematur id, quod apud bene ordinatum Patrem familias reperiri potest Domi, cuiusque etiam possessionis bene ordinatum inventarium habebitur.

4. Cavebit ne cumulando fructus sibi ipsi aggravet subditos in operis, aut censibus, item ne sui curatores, ob sua emolumenta iniurii sint subditis neve multis pecuniariis eos depauperent, sed delinquentes aliis poenis afficiant, super quo praefatus Oeconomus, cum possessiones lustrabit, inquiret, ibidemque statim animadvertiset in Curatores, et si quid Curator supra statutum, quod apud se habebit in scripto, a subditis acceperit, id eis restituet.

5. Cum percipiat fructus a subditis, oportet ut cura etiam habeatur subditorum, et imprimis earum animarum, ut habeant certum Sacerdotem, ad quem diebus festis devotionis aliarumque necessitatuum suarum spiritualium causa convenient, qua in re si subditi desides sint, coget eos modis, qui ipsi meliores videbuntur, ut diligentiores deinde sint, defendant eos ne iniuria ab externis afficiantur, subdito liber ad eum erit accessus, nec ferendum ut maestus abeat; si quis subditorum ad egestatem decidat, eius egestatem qua poterit sublevabit.

6. Altera Episcopi circa possessiones Ecclesiae cura est, ut in integro conservet id, quod ad eum pervenit, quod vero ante avulsum est, ut id recuperet modis competentibus; efficacissimus autem modus est per actionem coram iudice.

7. Idcirco sciat Episcopus oportet omnia Privilegia, Instrumenta foundationum monumentaque, ac momenta sui Episcopatus, perfecto unoquoque eorum absque taedio ab initio ad finem usque intelligat, quid in eis intelligatur, et an possideat omnia illa, quorum iura habet.

8. Si audiat alicubi haerere iura Episcopatus, suam dabit operam, ut ea recuperet, Metricas maiores minoresque quaestorias, si fieri possit, revidebit, Acta item terrestria, castrensia, ac civilia si quid forte in eis necessarium reperiatur.

2. Si ipse adeundae prosequendaeque liti idoneus non sit, aut etiamsi idoneus esset, sufficere Causae ob gravantia negotia non possit, procurabit tallem, qui idoneus parque sit, et si possibile sit ex suo Clero, sin secus Saecularem quempiam, quem adverterit virum esse probum, huicque providebit hostimentum pro ratione suorum proventuum, eique committet causam, tamen ipse quoque subinde inspiciet, ut ne deses sit neve leviter, sed considerate procedat in Causa.

10. Jura in tuto reservabit repositorio, nec solum id munitum sit arcaeque bene clausulis, sed locus quoque ne sit humidus, clavesque apud ipsum asserventur Episcopum.

11. Jura ne per manus incurie permeent, sed per quem mittentur ab eo accipietur apoha, ut sciatur an repetendum sit quid, siecabuntur certis temporibus coordinabunturque, ut insimul sit quid cui serviat.

12. Si Lis sit cum aliquo, praesertim potente, ipse adibit Judicium conciliaturus Iudices; adhibebit etiam diligentiam circa Procuratores, cum ipsis collato consilio priusquam ad Causam accedat, nullam vero Causam parvi pendas.

13. Minas terroresque humanos, ubi de bono Ecclesiae agitur, non curabit opponetque se talibus. Deo in auxilium advocato, etiam cum discriminis propriae valetudinis vitaeque, sciens, quod si tuendo id quod proprium sit Ecclesiae, aut vindicando illud mortem oppetat, se in numerum Martyrum adscribendum.

14. Nihil donabit, oppignorabit, aut vendet, aut alio quopiam modo alienabit a mensa episcopali, etiamsi Clerus ipsius in id consentiat, antequam consulat Metropolitam, ab eoque facultatem obtineat. Nec item advitale ius cuiquam conferet, aut commutationem faciet, citra licentiam Metropolitae.

Caput. X.

QUID PRAESTABIT EPISCOPUS INSTANTE OBITU SUO.

1. Si adeo gravi corripiatur morbo, ut se sentiat moribundum, praeter ea, quae debet animae suae, Confessario suo committet totam rem domesticam, ut, quatum fieri potest, nihil dissipetur alioque vertatur, sed integre servetur ad dispositionem Metropolitae. Cui mox de obitu Episcopi, et quamprimum de eo significabitur.

2. Si Confessarius opus esse videat maiori securitate, aut ope, aut ob aliam quampriam causam convocabit ad se Sacerdotes Cleri eius Ecclesiae, quodsi visum fuerit, etiam Saecularium aliquem, id integrum ipsi erit, donec aut ipse Metropolita veniat, aut aliquem mittat disponendae familiae curandoque funeri Episcopi.

3. Privilegia iuraque, item omnes res Ecclesiae, ad curam Archi Praesbiteri spectabunt, quas Metropolita, aut ab eo delegatus revidebit, donec Episcopo, qui succedit, tradantur.

4. In praediis item omnia integre conservabuntur, de quibus rationem reddent ii, quibus tum temporis Confessarius defuncti Episcopi cum Clero eius Ecclesiae commisit.

Has Regulas frequenter non ipse tantum lectitabit beneque expendet, sed Confessarius quoque eius.

Josephus, Archiepiscopus (mp).

Religiosae Congregationes sex hic latine conscriptae omnes a ss.mae memoriae Josepho Rutsio, Archiepiscopo Metropolitano Kijoviensi, Haliciensi, et totius Russiae sunt celebratae, et Regulae Sancti Patris nostri Basilii Magni nec non Regulae pro Rev.mis Episcopis unitis ad eodem Josepho Rutsio collectae et ordinatae, atque ex originalibus Congregationum a Rev.mis Paribus Congregationis et Religionis nostrae translatae, quae variorum sancto-

rum et magnorum virorum manibus ipsiusque Rutsei in originalibus sunt annotatae, testor quod conformiter et fideliter originalibus rhutenicis et polonicis sunt transcriptae. In quorum fidem sicut in ipsis originalibus toties et toties devolutis eorundem virorum manibus testando subscripti, ita etiam hic pro veritate testationis subscribo.

(L. S.) Jacobus Susza, Episcopus Chelmensis et Belzen.

* * *

REGULAE METROPOLITARUM

secundum collectorem secundae medietatis saec. XVIII « *aut interierint, aut alii cubi delitescant* », aut, secundum nostram sententiam, nunquam fuerunt a Metropolita in opus deductae, ob temporis deficientiam.

189.

Grodno, 7 . XI . 1636

Petit ut ei permittatur apertius agere et liberius de Unione Universalis, ad quam animi dispositi videntur.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 338, fol. 207rv, 214v.
SMURLO E., *Le Saint Siège...*, II, p. 134, nr. 80.

Ill.me ac Rev.me Domine, Domine et Frater observantissime.

Ab aliquot mensibus nihil scripsi ad Sacram Congreg. de Propaganda Fide, licet occurrebat aliqua ad scribendum; per totam enim aestatem commoratus est Vilnae Ill.mus Nuntius Apostolicus penes Serenissimum nostrum, ubi ego etiam mansi⁵⁵⁹, subponebam ergo satis esse si cum Sua Ill.ma Dominatione oretenus agerem, sciens quod de omnibus quae scribenda sunt scribat; nunc scribo hinc Grodnae, ubi commoratur Serenissimus Rex, quo veni oretenus acturus cum ipso de incremento Sanctae Unionis, cuius occasio nunc se obtulit; utinam optatum sortiatur finem. Ex copia litterarum quas scribo ad Sacram Congregationem intelliget Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra, expedire mihi videtur, ut Sua Sanctitas Dominus Noster concedat nobis, filiis suis, agere apertius cum Disunitis, quia videtur materia esse disposita ad introducendam quam optamus formam. Maxime cum de articulis fidei capita Ecclesiae ipsorum videntur convenire nobiscum, solummodo timent ibi ubi nihil timendum est; exemplum damus in nobis; ab Unione renovata iam transiisse quadraginta annos et tamen nos Unitos retinere Ritum nostrum, etsi aliqui ex nostris privatis personis latinisare videantur. Non inde fit quod Latini hoc opus habeant, quin nostratis nonnullis aegre ferunt quod ritualia sua non exacte servent. Patriarcham urgent ut habeant in Russia, sicut habent in Bulgaria et Moschovia ii, qui sunt Ritus Graeci. Certe omnibus nobis, qui profide catholica et Primatu Papae parati sumus mori, ita videtur, ut hoc ipsis concedatur si idem faciant quod praesens facit Metropolita Russiae. Has litteras meas, de quibus seit Serenissimus Rex noster quod scripseram S. Congreg, de prop. fide, offerat Ill.ma ac Rev.ma D. V.; prius tamen privatim

⁵⁵⁹ Marius Filonardi (1645-1643).

informet, ut omnia quaerantur media, quibus hanc infinitam pereuntium multitudinem ab interitu vindicare possimus. Responsum desideramus ut quamprimum possimus habere, et forte securior erit via per III.mum Nuntium Apostolicum vel, quod mihi magis videtur, ut Sua Regia Maiestas Dominus noster intelligat nos confidenter agere cum ipso, prout agimus et agere in posterum volumus, dirigantur per Agentem Suae Maiestatis, residentem Romae, Dominum Abbatem Orsi. Certe Serenissimus Rex cum magno gusto die hesterna egit mecum de hac universalis conversione Schismaticorum, ipse inveniebat media, et auxilium promisit tale quale indiget hoc negotium; auctoritas autem ipsius apud Schismaticos valet plurimum. Promiserunt etiam ipsi, solummodo faceret in favorem ipsorum ea quae iam facta sunt, eos velle unire se Sanctae Romanae Ecclesiae. Interim me meaque solita obsequia studiosissime offero.

Grodnae, die 7 Novembris 1636.

Ill.mae ac Rev.mae D.V. addictissimus Frater et Servitor
Josephus Velamin Rutschi, Metropolita Chioviensis

(Fol. 214v): Ill.mo ac Rev.mo D. Francisco Ingolo, Secretario S.C. de Propaganda Fide. Domino et Fratri observantissimo.

190.

Grodno, 7 . XI . 1636

De processione in honorem S. Casimiri Vilnae habita, et de possibilitate Unionis Universalis.

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 338, fol. 190rv, 191v.
SMURLO E., *Le Saint Siège...*, II, p. 132-134, nr. 79.

Em.mi ac Rev.mi Domini, Antistites Sacrae Congregationis
de Propaganda Fide. Domini Colendissimi.

Anno 1636, Augusti 14, instituta est solennis processio Vilnae in Lithuania cum sacris reliquiis S. Casimiri, principis Poloniae, cui intererant non tantum Ill.mi Episcopi Ritus Latini, sed etiam Metropolita Russiae cum suis Episcopis unitis⁵⁶⁰; locus Metropolitae assignatus est satis honoratus, intra duos scilicet Episcopos, alterum Suffraganeum Vilnensem, Samogitiae Suffraganeum alterum, duobus autem Episcopis Ruthenis, a duobus Praepositis infulatis latinis data est dextera. Viderunt Schismatici Rutheni hunc honorem deferri a Latinis, omnes obstupuerunt, praे gaudio fleverunt videntes se et Ecclesiasticos Ritus sui non contemni a Latinis, prout ipsi opinabantur, et passim abrogare (?) solebant, et non tantum Episcopis Ruthenis hic honor delatus est, sed etiam Praelatis Ruthenorum unitorum, Archimandritis scilicet et igumenis, quorum numerus excedebat viginti; his enim locus datus est statim penes Canonicos ecclesiae cathedralis Vilnensis. Hi omnes saeclo habitu Ritus sui induiti praecedebant praeter alium Clerum Ruthenum, qui fuit satis copiosus et varietate apparatum non medioeriter adornarunt hanc processionem, et spectantes gaudio affecerunt, quod viderint Sponsam Christi Ecclesiam varietatibus decoratam, eo hoc gaudio et admiratione, quam Schi-

⁵⁶⁰ Qui tunc temporis erant congregati in Capitulo Generali Ordinis Basiliani (mense Augusto 1636).

smatici de affectu Latinorum erga Ruthenos licet non schismaticos sed catholicos, Ritus tamen Graeci conceperunt, loqui passim in congressibus suis coeperunt, desiderantes Generalem Ruthenorum omnium Unionem.

Forte etiam, ut credimus, S. Casimiri, qui in vita sua inimicissimus erat Schismaticis, merita apud Deum effecerunt, ut dura corda emolirentur. Hoc desiderium nonnulli autesignani illorum aperuerunt nonnullis viris catholiceis ordinis senatorii Ritus Graeci, qui arrepta hac occasione dixerunt, quae dicenda erant, tandem ipsius consilium requirebant, qualiter hoc bonum opus ad effectum deduci possit, nec faciebant difficultatem de primoribus Ecclesiae suae, de quibus asserebant quod in omnibus articulis fidei catholicae convenirent cum Ecclesia Romana; difficultatem tantum esse in Laicis, iisque potissimum ex plebe, volentibus suo Patriarchae, cui hucusque suberant, suum relinquui honorem, eo modo quo convenienter cum Ruthenis unitis, et quia desiderabant ut non ab ipsis incipiat hoc negotium, sed ut Serenissimus Rex praeberet ipsis occasionem per litteras suas missas ad disunitos Ruthenos. Visum est Unitis ut hoc fieret, rogarunt igitur Suam Regiam Maiestatem ut tales litteras ad omnes praeeminentes ipsorum tam ecclesiastici quam saecularis ordinis, itemque ad Confraternitates ipsorum, penes quos videbatur summa ipsorum potestas expediret. Expeditae sunt regiae literae, et iam sunt perlatae ad ipsos, ad quas responsum nondum accepit Serenissimus Rex noster, quia autem imminent Comitia Regni generalia, indicta pro vigesima Januarii anni sequentis quo convenienter ipsi, volent consequenter agere nobiscum, proinde nos Unidos oportet esse paratos ad agendum cum illis; audiendum scilicet quid proponent nobis, qualem honorem volunt reservare suo Patriarchae, salva autoritate Summi Pontificis.

Supplicamus igitur per Em.mas ac Rev.mas Dominationes Vestras Suae Sanctitati Domino Nostro Clementissimo, ut nobis tractare cum ipsis his de rebus concedere dignetur, non de articulis fidei, de quibus nihil tractare volumus, sed subponere quod aliter unio fieri non potest. Et licet cura, sollicitudine, et dexteritate Serenissimi Regis Domini nostri eo induci, ut speramus, poterunt, et ad aequas conditiones descendere velint, nihil tamen concludemus inconsulta Sua Sanctitate, sed integrum hoc relinquetur examinare tam ea quae ab ipsis dicentur quam quod a nobis respondebitur, et tandem approbare vel reprobare qualiter Spiritus Sanctus suggesteret tunc Suae Sanctitati, nos tanquam filii obedientes faciemus quidquid a Sua Sanctitate nobis iniunctum fuerit. Proinde, si interea temporis, antequam responsum veniet ex Urbe, dabunt nobis occasionem agendi secum, quiequid agemus in vim ratihabitionis Suae Sanctitatis agemus, parati etiamsi aliquid incoepsum fuerit relinquere, si ita Suae Sanctitati videbitur. Quod reliquum est Deus Opt. Max. Em.mas ac Rev.mas Dominationes Vestras Ecclesiae Suae Sanctae ac Reipublicae christianaee conservet incolumes quam diutissime.

Datum Grodnae, die 7 Novembbris, Anno 1636.

Em.marum ac Rev.marum DD. Vestrarum humillimus Servitor

Josephus Velamin Rutsci, Metropolita Chioviensis totiusque Russiae

(Fol. 191v) Nota Seer. Ingoli: Grodna 7 Novembre 1636. Il Metropolita di Russia. Ch'ha parlato col Re dell'Unione universale dei Ruteni scismatici, e l'ha trovato molto disposto, raccontando diversi particolari da leggersi per estenso.

191.

Derman, 28 . I . 1637

Ultimae dispositionis Metropolitae pars, quae spectat proxime post eius mortem agenda et exequenda.

TABULARIUM COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. I, fol. 348-349.

Ultima dispositio pie defuncti Velamini⁵⁶¹.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Sanctissimae ac Individuae Trinitatis.

Josephus Velamin Rutski, Metropolita Chioviensis, Haliciensis, et totius Russiae. Ultimae voluntatis meae scriptione profiteor, quod in fide sancta catholica et in obedientia Universalis Archipastoris, Pontificis Romani, Urbani octavi eiusque Successorum morior, et sic credo ac praeparando me ad terribile iudicium Dei, coram toto orbe terrarum confiteor, quicumque in Unione Ecclesiae Romanae non est, ille non potest salvari. Animam meam in manus Creatoris ac Redemptoris commendabo, nec non procumbendo coram Maiestate Illius, misericordiam suam mendico, ut non secundum multitudinem peccatorum meorum, sed secundum magnam suam misericordiam supra animam meam misereatur. Illos autem, qui mortis meae praesentes erunt⁵⁶² diligenter oro ac obsecro, ut curam apponant mittere statim ad Illustrissimum P. Raphaëlem Korsak, Episcopum Pinsensem, et Coadiutorem Metropoliae, ad omnes Illustrissimos Episcopos, ad omnes Religiones et Monasteria nostrorum Monachorum et Monacharum (sive Monialium), quam etiam et ad alios Religiosos Ritus Romani, RR.PP. ac Fratres nostros, praesertim ad hos, qui me admirerunt ad participationem suorum meritorum, (hoc est) ad Patres Societatis Jesu, PP. Carmelitas discalceatos, PP. Dominicanos, PP. Bernardinos, rogando illos, ut hoc faciant pro anima mea, quod solent facere pro illis, quos ad societatem meritorum suorum suscipiunt. Idem Patres et Fratres mei, tunc praesentes, hoc ipsum debent quattuor Confraternitatibus significare (hoc est) Congregationi Beatissimae V. Mariae apud PP. Societatis Jesu, Rosarii apud PP. Dominicanos, Cinguli S. Francisci apud PP. Franciscanos, Scapulaceum apud PP. Carmelitas discalceatos, quam etiam Confraternitatibus B. Deiparae Ruthenis Vilnae, Novogrodeci, Minsci ac Vladimiriae existentibus, et aliis locis, atque de toto populo, cuiuscumque arbitrentur, significant, orationesque pro anima mea petant. Corpus meum, quam cito veniat Illustrissimus Coadiutor, ut sine ulla moratione sepeliat⁵⁶³.

Denique opera Monachorum, ut in omnibus ecclesiis tam Ritus Graeci quam Ritus Romani Missae pro anima mea celebrantur, eleemosinas omnibus Xenodochiis, ac pauperibus in plateis et viis existentibus detur. Mendicantibus prandium fiat, ac cuiilibet illorum aliquid detur, si autem possunt ac

⁵⁶¹ Pars hacc dispositionis invenitur in Tabulario Collegii Graecorum. Agitur de dispositione in temporalibus et circa sepulturam, de qua meminit Metropolita etiam in suo testamento spirituali, de quo infra.

⁵⁶² In monasterio Dermanensi.

⁵⁶³ Sepultura haec locum habuit Vilnae, sed tantummodo post festum Pentecostes. Interea corpus eius translatum fuit ad cathedralm Pinsensem, et ibi tumulatum ad tempus.

qui⁵⁶⁴ ... amantur, quae dentur illis, ut dicendo in illis suas orationes, mei recordantur etc., etc....

(F. 349): Postremo sit mihi Deus propitius, et proximi mei, si aliquem ex illis offenderim, aut aliquid fecerim, dimittant mihi, et etiam illis Deus dimittat sua debita. Scriptum est (*deficit*)...

(Fol. 349v: Josephi Velamini ultima dispositio).

192.

Derman, 28 . I . 1637

Professio fidei catholicae et testamentum spirituale Metropolitae nec non ultimae suae voluntatis dispositiones et commendationes.

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. gen.*, vol. 136, fol. 414.415.

ASV, *Nuntiatura Poloniae*, v. 69.

THEINER A., *Vetera Mon. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, 412-413, nr. 358.

Ego Josephus Velamin Rucki⁵⁶⁵ indignus Metropolita Kiovensis, Halicensis et totius Russiae ad Dei Tribunali vocor, rationem redditurus de dictis, factis, cogitatis LXIII annorum vitae meae, et decretum auditurus: heu horreo, quia horrendum est sistere se in iudicio coram Deo. Confido tamen immensae misericordiae eius, quod non repellat me licet peccatorem a se. Offero sacratissimam passionem ipsius, cuius valorem credo esse infinitum. Spero auxilium a Beatissima Virgine, Matre Iudicis mei, quam licet vilibus obsequiis in vita mea colui, et a Sanetis Dei, potissimum autem ab Angelo custode meo, et ab aliis Sanctis, quos in patronos mihi assumpsi, et singulis diebus nominatim invocavi; hos omnes, ut in illo ultimo certamine me iuvent, corde et ore invoco. Protestor autem coram universo mundo, me omnia ea credere, quae credenda proponit S. Ecclesia Catholica, et quod sine hac fide, et speciatim sine Communione Sanctae Ecclesiae Romanae nemo salvus esse potest, pro qua paratus eram mori semper, praesertim tunc, dum occasiones moriendi se offerebant. Obediens Pontifici Romano, et eius in hoc Regno Vicario fui, et nunc in hac obedientia morior.

Quoscunque offendit verbo et exemplo, humiliter deprecor, et ob amorem Dei rogo, ut mihi ignoscant; in posterum autem non meos, sed aliorum Servorum Dei, qui supersunt, mores et vitam imitentur. Ego etiam omnibus, qui me offenderunt, ex animo ignosco, illis etiam, qui persecuti sunt me et alios Patres et Fratres meos propter iustitiam, et a Domino Deo humillime peto, ne statuat hoc ipsis in peccatum, sed det, ut convertantur et vivant. Reverendissimum Episcopum Pinsensem fratrem meum, quem de consensu gloriosae memor. Sigismundi III, Regis mei, confirmante Urbano VIII P.M., in Coadiutorem Metropoliae meae cum futura successione assumpsi⁵⁶⁶, rogo, ut prima quaque occasione Ser.mum Regem et D.num meum feliciter nunc

⁵⁶⁴ Textus corruptus, et illegibilis.

⁵⁶⁵ Sic habetur in copia Romae conservata.

⁵⁶⁶ Anno 1631. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 478, nr. 409, sub data 9.III.1631.

nobis regnantem adeat, et a me fideli Suae Maiestatis subdito ultimum hic in terris dicat Vale. Meas apud Regem Regum, si dignus iudicabor frui visione ipsius beatifica, pro incolumitate Suae Maiestatis et felici Regnorum sibi a Deo concessionum, et concedendorum regimine supplicationes offeret, promotionem Sanctae Unionis Suae Maiestati commendet; in particulari autem humillime petat, ut beneficia Ruthenorum ecclesiastica his conferat, quos Successor meus Metropolita Suae Maiestati commendabit; quis enim illo melius nosse poterit, si apti vel inepti sint pro regimine Ecclesiae Ruthenae? praeassertim cum secundum usum antiquissimum Ecclesiae Orientalis a primis illius incunabulis usque ad haec tempora non assumantur alii ad Episcopatus, nisi ex Religiosis. Qui vero per favores Dominorum saecularium procurare hoc contenderint, tanquam indigni reiiciantur, et tunc conscientia Metropolitae onerata erit, et Suae Maiestatis exonerata, si indigni promovebuntur. R.mos Dominos et Patres meos Coepiscopos Russiae hoc unice rogo, sint inter se uniti in charitate Christi, et cum suo Metropolita, agnoscentes eum sibi in Patrem verbo et opere, et si in quo offendisse eum iudicabunt, proponant, et in charitate fraterna praemissa matura apud se deliberatione, verane sit ista offensa. Quod si non correxerit se, est qui eum corrigat ex delatione ipsorum. Clerum regularem in hoc moneo, ut Clerum saecularem ament et honorent tanquam Comministros et Fratres suos. Et si ex commissione Metropolitae habebunt potestatem visitandi vel iudicandi eos, peragant hoc in lenitate spiritus et charitate, non contemnendo, multo minus deprimendo Fratres suos. Clerum vero saecularem plurimum hortor, et ea qua possum animi contentione ipsis inculco, ut attendant sibi in iis, quae muneris ipsorum sunt, et gregi quisque suo, ut salventur ipsi, et qui ipsis commissi sunt, doceant ea, sine quorum explicita fide salvi esse non possunt, nec conquerantur de Episcopis suis, quod Regularibus ea, quae sunt iurisdictionis, quandoque committant. A statu politico, tam Equestris Ordinis quam incolis Civitatum, peto, ut in spiritualibus permittant se regi a Praepositis suis spiritualibus, scientes hanc esse ordinationem Dei, in regimen ipsorum non se ingerant, vitam et mores ipsorum non examinent, sed Superioribus illorum examinandum relinquant, et ubi necesse ob maiorem gloriam Dei videbitur, illis deferant; ipsi autem per se id non faciant, nec bonas intentiones eorum, quas solus Deus sibi iudicandas relinquit, interpretentur pro arbitratu suo. Rev.mum Successorem meum hortor in Domino atque ob amorem Dei rogo, ut tam augendo bono spirituali, quam temporali Archidioecesis suaे totiusque provinciae Metropolitanae intendat, tanquam Deo de his omnibus rationem redditurus. Ordinationem porro Ecclesiae patrimonii olim mei, domus meae, in alia charta idiomatico Ruthenico scriptam, et manu mea propria subscriptam eidem reliquo⁵⁶⁷. Quod reliquum est, omnes in universum, quotquot superestis, amici et inimici mei salvete, meque suo quisque ordine secuturi valete.

Scriptum in Monasterio Dermanensi, dioecesis Luceoriensis Ritus Graeci, Anno a Nativitate Christi millesimo sexcentesimo trigesimoseptimo, mense Ianuarii vigesima octava die.

⁵⁶⁷ Hanc non habemus p[re]e manibus.

Josephus Velamin Rutsky

Dei et Apostolicae Sedis gratia Metropolita Kiovien. Halicien. totiusque Russiae (mp).

(L.S.)

N.B. Extractum a suo proprio originali registratum penes Acta Cancellariae Ill.mi et Rev.mi D. Marii Philonardi ⁵⁶⁸, Archiepiscopi Avenionen., Nuntii Apostolici in Regno Poloniae, die 4 mensis Martii 1637, per me praefati Ill.mi Domini Nuntii Apostolici Notarium subsignatum et sigillo Ill.mae Celsitudinis suae munitum.

Raymundus Iohannis, Not. Apostolicus.

(L.S.)



⁵⁶⁸ Nuntius Varsaviensis (1635-1643).

I N D I C E S

I.

INDEX NOMINUM ET RERUM

Numeri referuntur ad paginas praesentis voluminis. Signati « n » referuntur ad notas earundem paginarum.

- AARON Pont. Israel. 321, 322.
ABBAS v. Archimandrita.
ABIIRON ET ABIAN personae bibl. 321.
ABRAHAM Patr. Israel. 41.
ACADEMIA Mohiloviana 220n.
ACADEMIA Ostroviana 22.
ACADEMIA Vilnensis 213.
ADRIANUS Joannes Baptista, Soc. Jesu, 17.
ADRIANUS PAPA II. 115. 138.
ADRIANUS v. Podbereskyj OSBM.
AELAMITAE 138.
ALBA Russia v. Russia Alba.
ALEXANDER OSBM 79. 85.
ALEXIUS Parochus St. Parascevae 304.
ALEXIUS St. 306.
ALUMNATUS Rut. Seminiorum latino-rum 246.
ALUMNI Collegii Graecorum 19. 20. 23n.
26n. 28n. 30. 31. 70. 74n. 77. 84. 91. 93.
101. 103. 104. 106. 108. 111. 112. 118.
122. 142. 143. 169n. 199. 333. Seminario-rum latinorum 170.
ANABAPTISTAE 7.
ANDREAS S., Apostolus, 19.
ANGLIA 92.
ANTONIUS Episc. Spalatensis 237.
APOSTATAE 73.
APOSTOLI 24.
ARABES 304.
ARCHIDIACONI 172. 173. 174.
ARCHIEPISCOPI graeci 129.
ARCHIMANDRITAE OSBM v. Basiliani.
ARCHIMANDRITAE graeci 129.
ARCHIMANDRITAE non uniti 243. 244.
297. (Kievo-Pečerenses) 118. 206. 230.
232n. 261. 267. 297. 307.
ARCUDIUS Petrus 95. 133. 134. 158.
ARGENTA Joannes, Soc. Jesu, 183.
ARIANI 16.
ARMENI 260. 315.
ARMENIA 16.
ASIA 105.
ATHANASIUS S. 95. 227.
ATHANASIUS Russiae (J. V. Rutskyj) 19.
83n.
AULA Regia Poloniae 126. 128.
AUSTRIA 101. 236. 246n. 325.
BAKOVECKYJ Josephus Mokosij, ep. Volodymyriensis, 249, 250, 251. 252. 253.
264. 268n. 277. 278. 279. 280. 281.
BALABAN Gedeon, Ep. Leopoliensis non
unit., 131n. 253. 267n.
BALNEOREGIENSIS Episcopus 27.
BANDINI Card. Octavius 89. 90. 94. 95. 96.
108. 116. 117. 125. 127. 201. 205. 208.
BARBARIGUS (Barbaricus) Hieremias, Ar-chiep. Paronaxiensis, 18. 19. 303. 325. 328.
BARBERINUS (Barberini) Card. Antonius,
Praef. Congr. Prop., 108n. 112. 279n. 284.
292.
BARBERINUS (Barberini) Card. Franciseus
109n. 211. 238. 294. 296.
BARBERINUS (Barberini) Card. Mapheus
83. 87. 90.
BARONIUS Card. 112. 141.
BAROVIA Cristiana, Religiosa, 248.
BASILIANAE, Moniales Ordinis S. Basillii
Magni, 49. 50. 51. 248. 326. Monasteria
228, 248. 326.
BASILIANI (Ordo S. Basillii Magni, Monachi Rutheni, Monachi S. Basillii Rutheni,

- Monachi Uniti) 5. 7. 10. 11. 12. 16n. 18. 19. 21. 26. 27. 28n. 29. 30. 31. 32. 33. 36. 38. 39. 40. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 51. 70. 71. 81. 84. 91. 95. 101. 102. 106. 107. 110. 111. 113. 114. 115. 123. 127. 129. 138. 146. 150. 151. 156. 157. 158. 160. 161. 162. 167. 172. 175. 176. 177. 178. 180. 182. 198. 199. 202. 210. 211. 212. 218. 236. 249. 255. 257. 258. 325. 326. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335-369. 373.
- Protoarchimandrita 187. 334. 335. 337. 339. 340. 343. 344. 345. 353. 373.
- Archimandritae 11. 161. 184. 186. 213. 233. 234. 236. 250. 301. 381. v. Derman, Lescinen., Smolencen., Vidubicen., Vilnen., Zidičinen.
- Capitulum Generale 335, 336. 338. 342. 343. 373. v. Novogrodek, Volodymyr, Ruta.
- Consultores Generales OSBM 335. 336. 341. 342. 343. 344.
- Monasteria 35. 36. 39. 43. 45. 48. 51. 113. 114. 115. 120. 121. 122. 140. 151. 157. 158. 160. 161. 162. 191. 224. 228. 239. 240. 252. 253. 254. 266. 301. 302. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 354. 360. 362. 363. 366. 368. - v. Biten, Derman., Dorohuben., Dubno, Grodno, Krasnyborien., Lescinen., Minsk, Mohilovia, Novogrodek, Ourucen., Peremysl, Smolensk, Stepanen., Stryj, Suprasl, Vidubicen., Vilno, Zydicen., Zyrovcy.
- Igumeni OSBM 184. 185. 186. 228.
- Bona 120, 121.
- Scholae 16. 17. 113. 114. 336. 337.
- Novitiatus 31. 32. 52. 335. 336. 337. 340. 354.
- Reformatio Basilianorum 157. 158. 160. 162.
- Visitatio monasteriorum 340. 341. 343.
- Moderator OSBM 12. 41. 348.
- Regulae Communes 33-48. - Regulae Particulares 334-369.
- BASILICA S. Petri 115. 138.
- BASILICA S. Maria Maioris 143.
- BASILIUS S. 10. 33. 123. 139. 160. 243.
- BASILIUS Princeps 22.
- BEATIFICATIO S. Josaphat 203. 259. 271.
- BENEDICTUS, Archimand. Constantinopol., non unit., 246.
- BERECESK civit. 315.
- BERNABEUS Alexander, Notarius Apost.. 252.
- BERNARDINI 28. 55. 56. 289. 297. 316. 383.
- BESSARION Card. 113.
- BIALOZOR Marcianus, ep. Pinscen. 29n.
- BIBLIOTECA vaticana 6. 14.
- BIELARUSJA 83n. 103n. 141n. 180n. 191n. 193n.
- BILOPOLE (Bialopole) opp. 198. 201. 230. 233. 238.
- BILOZOR, Nobilis rut., 28. 29. 51.
- BILOZOR Carolus, Custos Vilnen., 209.
- BITENESE monasterius 29. 31n. 91. 101. 305.
- BOBRUISKO, civitas, 289. 290. 329. - Ecclesia S. Heliae 290.
- BOBRYKEVYČ Josephus, Archiep. Polocensis non unitus, 302. 303n.
- BOBRYKEVYČ Silvester, Ep. Mstislav. non unitus, 308.
- BOMBACIJ Alumn. 51.
- BONCOMPAGNI Card. Franciscus 111, 112.
- BORECKYJ Hiob, Metrop. Kioviensis non unitus, 6n. 79n. 103n. 206.
- BORYSTHENES fl. 85. 218. 220. 315.
- BORODAVKA Hyacinthius, Hetman eosacorum, 78.
- BOROVYK Philipus OSBM 269.
- BORYSKOVYČ-ČERČYCKYJ Isacius, Ep. Luceoriensis non unitus, 206.
- BOSNIA 257. - Episcopus Bosnensis 330. 331. 332.
- BRANKOVIC Longinus, Ep. Joanopolitanus, 323. 324. 330. 331. 332.
- BRASLAVIENSIS Episcopus 275. - Palatinatus 266. 295. - Palatinus 122. 196.
- BRECHUA Sac. carmelitanus 87.
- BREST (Berest) 259. - Palatina 7.
- BREVE Pont. 6. 77. 78. 86. 88. 91. 102. 110. 121. 122. 123. 125. 142. 169. 188. 189. 190. 191. 196. 201. 224. 228. 234. 244. 245. 268. 292. 298. 305. 306. 309. 311.
- BRICITIUS Joannes, Sac. Unit., 249.
- BROLNYCKYJ Gedeon, Aep. Polocensis, 32n. 163. 217n.
- BRUNSBERG - Coll. Pont. 96. 116. 246. - Alumni 87. 170.
- BULGARIA 87. 139. 159. 331. 380.
- BULLA Pont. 118. 123. 125. 141. 193. - Erectionis Seminarii Ruth. 105. - Caenae Domini 140.
- BUTCHOVITIUS Antonius OSBM 218.
- BYCHOV civit. 297.

- CAFFARELLI-BORGHESE Card. Scipio 28.
29. 31. 33. 51. 57. 58. 62. 63. 67. 68. 133.
- CALENDARIUM Gregorianum (novum)
149. 150.
- CALENDARIUM Iulianum (antiquum) 149.
- CALVINISTAE 131. 168. 169. 209. 207.
237. 330.
- CANCELLARIA Regni Polon. 154. 173. 237.
252. 261. 298.
- CANCELLARIUS Lithuaniae 55. 119. 317.
- CANCELLARIUS Regni Polon. 119. 121n.
222. 232. 235. 258. 302. 307. 317. 318.
- CANONISATIO S. Josaphat 203. 247. 276.
282. 283. 286. 288. 294. 295. 309.
- CANTACUSENUS Metr. 22.
- CANTACUSENUS Emanuel. Basilianus
graecus, 166.
- CAPITULUM Generale OSBM - v. Basiliani.
- CAPITULUM Generale Carmelitarum 87.
- CAPITULUM Novogrodense 7n. 218. 249. -
Vilnense 56. - Volodymyrense 157n. -
Rutense 216.
- CARDINALES Ecc. Cath. 256.
- CARMELITANI 88. 117. 123. 305. 383. -
Discalceati 156. 157. 158. 160.
- CARNIOLA opp. 169.
- CASIMIRUS S. 382.
- CASTELLANUS Craecoviensis 59. 85. 122.
204. 226. 227. 303. - Kioviensis 242. -
Siradiensis 231. - Trocensis 327. - Vil-
nensis 52.
- CASTITAS, regula OSBM 34. 36. 40.
- CATECHISMUS Cyrilli Lucaris 200.
- CATHOLICI 25. 56. 60. 61. 65. 77. 102.
109. 113. 120. 121. 131. 132. 134. 135.
136. 137. 140. 151. 153. 162. 166. 168.
183. 184. 201. 208. 217. 228. 242. 246.
253. 275. 295.
- ČERKAVSKYJ Paisius, Ep. Cholmen, non
unitus 206.
- CERULARIUS Michael, Patr. Constantinop.,
141. 322.
- CHELM (Cholm) opp. 113. 172. 174. 175.
193. 194. 197. 204. 205. 208. 209. 211.
237. - Archidiaconatus 173. - Episcopatus
171. 172. 175. 236. - Episcopus unit. 66.
141. 171. 173. 174. 254. 264. - Episcopus
non unitus 171. 206.
- CHLEVINSKA Anna 67.
- CHLEVINSKA Maria 67.
- CHODKIEWICZ Joannes Carolus, Palat.
Vilnen., 120. 121n. 196. 241n.
- CHODYKA Theodorus, praetor Kiovien., 7n.
- CHOREPISCOPI Rut. 271. 272.
- CHOTLUBAY Silvester 249.
- CHRISOSTOMUS Joannes S. 18. - Opera
123.
- CIARCHOVIA Catharina, Religiosa basi-
liana, 248.
- CIESZYNSKI, Canonicus Vilnen., 305.
- CLEMENTIS S. eccl. Romae 115. 138.
- CLEMENS VIII, Papa 9. 23. 66. 112. 113.
116. 130. 131. 149. 154. 158. 267. 274.
311n. 323.
- CLERUS latinus 242.
- CLERUS ruthenus 113. 114.
- COADIUTOR Metropoliae Kiovien., 7. 63.
75n. 154. 155. 234. - v. Korsak R.
- COLLEGIUM Cardinalium 89n. 92. 205.
- COLLEGIUM Pont. Graecum 5. 8. 9. 12.
17. 19. 20. 22. 29. 30. 51n. 70. 71. 74n.
75. 77. 81. 82. 83. 84. 88. 90. 91. 92.
93. 95. 96. 101. 102. 103. 104. 105. 106.
103. 111. 112. 118. 122. 142. 143. 156.
169n. 170. 176. 193. 199. 269. 270. 271.
289. 297. 320. 328. 333. - Romanum 17.
18. 303.
- COLLEGIA v. Brunsberg, Luceoria, Olo-
mouc, Polock, Praga, Raven., Vienna,
Vilno.
- COMITIA Regni Polon. 28. 61. 83. 84. 85.
86. 89. 91. 108. 119. 123. 132. 134. 136.
140. 155. 156. 204. 209. 215. 220. 228.
229. 231. 232. 233. 235. 260. 264. 265.
267. 268. 269. 273. 302. 308. 309. 310.
318. 326. 333.
- COMMISSARII Apostol. Beatificationis S.
Josaphat 211.
- COMMISSARII Regis Poloniae 101. 221.
242. 314. 317. 318.
- CONCILIA Oecumenica 138. 234. - Floren-
tinum 28. 57. 113. 135. 141. 143. 154.
235. 322. - Tridentinum 54. 147. 148. 182.
186n. 200. 244.
- CONFRATERNITAS Kioviensis 134. 220. -
Vilnensis 132. 186. 237.
- CONGREGATIO Concilii S. 188.
— Officii S. 180. 181. 183. 195. 196. 231n.
— de Propaganda Fide 77n. 78n. 83. 86.
88. 89. 90. 92. 93. 94. 96. 99. 100. 101.
103. 105. 106. 107. 109. 110. 111. 112.
114. 116. 119. 125. 127. 130. 131. 135.
141. 146. 158. 159. 170. 171. 174. 175.
176. 177. 178. 179. 182. 183. 188. 189.
190. 191. 193. 194. 197. 199. 200. 203.
204. 205. 206. 207. 211. 223. 225. 226.
228. 229. 230. 233. 235. 236. 237. 238.
245. 246. 252. 254. 255. 256. 257. 258.

259. 262. 263. 265. 320. 324. 325. 329.
331. 332. 333. 381.
— Rituum 67. 71n. 203.
- CONSTANTINOPOLIS opp. 22. 135. 237.
246. 303. 322n. - Patriarcha 21. 103. 126.
134. 135. 207. 230. 237. 246. 322. 330.
- CONSTITUTIO Synodi Metr. Kioviensis 63.
- CONVERSIO Graecorum 27.
- COPEZ Adamus OSBM 176.
- CORCYRA ins. 22.
- CORONATIO Regis Polon. 291.
- COSACI (Chosachi, Kozaki) 7. 30n. 60. 73.
78. 79. 82. 83. 84. 85. 89. 93. 98. 101.
103n. 133. 134. 140. 207. 218. 220. 221.
238. 242. 243. 260. 266. 267. 274. 288.
289. 290. 294. 302. 303. 304. 307. 308.
- CRACOVIA opp. 123. 269. 270. 271. 272.
277. 303. - Castellanus 59. 85. 122. 204.
226. 227. 303. - Episcopatus 235. - Epi-
scopus 317. - Praefectus arcis 329.
- CRETA ins. 22.
- CROATIA 207. 236. 324. 329.
- CURIA Metr. Kioviensis 302.
- CURIA Romana 80n. 89n. 95n. 113. 134n.
175. 180. 238. 252. 258. 271.
- CYCLADI ins. 22.
- CYPRIANUS Sac. OSBM 91.
- CYRILLUS Alexandrinus S. 227.
- CYRILLUS et METHODIUS SS. 115. 138.
160.
- CYRILLUS Sac. OSBM 79.
- CZAR (Car) Moscoviae 108n.
- CZARTORYSKYJ (Czartoristius) Georgius,
Dux, 222. 223. 239.
- CZENSTOCHOVA opp. 94.
- CZERČYCKYJ Isac, Ep. Luceoriensis non
unit., 319n.
- DAMASCENUS J. S. 123. - Opera 104.
- DANYLOVYČ Thesaurarius Regni Polon.
301.
- DECRETUM de transitu ad al. Ritum 182.
- DERAZNA civ. 239.
- DERMANENSE monasterium OSBM 297.
299. 301. 383n. 385. - Archimandrita 304.
326n. - Collegium OSBM 17.
- DIONYSIUS Areopagita 123.
- DIOTALLEVI Franciscus, Nuntius Pol., 69.
70. 77n. 80. 125. 136.
- DIVOČKA Onesiphorus, Metr. Kioviensis,
22n.
- DNIPRO fl. 290n.
- DOCTORES S. Ecclesiae 28.
- DOLHINOVO civ.
- DOMINICANI 141. 242. 289. 298. 316. 383.
DOROHINICIA villa 251.
- DOROHUBENSE monasterium OSBM 120.
- DROHOBYČ opp. 274.
- DRUCINSKI 85.
- DUBNO opp. 191. 194. 195. 196. 202. 206.
223. 224. 225. 226. 228. 238. - Monaste-
rium 228.
- DUBOVICKI Ignatius 74.
- DUBOVYČ Alexius, Archimandrita OSBM,
111. 296. 301n. 304. 326.
- DUBOVYČ Ignatius, Consul, 326.
- DUX Cosacorum 78.
- DUX Lithuaniae 140. 151.
- DUX Moscoviae 9. 19. 88. 105. 112.
- DUX ab Ostrog 102. 118. 120. 127. 134. 151.
204. 226. 227. - Ducissa 121. 196. 265.
- DVYNA (Duna) fl. 167.
- DYSZKOWSKI 304.
- ECCLESIA Catholica 8. 19. 23. 24. 61. 68.
70. 100. 103. 270. 279. 285. 296. 300.
311. 323. 330. 384. - Graeca 129. 152. 172.
193. - Occidentalis 28. - Orientalis 22. 28.
113. - Romana 9. 22. 25. 26. 27. 28. 54.
113. 142. 149. 180. 181. 184. 199. 202.
210. 232. 292. 381. - Ruthena Unita 56.
60. 69. 73. 76. 80. 83. 126. 128. 129. 130.
169. 172. 175. 177. 178. 184. 195. 196.
197. 198. 201. 205. 210. 211. 213. 225.
244. 250. 253. 262. 263. 265. 270. 271.
280. 282. 285. 286. 309. 323. 385. - Uni-
versalis 17. 18. 19. 20. 70. 71. 72. 77.
83. 84. 106. 107. 109. 110. 178. 188. 189.
190. 194. 197. 200. 211. 229. 245. 254.
255. 257. 382.
- ECCLESIAE Ruthenorum 140. 152. 216. -
Cathedrales 113. 132. 133. 159. 229.
- EPARCHIA Mukaciensis 17n. - Venden-
sis (Vindau) 59 n. - Vilnensis 56.
- EPISCOPATUS v. Chelm, Cracovia, Halicia,
Kiovia, Leopolis, Luceoria, Mohilovia,
Mstislavia, Peremysl, Pinsk, Smolensk,
Vilno, Volodymyr.
- EPISCOPI latini Poloni 15. 77. 78. 80. 86.
93. 102. 120. 122. 137. 140. 153. 155. 209.
258. 265. 291. 309. 310. 381. - rutheni uni-
ti 20. 27. 30. 32. 52. 60. 61. 62. 63. 64.
66. 67. 68. 69. 72. 107. 113. 114. 118.
119. 126. 127. 131. 133.. 140. 142. 150.
152. 154. 155. 156. 157. 163. 165. 167.
172. 174. 177. 187. 189. 192. 204. 207.
220. 234. 258. 260. 291. 317. 318. 319.
381. 385. - non Uniti 7. 82. 103. 133. 164.

219. 220. 246. 306. 307. 308. - v. Balneoregion., Bosnen., Braclavien., Chelm., Cracovia, Genovae, Halicia, Kamenecon., Kiovia, Leopolis, Luceoria, Mohilovia, Mstislavia, Mukachovien., Ostien., Paronae, Peremysl., Pinsk, Polock, Samogitien., Smolensk, Troky, Turovien., Vilno, Volodymyr.
- EUCHARISTIA 26.
- EUTHYMIUS Constantinopolitanus 208.
- EVANGELICI 296.
- FABRICIUS Valentinus, sac. Soc. Jesu, 213.
- FAMILIA Cantacuzenorum 166.
- VARFANELLI (Auditor Cardinalis Diotallevi) 136.
- FAUSTOVO villa 316.
- FIDES Romana Cath. 12. 18. 27. 100. 105. 160. 262.
- FILONARDI Marius, Nuntius Poloniae, 380n.
- FINIS Vitae Religiosae (regula OSBM) 33.
- FLORENTINUM Concilium 28. 57. 113. 135. 141. 143. 154. 235. 322.
- FOTIUS 322.
- FRANCISCANI 146. 298. 316. 383.
- GALLIA 115. 160.
- GARIOFILI Sac. lat. 87.
- GASIEWSKI 117.
- GEDEON Sac. unit. 79.
- GENERALIS Praeposit. Carmelitanorum 156. 158.
- GENERALIS Praeposit. Soc. Jesu 12. 96. 122. 126. 127. 169. 170.
- GENOVAE et LIPAE Episcopus 330.
- GEORGII S. Ecclesia 275.
- GHIERAPOLIS 52. 53.
- GIBBETTI Philippus 51.
- GIUSTINIANI Card. 30. 51.
- GERMANIA 9. 56. 73. 92. 96.
- GNESNA opp. 291. 328. - Archidioecesis 115. - Archiepiscopus 260. 291. 303. 309.
- GRAECI 10. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 30. 51. 57. 66. 141. 143. 145. 149. 151. 160. 166. 193. 322. - Episcopi (Graeci) 22. 129.
- GRAECIA 21. 22. 30. 115. 160. 207. 285. 286.
- GRATZ opp. 246. - Collegium Pont. 199.
- GREGORIUS S. Nazianzenus 123.
- GREGORIUS S. Nissenus 123.
- GREGORIUS OSBM, Superior Monast. Novogrodensis, 52.
- GREGORIUS XIII Papa 17. 20. 142.
- GREGORIUS XIV Papa 9.
- GREGORIUS XV Papa 68n. 80n. 92. 111n. 175. 189.
- GRODEK villa 251.
- GRODNO opp. 133. 275. 302. 303. 307. 326. 380. 381. 382. - Monasterium OSBM 275. 302. 308. 317.
- GROMACKYJ, Custos Ecc. Kioviensis, 243.
- GRUZEWSKI Joannes, Procurator OSBM, 74. 75.
- HAEBREI 24.
- HADRIANUS II Papa v. Adrianus.
- HAERESIS 61. 68. 138. 144. 263.
- HAERETICI 8. 65. 72. 81. 83. 129. 130. 131. 134. 137. 148. 149. 153. 162. 164. 169. 193. 201. 217. 220. 226. 261. 296. 306. 315.
- HALYĆ, Halicia 113. - Episcopatus Haliciensis 64. 192. - Episcopus 6. 8n. 11. 21. 27. 28. 29. 63n. 75n. 188. 189. 190. 244. 245. 247.
- HELIAS Sac. schism. 165.
- HERBIPOLIS opp. 9.
- HIEREMIA Patriarcha Const. 22.
- HIEROPOLITANUS Archiepiscopatus 305. - Archiepiscopus (Mel. Smotryckyj) 14. 225n. 298. 305.
- HISPANIA 22.
- HOLLANDIA 30n.
- HOLOWCZYNSKYJ 116.
- HORAIN Anastasia 300. - Bogusius 300. - Catharina 300. - Joannes, nob. ruth., 300. 302. 310.
- HOYSKYJ, Castellanus Kioviensis, 242.
- HREKOVYĆ Antonius, Archimand. Vidubicen. OSBM, 7n. 218.
- HUNGARIA 139. 207. 255. 323. 324. 330. 332.
- IEROBOAM (Bibl.) 322.
- IGNATIUS Patriar. Moscovit. 166.
- IGNATIUS Sac. OSBM 79. 84.
- IMPERATOR Austriae 257. 329. 331. 332. - Byzantii 322. - Moscoviae 17. 112. 139. - Turcarum 219.
- INGOLI Franciscus, Secr. Prop. Fide, 77n. 101. 110n. 161n. 176. 191. 192n. 193. 196. 236. 246. 247. 259. 262. 272. 281. 286n. 297. 298. 299. 303. 311. 333. 382.
- INQUISITIO Apost. de morte S. Josaphat 211. 222.
- ISAKOVYĆ Josaphat OSBM. 269.
- ISAYČEVSKYJ (Isaiceschi) 300.

- ISIDORUS Card., Metr. Kioviensis 113. 323.
 ISRAEL 321. 322.
 ISZORN Nicolaus, Archidiae. Vilnen., 55.
 ITALIA 122. 139.
 IUDAEA 168.
 IUDAEI 24. 25. 168. 230. 266.
 IUS Magdeburgense 78n.
 IUS Patronatus Regis Polon. 113. 151. 152.
 261. 268.
- JACOBUS Sac. unit. 199.
 JALOWICKI Demetrius 300.
 JAMIELKOWSKI Sac. Soc. Jesu 301.
 JAROSLAV opp. 121.
 JERUSALEM 322.
 JOANNES Paleologus, Imp. Byzantii, 322.
 JOANNIS S. Ecclesia 275.
 JOËL propheta 276.
 JOSAPHAT S. Kuncevyč OSBM, AEp. Polocensis, 5. 6. 19. 32n. 51. 97. 99. 100.
 104. 148n. 157n. 161. 162. 169. 194. 195.
 196. 200n. 202. 203. 205. 209. 211. 214.
 216. 220. 222. 247. 259. 275. 285. 293.
 294. 308. 320. - Beatificatio 203. 259. 271.
 - Canonizatio 203. 274. 276. 282. 283.
 286. 288. 294. 295. 309. - Inquisitio de
 morte 211. 222.
 JOSEFOVYČ Joannes Sac. unit. 7n.
 JUSTINIANUS Card. 170.
- KALENDARIUM v. Calendarium.
 KAMENEC Podilskyj opp. 78n. - Episcopus Kamenecensis 141.
 KARP Demetrius, Vicepalatinus Vilnensis, 214.
 KASANOWSKI Nob. pol. 302.
 KAZIMIERSKI Cristoforus Ep. 60.
 KIOVIA (Chiovia) 7. 58. 60. 62. 79. 84.
 85. 98. 103. 120. 133. 164n. 206. 218.
 224. 225. 229. 231. 233. 234. 238. 242.
 244. 246. 256. 267. 273. 274. 275. 288.
 290. 294. 302. 307. 308. 313. 315. 316.
 317. 319. - Archimandrita 230. 232n. 261.
 307. - Archimandrita Pečerensis 118. 206.
 267. 297. - Castellanus 242. - Confraternitas Kiov. 134. 220. - Curia Metropolitana 302. - Ecclesia S. Basilii 219. 275. - Ecclesia S. Basilii 219. 275. - Ecclesia Cathedralis S. Sophiae 79. 218. 244. 273. 288.
 302. 307. 313. 317. 319. - Ecc. Metropolitana 27. 31. 60. - Ece.eppi latini 58. - Episcopatus latinus 58. 85. 302. 307. 314.
 315. 316. - Magistratus 219. - Monasterium Kiov. 235. 266. - Monasterium S. Michaëlis 266. - Monasterium Pečerense 244. 274.
 319. - Palatinatus Kiovien. 84. 119. 140.
 266. 273. 274. 316. - Palatina 121. - Palatinus 22. 119. 134. 222. 224. 228. 232.
 233. 239. 244. 266. 302. - Praetor 219.. - Sedes Metrop. 16.
- KISZKA (Chiszka) Stanislaus, Ep. Samogitensis, 52. 53. 55. 57. 58. 60.
- KOBRYN opp. 184. 188. 190.
- KOLENDA Gabriel OSBM 330n. 333.
- KOMIENSKI 305.
- KONIECPOLSKI. Dux exercitus pol., 221n.
- KOPER Petrus 74.
- KOPETZ Adamus v. Copetz.
- KOPYNSKYJ Isaja, Ep. Peremyslien. non unit., 206. 307n.
- KOPYSTYNSKYJ Meletius OSBM 301.
- KOPYSTYNSKYJ Michaël, Ep. Peremyslien. non unit., 131n.
- KORETS opp. 228. 242.
- KORETSKI (Koreccensis) dux 226. 227. 228. 242.
- KORSAK Raphaël, al. Rom. 63n. 75. 77n.
 78n. 88. 90. 91. 92. 93. 101. 118. 119.
 122. 125. 130n. - Ep. Haliciensis 18. 19.
 188. 189. 190. 191. 200. 210. 223. 234n. -
 Coadiutor Metropolitae 249. 251. 259. -
 Ep. Pinscensis 264. 272. 277n. 281. 287.
 288n. 295n. 298. 299. 302. 303. 307n.
 309n. 317. 218n. 319n. 324. 330n. 383.
- KORSAK Martinus 242.
- KOSINSKYJ Florianus Sac. 271.
- KOSIV Silvester, Ep. Mohiloviensis non unit., 333n.
- KOSZERSKI Dux, Palat. Volhiniensis, 301.
- KOTLUBAJ Silvester OSBM 174.
- KRASNYBORENSE monasterium 52. 117.
- KREMENEC opp. 300.
- KREUZA (Creusa) - Rzhevuskyj Leo Laurentius, Al. Rom. 29n. 52. 102. 117. 125.
 157n. - AEp. Smolencensis 184. 185. 186.
 187. 188. 189. 190. 234n. 277. 278. 279.
 280. 281. 308n. 326n.
- KROPYVNICKYJ, Subiudex Braslaviensis, 295. 296.
- KRUPECKYJ Athanasius, Ep. Peremyslienesis, 185. 187. 264. 265n. 277. 278. 279.
 280. 281. 319n.
- KUCHMISTROVA 304.
- KURUKIV opp. 221n.
- KVASNICKYJ Andreas Sac. 111n.
- KYSIL Adam, Nuntius Regis ad ucr., 232.
 251.

- LACHUANTIS Ecclesia 176.
- LANCELLOTTI Joannes Franciseus, Nun. Pol., 123. 127n.
- LARISSA opp. 22. - Archiepiscopus Larissenus 21. 252.
- LATINI 12. 18. 22. 30. 73. 121. 123. 127. 131. 135. 140. 141. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 156. 180. 181. 182. 258. 273. 306. 311. 322.
- LAURENTII S. Ecclesia 197.
- LAURETANA 94.
- LECYKOVYČ Dorotheus OSBM 166.
- LEGATUS Regis Galliae in Constant. 303.
- LEGATUS Sedis Apost. 186.
- LEGATI Turcici 307.
- LEO IX Papa 141.
- LEOPOLIS opp. 15. 113. 148. 229. 231. 234. 235. 236. 246. 274. 297. 314n. - Archiepiscopus lat. 226. 236. 315. - Episcopatus non unit. 267. - Episcopus non unit. 267.
- LESCINENSIS Archimandrita 326n. - Monasterium 290.
- LIMINA Apostolorum Petri et Pauli 70. 210. 236. 277. 278. 280. 282. 283. 286. 287.
- LINGUA graeca 27. 30. 52. - italica 52. - latina 30. - ruthenica 27.
- LIPSIA opp. 117.
- LITHUANI 94. 173.
- LITHUANIA (M. Ducatus) 5n. 8. 18. 22n. 28. 29n. 31. 32. 33. 52. 53. 55. 64. 74. 88n. 102. 112. 133. 140. 141. 148. 156. 163. 199. 203. 206. 215. 236. 237. 248n. 258. 264. 268. 269. 273. 274. 275. 278. 288. 293. 303. 306. 318. 327. 333. 381. - Cancellarius Lith. 55. 119. 317. - Dux 140. 151. - Vicecancellarius 317. - Marsaleus 286.
- LITTERAE 12. 14. 15.
- LIVONIA 17.
- LOSOVSKYJ Nicolaus Nicephorus, Al. Rom., 198. 199.
- LUBLIN opp. 79. 207. 210. 230. 231. 296.
- LUCARIS Cyrillus, Patriarcha Constan. 200. 226. 229. 230. 237n. 328. 330.
- LUDOVISI Card. Ludovicus 68. 70. 71. 72. 74. 77. 80. 83n. 88. 90. 93. 100n. 175.
- LUCK (Luceoria) opp. 113. 274. - Collegium Soc. Jesu 315. - Ecclesia cathedralis 127. - Episcopatus 69. 120. 141. 274. 385. - Episcopus lat. 316. - Episcopus unit. 31n. 88. 91. 112. 127. 131. 141. 151. 184. 264. 289. 295. 319. - Episcopus non unit. 291. 319.
- MACIEJOWSKI Card. Bernardus 134.
- MAGDEBURG opp. 90. - Ius Magdeburgen. 78n.
- MAGISTRATUS Castrensis (Vilno) 168. 171. 214.
- MAGISTRATUS Civitatis v. Kiovia, Vilno.
- MAGISTRATUS ruthenus 74.
- MAGNUS Valerianus, Confess. Regis Pol., 292. 297. 304. 307.
- MAIER Soc. Jesu, Rector Coll. Viennensis, 72n. 73.
- MAKOWICZ Josaphat OSBM 252.
- MALACHOVSKYJ Jacobus, Canonic. Unioniensis, 28.
- MALACRIDA Marius AEp. 88.
- MARNAVICH Joannes Tomko, Ep. Bosnensis, 330. 332.
- MARSALCUS Lithuaniae 296.
- MARTYRES Quadraginta Sebastiae 16n.
- MARTYRES pro Unione 167. 168. 169. 195. 211. 224. 295. 320.
- MARTYROLOGIUM Romanum 115.
- MASALSKYJ (Cognatus Velamini Rutskyj) 72.
- MATHEIKOVIC Simeon 255.
- MATHEOVICH 331.
- MATHIAS, Sup. Generalis Carmelitanorum Disc., 158.
- MATTHAEUS, Decanus Szarogrodensis, 219.
- MEDI (natio antiqua) 139.
- MELEŠKO Theodorus OSBM, Ep. Chelmen., 102. 254.
- MELETIUS, Patriar. Alexandrinus, 22.
- METROPOLIA Haliciensis 225.
- METROPOLIA Kiovensis 30. 63. 64. 67. 184. 186. 225. 267. 307. 320. 325. 285.
- METROPOLITA Anchialis 234.
- METROPOLITAE Graeci 22. 66. 129.
- METROPOLITA Kiovensis unitus 5. 7. 9. 11. 18. 20n. 21. 23n. 26n. 27. 28. 29. 31. 51n. 63. 66. 67. 75n. 104. 113. 114. 118. 133. 142. 148. 150. 151. 154. 155. 157. 158. 162. 170. 171. 172. 173. 175. 177. 178. 182. 184. 186. 187. 188. 190. 194. 201. 202. 208. 209. 211. 214. 215. 216. 219. 223. 225. 232. 236. 251. 258. 265. 268. 272. 273. 288. 289. 290. 291. 294. 300. 305. 309. 310. 315. 317. 318. 320. 323. 328. 331. 332. 339. 381. 386. - Metropolita totius Russiae 17. 22n. 29. 33. 66. 103. 113. 122. 128. 129. 142. 183.
- METROPOLITA Kiovensis non unitus (Pseudometropolita) 79. 82. 99. 103. 133. 164. 206. 218. 220. 230n. 243. 244. 266.

274. 288. 290. 294. 307. 308. 314. 319.
325. 328.
- METROPOLITA Larissenus 21.
METROPOLITA Moldaviae 307n.
METROPOLITA Valachiae 207.
MICHAËLIS S. Ecclesia v. Kiovia.
MICHALOVIČ (Michalowicz) Gregorius,
Ep. Turoviensis, 100. 184. 186. 187. 188.
189. 190.
MIELESZKO 304.
MIKULICIUS 74.
MINISTRI Haereticorum 153. 154.
MINSK opp. 98. 104. 123. 163. 289. 290.
324. 325. 328. 383. - Monasterium Min-
seense 52. 133. 185.
MOHILOVIA opp. 32. 148. 266. 275. 328.
333. - Episcopatus 275. - Episcopus non
unitus 333. - Monasterium Mohilovien.
275. 317. 319.
MOHYLA Petrus, Archimandrita Pečeren-
sis, 207. 230n. 323n. 244n. 261n. - Me-
trop. Kioviensis non unitus 288. 289. 295.
302. 307. 308. 319n. 325. 326. 327. 328.
MOLDAVIA 72. 87. 107. 139. 159. 207. 219.
- Metropolita Mold. 307n.
MONASTERIA Bernardinorum 28.
MONASTERIA OSBM v. Biten., Derman.,
Dorohuben., Dubno, Grodno, Krasnybor.,
Lescinen., Minsk, Mohilovia, Novogrodek,
Ouruč, Peremysl., Smolensk, Stepanen.,
Stryj, Suprasl., Vidubiceen., Vilno, Zyd-
een., Zyrovyci.
MONS Athos 207n.
MONS S. Nicolai (prope Kioviam) 79.
MORAVIA 101.
MORGUNIUS Ep. Czyzcy 22.
MOROCHOVSKYJ Joachim, Ep. Volody-
mirsensis, 28. 66n. 69n. 100. 157n. 173n.
184. 185. 186. 187. 249n. 250. 265n.
MOSCHI v. Moscoviti.
MOSCOWIA 9. 22. 23. 32. 63. 86. 88. 107.
108. 112. 117. 118. 124. 131. 145. 151.
156. 158. 159. 163. 164. 166. 246. 294.
307. 325. 280.
MOSCOVITI 6. 9. 15. 17. 60. 102. 108.
114. 135. 139. 158. 209. 315.
MOSKVA opp. 156.
MOYSIS 26. 42. 321. 322.
MSCISLAW (Mstislavia) opp. 163. 275. -
Ecclesia SS. Trinitatis 275. - Episcopatus
Mscisl. 302. - Episcopatus non unit. 308.
- Episcopus unitus 275. - Episcopus non
unit. 308.
- MUKACOVIENSIS Eparchia 17n. - Episco-
pus 207.
MUZYLOVSKYJ Andreas, Polemista non
unit. 288.
- NARRATIONES Virorum Illustrim 18.
NAXOS ins. 22.
NEGOTIUM de Patriarchatu Rutheno 193.
194.
NESVIZ civit. 23.
NICEPHORUS Sac. Graecus 134.
NICEPHORUS OSBM 199.
NICOLAI S. mons, v. Mons S. Nicolai.
NIEBORSKI Stanislaus, Suffraganeus Vil-
nensis, 55. 305.
NOTARIUS Concillarii Lithuaniae 209.
NOVAK (Novacius) Nicolaus OSBM 175.
176. 177. 178. 188. 190. 191. 192. 193.
202. 211. 231. 238n. 247. 250. 259. 263.
265. 270. 271. 283n. 287.
NOVOGRODEK opp. 7. 16. 30. 31. 33. 51.
52. 63. 75. 76. 92. 93. 97. 99. 100. 103.
105. 106. 107. 108. 112. 113. 119. 133.
171. 176. 177. 178. 179. 180. 182. 184.
248. 249. 294. 296. 297. 300. 302. 303.
383. - Capitulum 7n. 218. 249. - Ecclesia
SS. Borisi et Hlibi 248. - Monasterium 52.
- Schola OSBM 113. - Synodus eparchia-
lis Novogr. 63. 64.
- NUNTII Cosacorum 89. 296.
NUNTIUS Germaniae (Viennensis) 331. 332.
NUNTIUS Poloniae (Vrasaviensis) 27n. 28.
29. 30n. 52. 55. 57. 59. 60. 61. 69. 70.
72. 76. 77. 78. 80. 81. 85. 86. 89. 90. 93.
94. 95. 96. 99. 107. 110. 116. 119. 122.
123. 125. 127. 128. 130. 132. 136. 139.
140. 150. 152. 153. 154. 170. 179. 183.
192. 197. 200. 208. 230n. 233n. 234. 252.
258. 259. 261. 265. 279. 280. 291. 292.
297. 299. 301. 303. 310. 314. 317. 318.
327. 328. 333. 380. 381. 386.
- OCCIDENS 138.
OBEDIENTIA, regula OSBM, 34. 40. 41. 42.
ODDUCY Angelus 21.
OGHINSKA Nobil. 327.
OGHINSKYJ Alexander Nobil. pol. 290.
OLESSANCHIA Helena 300.
OLOMOUTC (Holomoutium) opp. 246.
Seminarium 170.
OLYCA villa 23.
ONICHIMOWSKYJ Cosacus 89.
ONIELAMK villa 251.
ORANSKYJ Jacobus 198. 199.

- ORANSKYJ Pachomius OSBM 87. 111n. 125. 251. 296.
- ORIENS 138.
- ORŠA opp. 266. 289. 328. - Abbas lat. 381.
- OSSOLINSKI Georgius, Legatus Regis, 273n. 295n. 303. 311. 317.
- OSTIENSIS Episcopus 89n.
- OSTROG opp. 30. 102. 120. 227. 306. - Ecclesia Ostrogien. 127.
- OSTROŽSKA Aloysia, Ducissa, 121n. 196n.
- OSTROŽSKA Euphrosyna, Ducissa, 226n. 314n.
- OSTROŽSKYJ Constantinus, Dux, 118. 120n. 131n.
- OSTROŽSKYJ Janus, Dux, 204n. 226n. 227. 314n.
- OVRUČ (Owrucz, Ourucia) opp. 85. 242. - Monasterium 122.
- OWLOCZYNSKI 302.
- PAGANI 69.
- PAKOSTA Athanasius OSBM, 52. - Episcopus Cholmensis 66n. 100. 171. 173n.
- PALATINA v. Brest, Kiovia, Vilno. Volinia.
- PALATINATUS 18. 163. 232. - v. Braslavia, Kiovia, Polock, Volinia.
- PALATINUS v. Braslavien., Kiovia, Pinsk, Raven., Russia, Troky, Vilno, Volinia.
- PALEOLOGUS Joannes, Imp. Bizantii, 322.
- PALLAVICINUS Sfortia, Soc. Jesu. 18.
- PANNONIA 17.
- PAPAE 135. 221. 306.
- PARASKEVAE S. Ecclesia 304.
- PARISIENSIS Editio SS. Patrum 123.
- PARONAE Episcopi 18.
- PARTHI 139.
- PATRES SS. 7. 13. 28. 41. 47. 138. 146. 154. 162. 234. 249. 357. 375.
- PATRES SS. Graeci 123. 142.
- PATRIARCHA Alexandrinus 22. - Constantinopolitanus 21. 103. 126. 134. 135. 207. 230. 237. 246. 322. 330. - Hierosolymitanus 79n. 82n. 164. 171. 234. 306. - Moskoviensis 22n. 166. 274n. - Orientales 66. 103.
- PATRIARCHAE Rutheni negotium 193. 194.
- PAULUS S. Apost. 24. 25. 70. 71. 95. 210.
- PAULUS Papa III 28. 52.
- PAULUS Papa V, 87. 88. 124. 142. 156. 246.
- PAUPERTAS, regula OSBM, 34. 35.
- PAX Polanensis 325n.
- PÁZMÁNY Petrus, AEp. Strigoniensis, 331.
- PEČERENSIS Archimandrita non unit. 118. 206. 267. 297.
- PEČERENSE Monasterium 244. 274. 319.
- PELOPONESO 21. 22.
- PEREMYSL (Peremislia) opp. 113. 269. 274. - Episcopatus 265. 269. 274. 308. - Episcopus 141. 185. 187. 218. 264. 317. 319. - Monasterium 317. 319.
- PETRUS S. Apost. 12. 13. 24. 70. 71. 82. 95. 126. 210. 279. 322. 369.
- PETRUS a Matre Dei 87.
- PHAENICIUS Franciscus, Soc. Jesu, 298. 301.
- PHARAON 322.
- PHILADELPHIENSIS Archiepiscopus 22. 225.
- PHILONARDUS Marius, Nuntius Pol., 386.
- PIESCHOCHI Eustachius 249.
- PINSK opp. 113. 178. 290. 291. 328. - Ecclesia Pinseensis 197. - Episcopatus 120. 196. 294. - Episcopus 29n. 75n. 95. 131. 151. 184. 188. 189. 190. 264. 265. 275. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 293. 294. 305. 307. 310. 317. 318. 330. 331. 333. 384. - Palatinus 291.
- PIUS II Papa 63n.
- PLASZII Domini bona 297.
- PLETENECKYJ Hieliseus, Archimandr. Péčerensis, 118n.
- POČAPOVSKYJ Hieronimus, Ep. Luceoriensis, 29n. 31. 100. 127n. 184. 186. 187. 264. 319n.
- PODBERESKYJ Hadrianus OSBM, Al. Rom., 74. 75. 77n. 78n. 84. 86. 88. 89n. 90. 91. 92. 93. 96. 101. 117. 118. 130n. 169.
- PODLACHIA 17.
- PODOLIA 17. 78n. 113. 131n. 238n. - Palatinatus Pod. 266.
- POENITENTIA 26.
- POLISJA (Polessia) 241. 242n.
- POLOCK opp. 113. 119. 163. 164. 168. 169. 203. 221. - Archiepiscopatus Pol. 32. 163. 164. 204. 234. 266n. 275. 294. 333. - Archiepiscopus 31n. 51n. 148. 163. 164. 166. 169. 170. 184. 188. 189. 190. 195. 196. 202. 203. 209. 211. 217. 218. 234. 245. 264. 308. 323. - Ecclesia Cathedralis S. Sophiae 163. 164. 168. 169. - Collegium 222. - Palatinatus 140.
- POLONI 87. 94. 128.
- POLONIA 10. 15. 17. 18. 28. 70. 93. 101.

115. 124. 126. 136. 141. 158. 180n. 183.
269. 298. 303n. 318. 333. 381.
- POPOVYĆ** Hyacinthius, Consul Viln., 16ln.
POZNAN opp. 117. 291.
- POTIJ** Hypatius, Metr. Kioviensis, 5n. 6.
28n. 66. 69n. 112. 133n. 148. 16ln. 212.
218. 253. 323n.
- POTULINSKYJ** 117.
- PRAEFECTUS** Arcis Cracoviae v. Cracovia.
- PRAELATI** 25. - Latini 180.
- PRAETOR** Kioviensis v. Kiovia.
- PRAETORIUM** Vilnense v. Vilno.
- PRAGA** opp. 117. 246. - Collegium Pont.
170.
- PRIMAS** Poloniae 309.
- PRIMATUS S. Pontificis** 221. 227. 231. 306.
380.
- PRINCEPS** Moldaviae (Hierem. Mohyla)
207.
- PRIVILEGIA** Ecclesiae Ruthenae 113. 192.
- PRIVILEGIA** Metropolitae Kioviensis 67.
- PRIVILEGIA S. Pontificis** 66.
- PRIVILEGIA Regis Polon.** 154. 217. 218.
219. 273.
- PROCHNICKI** Joannes Andreas, AEp. Leo-
poliensis lat., 236n.
- PROFESSION** Fidei 21. 27.
- PROGRAMA** Unionis 23.
- PROSKURA**, Notarius Kioviensis, 243.
- PROTOPOPA** Rohačoviensis 290.
- PRUSSIA** 90. 134.
- PUTIVLEC**, Ataman Cosacorum, 243.
- PUZYNA** Athanasius, Ep. Luceoriensis non
unit., 301. 319n.
- QUASSOVA** villa 251.
- RADOSZEWSKI** Boguslaus, Ep. Kiovien.
lat., 58. 59. 302n. 316.
- RADZIWIL** Albertus, Cancellarius Lithuan.,
261.
- RADZIWILL** Nicolaus Christoforus, Prin-
ceps, 21. 23. 214.
- RAHOZA** Michaël, Metr. Kiovien., 62n. 142.
148.
- RALI**, familia Constantinopol., 166.
- RASCIA** 159.
- RASCIANI** (Serbi) 324. 332.
- RATIO** Communis Vitae, Regula OSBM, 44.
- RAVA** opp. 304. - Archiepiscopus Raven.
304. - Collegium Soc. Jesu 325. - Palati-
nus 304.
- RAYMUNDUS** Joannis, Notarius Nuntii
pol., 386.
- RECTOR** Collegii Graeci 73. 81. 95. 117.
RECTOR Collegii Vilnensis 301.
- REGNUM** Poloniae 15, 22n. 28, 30. 52. 61.
62. 64. 65. 76. 80. 82. 83. 84. 85. 86.
90. 100. 101. 102. 110. 111. 112. 113.
119. 120. 122. 123. 126. 127. 128. 129.
130. 135. 136. 139. 140. 147. 153. 154.
155. 158. 159. 164. 172. 177. 181. 183.
189. 198. 202. 204. 208. 215. 220. 221. 234.
258. 260. 262. 263. 268. 269. 273. 278.
280. 300. 309. 310. 325. 328.
- REGULAE** Episcoporum 369-379.
- REGULAE OSBM** v. Basiliani.
- RELIGIO** Catholica 8. - Romana 27.
- RELIGIO** Graeca 85. 139. 296. 318.
- RELIGIOSI** Rutheni v. Basiliani.
- RELIQUIA S. Casimiri** 381.
- RESURRECTIONIS** Ecclesia 275.
- RETHORICA** 82.
- REX** Galliae 303.
- REX Hispaniae** 22.
- REX Poloniae** 7. 15. 17. 28n. 30n. 52. 60.
61. 77. 78. 82. 84. 85. 86. 89. 95. 99. 100.
101. 102. 112. 113. 119. 121. 122. 125.
126. 128. 131. 134. 139. 140. 151. 163.
166. 186. 208. 215. 220. 225. 232. 236.
237. 251. 253. 257. 258. 259. 261. 262.
263. 265. 273. 277. 279. 280. 289. 290.
291. 292. 302. 304. 307. 309. 310. 311.
317. 323. 325. 326. 380. 381. 382.
- REX Suetiae** 28. 52. 266. 268. 269. 291.
- RJTUS** Graccus 15. 17. 25. 31. 68. 69. 71.
75. 76. 82. 86. 87. 93. 102. 105. 109. 110.
113. 114. 118. 121. 122. 124. 128. 129.
131. 135. 139. 142. 143. 145. 149. 150.
152. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 176.
182. 183. 185. 197. 207. 209. 212. 214.
218. 226. 236. 261. 271. 286. 316. 323.
329. 330. 339. 380. 382. 383. 385. - Latini-
nus 31. 52. 64. 65. 74. 75. 76. 77. 86. 88.
91. 95. 102. 110. 113. 118. 120. 121. 122.
127. 128. 129. 131. 136. 137. 139. 142.
143. 144. 145. 146. 148. 149. 150. 151.
152. 156. 157. 159. 176. 180. 182. 183.
193. 236. 246. 253. 254. 261. 289. 311.
316. 320. 339. 380. 383. - Ruthenus 25.
26. 143. 214. 215. 248.
- ROHAČOVIA** opp. 328. - Protopopa Ro-
hačoviens. 290.
- ROMA** 9. 12. 18. 21. 22. 27. 28. 29n. 75.
80. 82. 83n. 88. 91. 93. 105. 107. 112.
115. 117. 118. 123. 126. 131. 136. 138.
141. 143. 148. 151. 156. 157. 182. 191.
192. 193. 230. 236. 245. 246. 247. 250.

258. 288. 289. 292. 297. 298. 301. 303.
304. 308. 309. 310. 320. 323. 329. 330.
331. 381.
- ROMANI** 24. 25.
- ROMANOWSKI** 251.
- RUDNICKI** Simon, Ep. Varmiensis, 59.
- RUDNYCKYJ** Cyprianus OSBM 51n. 70.
71. 74n.
- RUINI** Laelius, Nuntius Pol., 27.
- RUSSIA** 11. 12. 16. 17. 18. 19. 22. 30. 33.
51. 60. 64. 70. 76. 81. 82. 86. 87. 89. 90.
92. 93. 94. 96. 99. 102. 105. 106. 109. 112.
113. 114. 115. 116. 120. 121. 124. 129.
135. 138. 140. 142. 145. 156. 157. 158.
159. 160. 185. 186. 188. 194. 199. 202.
206. 210. 218. 221. 229. 238. 245. 262.
266n. 270. 273. 284. 286. 287. 291. 315.
323. 324. 330. 331. 337. 339. 380. - Russia
Alba 17. 112. 148. 163. 229. 248. 266n.
289n. 290n. 296. 303n. 324. 325. - Russia
Nigra 17. 112. 113. - Russia Rubra 112.
113. 148. 266n. - Palatinus Russiae 199.
- RUTA** opp. 103. 200. 246. 247. 288. 289.
293. 299. - Capitulum OSBM 216.
- RUTHENI** 23. 24. 25. 26. 27. 102. 105. 145.
147. - Rut. uniti 5. 6. 17. 18. 19. 30. 33.
56. 57. 61. 63. 65. 69. 73. 74. 81. 87.
93. 95. 107. 109. 110. 112. 113. 114. 115.
120. 122. 123. 124. 125. 127. 128. 131.
137. 139. 141. 143. 144. 145. 149. 150.
151. 152. 159. 160. 178. 181. 182. 183.
191. 195. 198. 199. 200. 201. 202. 209.
210. 211. 215. 218. 219. 231. 238. 247.
254. 258. 262. 265. 266. 269. 270. 276.
279. 280. 284. 286. 290. 293. 294. 306.
309. 311. 317. 318. 320. 329. 333. 382.
- Rut. non uniti 65. 75. 83. 118. 120.
123. 131. 137. 143. 207. 229. 277.
- SACERDOTES** latini 149. 152. 153. 181.
182. - Rutheni uniti 69. 72. 73. 152. 153.
154. 176. 181. 182. 214. 219. 249. 267.
290. - Rut. non uniti 164.
- SACRA** Romana Rota 203.
- SACRAMENTA** (administratio) 150. 151.
187. 193.
- SADKOWSKYJ** 85. 242.
- SAHAJDAČNYJ** Petrus 78n.
- SAMOGITIAE** Ducatus 56.
- SAMOGITENSIS** Episcopus 52n. 54. 55. 64.
- SANGUSZKO** Adamus Alexander, Dux, 298.
- SANTACROCE** Card. Antonius 244.
- SAPIEHA** Elisabeth 56.
- SAPIEHA** Leo, Cancellarius Lituan., 55.
- SAPIEHA** Phalna, Palatinus Novogrod., 328.
- SAPIEHA** Nicolaus, Palatinus Minscen., 55.
- SCHENKING** Otto, Ep. Vendensis, 59.
- SCHISMA** 61. 68. 75. 105. 140. 144. 147.
152. 163. 164. 196. 219. 220. 238. 241.
261. 262. 278. 291. 300. 330.
- SCHISMATICI** 5. 6. 7. 8. 17. 19. 29. 30.
32. 57. 61. 69. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78.
81. 85. 86. 89. 91. 93. 99. 101. 103. 104.
105. 108. 109. 114. 119. 121. 122. 129.
130. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138.
140. 141. 143. 145. 148. 150. 153. 155.
156. 159. 161. 162. 168. 176. 183. 193.
194. 195. 200. 201. 203. 204. 205. 207.
209. 213. 215. 217. 219. 220. 221. 224.
226. 227. 228. 229. 231. 232. 233. 234.
235. 236. 237. 238. 243. 244. 247. 254.
255. 256. 260. 261. 263. 265. 266. 267.
268. 269. 273. 274. 275. 276. 279. 280.
290. 291. 292. 294. 295. 296. 306. 307.
308. 309. 311. 317. 318. 319. 320. 321.
326. 328. 381. 382.
- SEBASTA** opp. 16.
- SECRETARIUS** S. Congregationis de Prop.
Fide 101. 125. 179. 228.
- SECTA** Ariana 17.
- SEDES** Apostolica 6. 11. 12. 13. 14. 15.
17. 18. 19. 21. 25. 27. 29. 32. 52. 70.
76. 80. 97. 99. 130. 136. 138. 142. 146.
151. 152. 160. 178. 187. 189. 191. 192.
198. 200. 201. 202. 203. 204. 235. 238.
249. 250. 260. 262. 264. 265. 273. 281.
286. 300. 320.
- SEDES** Constantinopolitana 286.
- SEDES** Kiovae 16.
- SELEUCIAE** Archiepiscopus 200.
- SELISCIENSKI** Sac. unit. 289.
- SEMINARIA** (Collegia) v. Brunsbergen.,
Minsk, Olomouc, Praga, Vienna, Vilno.
- SEMINAK'A** Moskovitorum 124.
- SEMINARIA** Valachica 124.
- SEMINARIUM** pro Ruthenis 93. 94. 95. 96.
99. 102. 104. 105. 106. 107. 108. 109.
111. 112. 114. 115. 116. 118. 119. 120.
121. 123. 127. 160. 169. 172. 173. 174.
175. 179. 188. 189. 190. 201. 234. 238.
253. 254. 255. 257. 320. 321.
- SENATORES** Regni Poloniae 10. 15. 61. 77.
78. 80. 89. 101. 114. 118. 121. 131. 134.
136. 137. 138. 140. 152. 153. 189. 212.
215. 226. 231. 259. 260. 262. 291. 292.
309. 311. 326.
- SENATUS** Poloniae 6. 77. 85. 89. 117. 131.
139. 227n. 236. 263.

- SERBIA 87. 139. 159.
 SERGII et BACCHI Ecclesia 276n.
 SERGIUS, Patriarcha Constantin., 322.
 SIELAVA Antonius OSBM 29n. 31. 51. -
 Archiepiscopus Polocensis 100. 157n. 184.
 185. 186. 187. 188. 189. 190. 234n. 264.
 277. 278. 279. 280. 281.
 SIENAZYLO Samuel OSBM 161n. 212.
 SIGISMUNDUS III, Rex Poloniae et Sue-
 tiae. 28. 52. 108n. 128. 166. 260n. 262.
 268. 272. 275. 291. 384.
 SILESIA 101.
 SIMON Paulus, P. Generalis Carmelitano-
 rum 87. 88. 158.
 SIMONIA 187.
 SIRADICENSIS Castellanus 231.
 SLUČ (Sluzk) opp. 148. 327.
 SMOLENSK opp. 289. - Archiepiscopatus
 Smolen. 117. - Archiepiscopus 188, 189.
 190. 209. 234. 308. 326. - Archimandrita
 Smolen. 102. - Ducatus Smolencensis 114.
 158. - Monasterium 117.
 SMOTRYCKYJ Meletius, Ep. Polocen. 6.
 12n. 14. 15. 103. 164. 195. 196. 200. 204.
 206. 207. 208. 221n. 223. 224. 225. 227.
 228. 230. 235. 245. 246. 256. - AEp. Hie-
 ropolitanus 292. 297. 298. 301. 306. 308.
 SOCIETAS Jesu (Jesuitae) 6. 9. 12. 18. 25.
 29n. 55. 73. 74. 81. 104. 117. 122. 126.
 127. 128. 141. 149. 157. 170. 183. 197.
 231. 235. 236. 265. 269. 282n. 295. 297.
 301. 304. 306. 314. 315. 316. 325. 383.
 SOKOLOWSKI Alexander, Ep. Kioviensis
 lat. 312. 314. 315.
 SZOLDRSKI Andreas, Ep. Kioviensis lat.,
 302n.
 SOLOHUB 328.
 SOPHIA S. Ecclesia Cath. Kiovien., 79. 218.
 244. 273. 288. 302. 307. 317. 319.
 SPALATENSIS Episcopus 237.
 STABULI Praefectus, 241.
 STANISLAUS S. 104.
 STANISZEWSKI Albertus, Judex Luceo-
 rien., 251.
 STEPANIUM opp. 16. 239. 240. 241. - Mo-
 nasterium Stepan. 241.
 STRIGONIENSIS Archiepiscopus 330.
 STRYJ opp. 274. - Monasterium S. Onufrii
 274. - Monasterium S. Salvatoris 274.
 STYRIA 199.
 SUCCESSORES S. Petri 13.
 SUCHODOLSKYJ 243.
 SUFRAGANEUS Metrop. Kioviensis 63.
 65.
 SUMMA Theologiae (S. Thomas) 105.
 SUPRASL opp. 52. 302. 326. - Monasterium
 52. 258. 259. 326.
 SVETIA (Suetia) 28. 90.
 SYLVESTER, Superior Monast. Krasnybo-
 rensis 52.
 SYNAGOGAE 164. 225. 321. 326.
 SYNODUS eparchialis 63. 64. - Ep. unit.
 67. 155. 234. - Ep. lat. 309. - Metropo-
 litana 6. 114. 182. - Provincialis 32. 265.
 339. - Unitorum cum non Unitis 6. 135.
 206. 207. 225. 229. 233. 234. 235. 310.
 314n. - Contra Unionem 133. 231.
 SYNODUS Kioviensis 63. 206. 207. - Ko-
 brynenis 184. 185. 186. 189. 190. 191.
 234. - Leopoliensis 232. - Novogrodenis
 203n. - Volodymiriensis 231.
 SZARHOROD (Szarogrod) opp. 72. 78n.
 219. - Protopopa Szarhorodensis 78.
 SZUJSKYJ Clemens OSBM 333.
 SZYBINSKYJ Nicodemus, Archimand.
 OSBM, 187. 188. 253.
 SZYCIK, Nobil., 302.
 SZYDLOWIEC, villa, 23.
 TABULARIUM Coll. Graeci 9. 18. 383n.
 TARANTO opp. 22.
 TARASIEWICIUS Paulus 249.
 TASINSKYJ 297.
 TATARZYNOWCE, villa, 120. 122.
 TARTARI 60. 62. 72. 73. 78. 208n. 220. 221.
 TARTARIA 72.
 TERLECKYJ Cyrilus, Ep. Luceorien., 112,
 131n. 274n. 323n.
 TERLECKYJ Methodius, Ep. Chelmensis,
 210. 211. 236n. 237. 257. 264. 277. 278.
 279. 280. 281. 329n. 331. 332.
 TERTULIANUS 145.
 THEOPHANES, Patriarcha Hierosolymit.,
 6n. 79n. 82n. 164n. 171n. 305.
 THESAURUS Sapientiae (Thoma a Jesu)
 87.
 THOMAS a Jesu 23. 26n. 87. 112.
 TIMOTHEUS, Apost., 26.
 TIMOTHEUS, Paroch. ecc. Lachuantis, 176.
 TRIDENTINUM Concilium 54. 147. 148.
 182. 186n. 200. 244.
 TONINUS Jacobus Philipus, Presb. lat., 57.
 TOROCANIUM, villa, 253. 319.
 TOROSOWICZ Nicolaus, AEp. armenus,
 260. 295n.
 TORRES Cosmas, Nun. pol., 77n. 90. 110n.
 112. 136. 281.
 TORUNIUM, villa, 327.

- TRANSITUS ad Ritum Lat. 87.
 TRANSYLVANIA 139. 159. 207. 323. 324. 330.
 TRENFUNELLI Josephus 78. 95.
 TREZCHO Stephanus 249.
 TRIBUNAL Sup. Regni Pol. 207. 215. 299.
 TRINITATIS SS. ecclesia Mstislaviae 275.
 TRINITATIS SS. Monasterium Vilnense v. Vilno.
 TROKY opp. 23. 296. - Castellanus 327. - Episcopus lat. 327. - Palatinus 23. 317.
 TRYZNA Marcianus OSBM 29n. 52. - Ep. Mallensis 326n.
 TUPEKA Joannes, miles, 215 n.
 TURCI 15. 21. 22. 73. 85. 135. 166. 208n. 219. 221. 234. 255. 302. 304. 324.
 TUROV opp. 196. - Conciliabulum contra Unionem 131. - Episcopus 265.
 TYSZKEVY CZ Philo OSBM 87. 176.
 TYSZKOVICZ-Polupanščyna, villa, 251.
 UCRAINA (Ukraina) 7n. 83. 103n. 141n. 191n. 193n. 206. 208n. 220. 226n. 241. 261n. 266n. 274n. - Ucr. Carpatica 17n. 139n.
 UNICHOVIA Fides, Religiosa basiliiana, 248.
 UNIO cum Ecc. Romana 5. 7. 8. 12. 13. 18. 19. 22. 28. 33. 57. 61. 65. 66. 73. 75. 76. 77. 80. 83. 84. 87. 88. 89. 90. 93. 97. 99. 103. 105. 108. 111. 114. 116. 118. 120. 121. 122. 123. 124. 126. 127. 128. 129. 130. 133. 136. 137. 138. 139. 141. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 159. 161. 164. 165. 173. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 183. 189. 191. 193. 195. 201. 204. 208. 210. 217. 218. 242. 246. 248. 260. 261. 262. 264. 266. 267. 268. 269. 270. 273. 275. 276. 281. 282. 283. 285. 286. 288. 291. 293. 296. 298. 306. 308. 309. 310. 318. 319. 320. 321. 323. 328. 380. 382. 383. - Berenstensis 9n. 22n. 62n. 95n. 118n. 134n.
 UNITI 30. 75. 86. 93. 98. 101. 110. 126. 139. 193n. 229. 232. 233. 236.
 URBANUS Papa VIII 6. 14. 19. 83n. 91n. 108n. 110n. 198. 249. 272. 284n. 287n. 288n. 295n. 311n. 384.
 USCHOCHI (Uskoki) 236. 257. 324. 329. 330. 331.
 VALACHI 257. 304. 324. 329. 330. 331. 332.
 VALACHIA 87. 112. 139. 159. 207. 234. - Metropolita Val. 207. - Seminarii Val. 124.
 VALERIANUS, Ordo S. Dominici, 223.
 VARSAVIA opp. 6. 28. 52. 59. 61. 70. 71. 81. 82. 84. 86. 88. 90. 117. 128. 164. 203. 230. 231. 252. 253. 254. 256. 257. 258. 259. 264. 277. 291. 294. 297. 301. 303. 309. 310. 311. 313. 319.
 VARSAVIENSIS Nuntius v. Nuntius Poloniae.
 VENDENSIS Eparchia 59n. - Episcopus Venden. 59.
 VENETIA 22.
 VERBOVA, villa, 241.
 VICECANCELLARIUS Lithuaniae 317.
 VICECANCELLARIUS Regni Polon. 171. 172. 173. 174. 209. 232. 235. 317.
 VICEPALATINUS Polocensis 169.
 VIDUBICENSIS Archimandrita 7. 275. 319. - Monasterium Vidub. 266. 275.
 VIDBLA fl. 167.
 VIENNA (Vindobona) 73. 236. 246. 257. 329. 330. 331. 332. Collegium Vienn. 72n. 73. 170. 246. 301.
 VILNO opp. 10. 17. 33. 48. 56. 64. 72. 73. 77. 91. 102. 103. 104. 113. 123. 131. 133. 148. 149. 150. 156. 161. 166n. 170. 182. 204. 212. 213. 214. 215. 216. 246. 268. 262. 293. 284. 285. 286. 287. 288. 294. 296. 302. 303. 305. 307. 308. 319. 326. 333. 380. 381. 383. - Archimandrita 5. 21. 75n. 212. 213. 215. 326n. - Capitulum Vilnen. 56. - Castellanus 52. - Collegium OSBM 16. - Confraternitas 132. 186. 237. - Dioecesis 56. - Ecc. Resurrectionis 275. Ecc. lat. S. Stanislai 71. - Eparchia 56. 247. - Episcopus 7. 13. 52. 55. 56. 64. 65. 71. 80. 117. 118. 141. 181. 182. 215. 291. 327. - Magistratus 16. 212. 214. - Magistratus Castrensis 168. 171. - Monasterium SS. Trinitatis OSBM 5. 8. 10. 52. 76. 133. 138. 156. 161. 162. 185. 212. 214. 252. 253. 275. 297. 303. 319. 327. - Officium Castrense 214. - Palatina 121. 226. 227. 241. 242. 243. 304. - Palatinus 16. 32. 55. 101. 118. 119. 196. 214. 241n. 259. 291. - Praetorium 150. 216. - Seminarium 96. 116. 170. 171. 246. 320. - Suffraganeus Episcopi 65. 71. 80. 305. 381. - Vicepalatinus 214.
 VINNYCIA opp. 295.
 VISCONTI Honoratus, Nun. Pol., 252. 312. 327.
 VISITATIO Metropolitana 229. 294.
 VISTULA fl. 89.
 VITEBSK opp. 32n. 104. 163. 164. 165.

168. 203. 219. 221. 275. - Magistratus Ca-
strensis 169.
- VLADISLAUS, Princeps, 108. 118. 123. 124.
260. 261. 262. 263. - Vl. Rex Polon. 264.
266n. 268. 272n. 273n. 288n. 302. 311.
- VOLHINIA 8n. 16. 17. 22. 102. 112. 113.
120. 121. 131n. 161n. 190. 194. 199. 208.
226. 228. 234. 238n. 242n. 253. 266n. 274.
296. 301. 303. 306. - Palatina Volhinien.
121. - Palatinatus 140. 299. 300. - Palati-
nus 121. 298. 301.
- VOLODYMYR opp. 113. 161n. 173. 229.
254. 259. 383. - Archidiaconus 172. 174.
- Capitulum OSBM 157n. - Ecclesia Vol.
255. - Eparchia 69. 250. 251. 255. 258.
265. - Episcopus 28. 66. 112. 125. 173.
184. 235. 246. 268.
- VORNIE (Miedniki) opp. 54. 56. - Ecc.
Cathedralis Ep. Samogitiensis 54. 55. 56.
- WERCHI Alexius, Sac. lat., 327.
- WEREMIEYKI, villa, 242.
- WEZYK Joannes, AEp. Gnesnensis, 291n.
- WILKOWSKYJ Stanislaus, Nob. ruth. 67.
- WOJNA Abraham, Ep. Vilnensis, 64. 80n.
88n.
- WOJNA, Praeses Civ. Vilnae, 327.
- WOJNA, familia lituana, 88.
- WOLLOWICZ Eustachius, Ep. Vilnensis, 55.
119n. 141n.
- WOLLOWICZOWA Filiana, Palatina Bre-
sten., 7n.
- WORNIE v. Vornie.
- WOROBENICZE, villa, 242.
- WORONICZ, Magister Rotae, 243.
- WYSNIOWECKYJ, Dux, 206.
- WYSOCKI 328.
- ZADZIK Jakobus, Cancellarius Polon., 258.
- ZACYNTHOS ins. 22.
- ZAMOSC (Zamoscia) opp. 222.
- ZAMOYSKI Thomas, Palat. Kiov., 72. 121.
222. 224. 261.
- ZALENSKYJ Joannes, Nobil. ruth., 251.
- ZAPOROSIENSIS Exercitus 220.
- ZARESKYJ Nicephorus OSBM 51n. 70. 71.
74n. 86. 91.
- ZASLAUSKYJ Alexander, Dux, 121. 196.
204. 206. 207. 222. 224. 226. 228. 232n.
239. 241. 304. 314.
- ZASLAVIA opp. 244. 314. - Ducees Zaslavii
121.
- ZBARASKYJ Christophorus, Dux, 30. 171.
- ZBARASKYJ Georgius, Dux, 85. 95. 102.
120. 122.
- ZBARAZ opp. 120.
- ZOLLEREN, Card. Itelius Fridericus 106n.
107. 125.
- ZWIAHEL, villa, 241. 242. 243.
- ZYDICENSESIS Archimandrita 250. 251. 252.
253. 268. 274. 319. - Monasterium Zyd.
252.
- ZYROVICI opp. 94. 180. 181. 182. 304.
326. - Ecc. S. Mariae Assumptae 95. -
Ecc. Zyrovicensis 169. - Monasterium 265.
- ZYTOMYR opp. 247.
- ŽYTYNSKYJ 300.

II.

**ELENCHI PONTIFICUM, REGUM, NUNTIORUM,
METROPOLITARUM, EPISCOPORUM ETC. (1600-1637)**

1. Pontifices Romani

| | |
|--------------|-----------|
| Clemens VIII | 1592-1605 |
| Leo XI | -1605 |
| Paulus V | 1605-1621 |
| Gregorius XV | 1621-1623 |
| Urbanus VIII | 1623-1644 |

2. Patriarchae Constantinopolitani

| | |
|----------------------------|-----------|
| Neophitus II | 1602-1603 |
| Raphael II | 1603-1608 |
| Matthaeus II (3 vice) | 1608-1612 |
| Cyrillus I Lucaris | 1612 |
| Timotheus II | 1612-1621 |
| Cyrillus I Lucaris (2 v.) | 1621-1623 |
| Gregorius IV | 1623 |
| Anthimus I | 1623 |
| Cyrillus I Luc. (3 vice) | 1623-1630 |
| Isaac | 1630 |
| Cyrillus I Lucaris (4 v.) | 1630-1633 |
| Cyrillus II Kontaris | 1633 |
| Cyrillus I Lucaris (5 v.) | 1633-1634 |
| Athanasius III Patellaros | 1634 |
| Cyrillus I Lucaris (6 v.) | 1634-1635 |
| Cyrillus Kontaris (2 vice) | 1635-1636 |
| Neophitus | 1636-1637 |
| Cyrillus I Lucaris (7 v.) | 1637-1638 |

3. Nuntii Apostolici Varsavienses

| | |
|---------------------------|-----------|
| Claudius Rangoni | 1599-1606 |
| Franciscus Simonetta | 1606-1611 |
| Caesar Baroffio | 1612 |
| Laelius Ruini | 1612-1614 |
| Franciscus Diotallevi | 1614-1621 |
| Cosmas de Torres | 1621-1622 |
| Joannes Bapt. Lancellotti | 1622-1627 |

| | |
|---------------------|-----------|
| Antonius Santacroce | 1627-1630 |
| Honoratus Visconti | 1630-1635 |
| Marius Filonardi | 1635-1643 |

4. Praefecti S. C. de Prop. Fide

| | |
|--|-----------|
| Antonius Maria Sauli | 1622 |
| Ludovicus Ludovisi | 1622-1631 |
| Antonius Barberini (iunior) | 1631-1671 |
| Antonius Barberini (senior) ad interim | 1632-1646 |

5. Secretarii S. C. de Prop. Fide

| | |
|-------------------|-----------|
| Franciscus Ingoli | 1622-1649 |
|-------------------|-----------|

6. Metropolitae Kiovenses catholici

| | |
|---------------------|-----------|
| Hypatius Potij | 1600-1613 |
| Josephus IV Rutskyj | 1614-1637 |
| Raphael Korsak | 1637-1640 |

7. Metropolitae Kiovenses non uniti

| | |
|------------------|-----------|
| Hiob Boreckyj | 1620-1631 |
| Isaac Boryskevyc | 1633 |
| Petrus Mohyla | 1633-1647 |

8. Archiepiscopi Polocenses

| | |
|-----------------------------|-----------|
| Gregorius Chrebtovyč | 1594-1600 |
| Gedeon Brolnyckyj | 1601-1618 |
| Josaphat Kuncevyč (sanctus) | 1618-1623 |
| Antonius Sielava | 1624-1655 |

9. Archiepiscopi Smolenscenses

| | |
|------------|-----------|
| Leo Kreuza | 1625-1639 |
|------------|-----------|

**10. Protothronii Volodimirienses
et Berestenses**

| | |
|------------------------|-----------|
| Hypatius Potij | 1591-1613 |
| Joachimus Morochovskij | 1613-1631 |
| Josephus Bakoveckyj | 1632-1650 |

**11. Episcopi Luceorienses
et Ostrogienses**

| | |
|----------------------------|-----------|
| Cyrillus Terleckyj | 1607 |
| Hieremias Počapovskyj | 1621-1636 |
| Dein non unita usque ad... | 1702 |

12. Episcopi Pinscenses-Turovienses

| | |
|----------------------|-----------|
| Leontius Pelcyckyj | 1595 |
| Jonas Hohol | 1596-1602 |
| Paisius Sachovskij | 1602-1626 |
| Gregorius Mychalovyč | 1626-1632 |
| Raphael Korsak | 1631-1637 |
| Pachomius Oranskyj | 1637-1653 |

13. Episcopi Chelmenses-Belzenses

| | |
|------------------------|-----------|
| Dionysius Zbirujskyj | 1604 |
| Arsenius Andrzejovskyj | 1605-1619 |
| Athanasius Pakosta | 1619-1625 |
| Theodorus Meleško | 1626 |
| Methodius Terleckyj | 1629-1649 |

14. Episcopi Peremyslien.-Samborien.

| | |
|----------------------|-----------|
| Athanasius Krupeckyj | 1610-1652 |
|----------------------|-----------|

15. Episcopi Peremyslienses non uniti

| | |
|----------------------|-----------|
| Michael Kopystenskyj | 1609 |
| Joannes Chlopeckyj | 1610-1611 |
| Isaac Kopynskyj | 1620-1632 |
| Joannes Popel | 1633 |
| Sylvester Hulevyc | 1634-1645 |

**16. Episcopi Leopolienses -
Cameneccenses non uniti**

| | |
|------------------------|-----------|
| Gedeon Balaban | 1607 |
| Eustachius Tysarovskyj | 1607-1641 |

17. Episcopi Munkacsientes

| | |
|--------------------|-----------|
| Basilius Tarasovyč | 1634-1648 |
|--------------------|-----------|

**18. Protoarchimandritae Ordinis
Basiliani**

| | |
|---------------------------------|-----------|
| Rutskyj Josephus (Metrop.) | 1617-1623 |
| Kreua Leo | 1623-1626 |
| Korsak Raphael (Ep. et Metrop.) | 1626-1640 |

19. Procuratores Generales in Urbe

| | |
|----------------------------|-----------|
| Nicolaus Nowak | 1626-1633 |
| Raphael Korsak (Ep.pus) | 1633-1635 |
| Ph. Borovyk et J. Isakovyc | 1636-1640 |

20. Capitula Generalia Basiliatorum

| | |
|------------------|------|
| Novogrodovicense | 1617 |
| Lavryšivense I | 1621 |
| Rutaense | 1623 |
| Lavryšivense II | 1626 |
| Zyrovicense I | 1629 |
| Vilnense I | 1636 |

**21. Archiepiscopi Gnesnenses -
Primates Poloniae**

| | |
|-------------------------------|-----------|
| Stanislaus Karnkowski | 1603 |
| Joannes Tarnowski | 1603-1606 |
| Bernardus Maciejowski (card.) | 1606-1607 |
| Albertus Baranowski | 1608-1616 |
| Laurentius Gembicki | 1616-1624 |
| Henricus Firlej | 1624-1626 |
| Joannes Wezyk | 1626-1638 |

22. Archiepiscopi Leopolienses latini

| | |
|----------------------------|-----------|
| Demetrius Solikowski | 1582-1603 |
| Joannes Zamojski | 1603-1614 |
| Joannes Andreas Próchnicki | 1614-1633 |
| Stanislaus Grochowski | 1633-1645 |

23. Episcopi Cracovienses

| | |
|-----------------------|-----------|
| Bernardus Maciejowski | 1600-1608 |
| Petrus Tylicki | 1608-1616 |
| Martinus Szyszkowski | 1616-1630 |
| Andreas Lipski | 1630-1631 |
| Joannes Albertus Waza | 1631-1634 |
| Jacobus Zadzik | 1634-1642 |

24. Episcopi Peremyslien. latini

| | |
|--------------------------|-----------|
| Mathias Pstrokonki | 1601-1608 |
| Sigismundus Rosciszewski | 1609-1611 |
| Stanislaus Sieciński | 1611-1619 |
| Joannes Wezyk | 1620-1623 |
| Achacius Grochocki | 1623-1628 |
| Adamus Nowodworski | 1629-1632 |
| Henricus Firlej | 1633-1635 |
| Andreas Szotolrski | 1635-1637 |
| Petrus Gembicki | 1637-1642 |

25. Episcopi Vilnenses.

| | |
|----------------------|-----------|
| Benedictus Wojna | 1600-1615 |
| Eustachius Wollowicz | 1615-1630 |
| Abrahamus Wojna | 1630-1649 |

26. Episcopi Chelmenses latini

| | |
|-----------------------|-----------|
| Georgius Zamojski | 1620 |
| Matthias Lubienski | 1620-1626 |
| Remigius Koniecpolski | 1626-1640 |

27. Episcopi Luceorienses latini

| | |
|-----------------------|-----------|
| Stanislaus Gomolinski | 1600-1604 |
| Martinus Szyszkowski | 1604-1607 |
| Paulus Wollowicz | 1607-1608 |
| Henricus Firlej | 1616-1617 |
| Andreas Lipski | 1618-1622 |
| Stanislaus Lubienski | 1624-1627 |
| Achacius Grochocki | 1628-1633 |
| Boguslaus Radoszewski | 1633-1638 |

28. Imperatores S. Romani Imperii

| | |
|-----------------|-----------|
| Rudolphus II | 1576-1612 |
| Matthias | 1612-1619 |
| Ferdinandus II | 1619-1637 |
| Ferdinandus III | 1637-1657 |

29. Czar Moscoviae

| | |
|--------------------------|-----------|
| Boris Godunov | 1598-1605 |
| Theodorus | 1605 |
| Falsi Demetrii et luctae | 1605-1613 |
| Michael Romanov | 1613-1645 |

**30. Reges Poloniae et
Magni Ducees Lithuaniae**

| | |
|----------------------|-----------|
| Sigismundus III Waza | 1587-1632 |
| Vladislaus IV Waza | 1632-1648 |

31. Ducees (Hetman) Cosacorum

| | |
|------------------------------|-----------|
| Petrus Sahajdačnyj Konaševyc | 1613-1622 |
| Michael Dorošenko | 1622-1628 |
| Gregorius Cornyj | 1628 |
| Tarasius Fedorovyč | 1629-1630 |
| Joannes Sulyma | 1633-1635 |
| Paulus But | 1637-1638 |

32. Cancellarii Regni Poloniae

| | |
|------------------------|-----------|
| Joannes Zamojski | 1605 |
| Matthias Pstrokowski | 1605-1609 |
| Laurentius Gembicki | 1609-1613 |
| Felix Kryski | 1613-1618 |
| Stanislaus Zolkiewski | 1618-1620 |
| Andreas Lipski | 1620-1624 |
| Venceslaus Leszczynski | 1625-1628 |
| Jacobus Zadzik | 1629-1635 |
| Thomas Zamoyski | 1635-1638 |

33. Cancellarii Lithuaniae

| | |
|-------------------------------|-----------|
| Leo Sapieha | 1588-1623 |
| Stanislaus Albertus Radziwill | 1623-1656 |

INDEX GENERALIS DOCUMENTORUM

| | | |
|--|-----------|------|
| <i>Dedicatio</i> | | V |
| <i>Praefatio</i> | | VII |
| <i>Introductio</i> | | IX |
| 1. Notae biographicae Josephi Velamin Rutskyj | | IX |
| 2. Testimonia de vita et activitate Josephi V. Rutskyj | | XII |
| 3. Notae ad bibliographiam Josephi V. Rutskyj | | XXX |
| <i>Crux pectoralis J. V. Rutskyj (imago)</i> | | XXXI |

EPISTOLAE JOSEPHI VELAMIN RUTSKYJ

| | | |
|-------------------------------|-----------|---|
| Imago Josephi Velamin Rutskyj | | 3 |
| Documenta biographica romana | | 5 |

EPISTOLAE (1603-1637)

| | | | |
|--------------------|--|-----------|----|
| 1 - 1603, 15. II | — Nicolao Radziwill | | 21 |
| 2 - 1606-1613 | — Programma Unionis ecclesiasticae | | 23 |
| 3 - 1613, 9. VIII | — Professio fidei in provisione Metropoliae | | 27 |
| 4 - 1616 | — Cardinali Burghesio | | 28 |
| 5 - 1616, 21. XII | — Nuntio Varsaviensi | | 29 |
| 6 - 1617, 19. IX | — Paulo PP. V | | 30 |
| 7 - 1617, 28. IX | — Cardinali Burghesio | | 31 |
| 8 - 1617 | — Regulac Communes Ordinis Basiliani | | 33 |
| 9 - 1617-1637 | — Massime spirituali Monialibus | | 49 |
| 10 - 1617, X | — Anastasio Sielava, Alumno | | 51 |
| 11 - 1618, 3. III | — Depositio iurata in favorem St. Kiszka | | 52 |
| 12 - 1618, 2. X | — Cardinali Burghesio | | 57 |
| 13 - 1619, 2. III | — Depositiones iuratae in favorem B. Radoszewski | | 58 |
| 14 - 1619, 7. IV | — Cardinali Burghesio | | 60 |
| 15 - 1619, 7 IV | — Cardinali Burghesio | | 62 |
| 16 - 1619, 7. IV | — Cardinali Burghesio | | 63 |
| 17 - 1619, 11. X | — Constitutio Synodi Novogrodecensis | | 63 |
| 18 - 1619, 12. X | — Cardinali Burghesio | | 64 |
| 19 - 1619, 24. X | — Cardinali Burghesio | | 66 |
| 20 - 1620, 17. XII | — Cardinali Burghesio | | 67 |
| 21 - 1621, 1. IX | — Gregorio PP. XV | | 68 |
| 22 - 1621, 1. IX | — Ludovico Ludovisi | | 69 |
| 23 - 1621, 10. IX | — Gregorio PP. XV | | 70 |
| 24 - 1621, 10. IX | — Cardinali Ludovisi | | 71 |
| 25 - 1622, 25. VI | — Cardinali Ludovisi | | 71 |
| 26 - 1622, 25. VI | — P. Georgio Maier, S. J. | | 72 |
| 27 - 1622, 28. VI | — P. Adriano Podbereskyj, OSBM | | 74 |

| | | |
|--------------------|--|-----|
| 28 - 1622, 28. VI | — Cardinali, ut videtur, Ludovisi | 75 |
| 29 - 1622, 16. X | — Cardinali Ludovisi | 77 |
| 30 - 1622, 3. XI | — Alumnis Romanis Collegii Graecorum | 78 |
| 31 - 1623, 15. II | — Rectori Collegii Graecorum | 81 |
| 32 - 1623, 16. II | — Cardinali Mapheo Barberini | 82 |
| 33 - 1623, 26. II | — Cardinali Ludovisi | 83 |
| 34 - 1623, 29. II | — Alumnis Romanis | 84 |
| 35 - 1623, 8. III | — Alumnis Romanis | 89 |
| 36 - 1623, 8. VI | — Alumnis Romanis | 90 |
| 37 - 1623, 17. X | — Urbano PP. VIII | 91 |
| 38 - 1623, 17. X | — Cardinali Ludovisi | 92 |
| 39 - 1623, 17. X | — Alumnis Romanis | 93 |
| 40 - 1623, 17. X | — Rectori Collegii Graecorum | 96 |
| 41 - 1623, 23. XII | — Urbano PP. VIII | 97 |
| 42 - 1624, 27. I | — Cardinali Bandini | 98 |
| 43 - 1624, 30. I | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 99 |
| 44 - 1624, 11. II | — Cardinali Ludovisi | 100 |
| 45 - 1624, 6. V | — Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide | 101 |
| 46 - 1624, 6. V | — Alumnis Romanis | 103 |
| 47 - 1624, 7. V | — Alumnis Romanis | 104 |
| 48 - 1624, 19. VI | — Urbano PP. VIII | 105 |
| 49 - 1624, 19. VI | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 106 |
| 50 - 1624, 19. VI | — Cardinali Zolleran | 106 |
| 51 - 1624, 19. VI | — Cardinali Bandini | 107 |
| 52 - 1624, 26. VI | — Antonio Barberini, seniori | 108 |
| 53 - 1624, 26. VI | — Cardinali Francisco Barberini | 109 |
| 54 - 1624, 26. VI | — Cardinali Cosmo de Torres | 110 |
| 55 - 1624, 26. VI | — Secretario S. C. de Prop. Fide | 110 |
| 56 - 1624, 26. VI | — Confessori Urbani PP. VIII | 111 |
| 57 - 1624, 26. VI | — Cardinali Francisco Boncompagni | 111 |
| 58 - 1624, 1. VII | — Domino Monti, Iudici S. C. de Prop. Fide | 112 |
| 59 - 1624, 16. IX | — Alumnis Romanis | 116 |
| 60 - 1624, 1. X | — Nuntio Varsaviensi | 118 |
| 61 - 1624 | — De subsidiis pro Seminario Rutheno | 120 |
| 62 - 1624 | — Alumnis Romanis | 122 |
| 63 - 1624 | — Cardinali Bandini | 125 |
| 64 - 1624 | — Nuntio Poloniae | 127 |
| 65 - 1624 | — Supplementum ad instructionem | 129 |
| 66 - 1624 | — Amplissima relatio de impedimentis Unionis | 130 |
| 67 - 1624 | — Relatio de vita et martyrio S. Josaphat | 161 |
| 68 - 1625, 30. IV | — Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide | 169 |
| 69 - 1625, 19. VII | — Praefecto S. C. de Prop. Fide | 170 |
| 70 - 1625, 2. IX | — Eadem | 171 |
| 71 - 1625, 3. IX | — Cardinali cuidam | 172 |
| 72 - 1625, 9. IX | — Nuntio Varsaviensi | 174 |
| 73 - 1625, 10. XII | — Cardinali Ludovisi | 175 |
| 74 - 1625, 10. XII | — Francisco Ingoli, Secretario | 176 |
| 75 - 1625, 10. XII | — Urbano PP. VIII | 177 |
| 76 - 1626, 30. I | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 177 |
| 77 - 1626, 15. V | — Cardinali Ludovisi | 178 |
| 78 - 1626, 15. VI | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 178 |
| 79 - 1626, 16. VI | — Francisco Ingoli, Secretario | 179 |
| 80 - 1626, 16. VI | — Responsa ad obiectiones Latinorum | 180 |
| 81 - 1626, 17. VI | — Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide | 183 |
| 82 - 1626, 6. IX | — Decretum Synodi Kobryensis | 184 |
| 83 - 1626, 13. IX | — Urbano PP. VIII | 188 |
| 84 - 1626, 13. IX | — Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide | 189 |
| 85 - 1626, 13. IX | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 190 |

| | | |
|----------------------|--|-----|
| 86 - 1627, 30. I | — Francisco Ingoli, Secretario | 190 |
| 87 - 1627, 12. V | — Eidem | 192 |
| 88 - 1627, 12. V | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 193 |
| 89 - 1627, 10. VII | — Eisdem Cardinalibus | 194 |
| 90 - 1627, 10. VII | — Urbano PP. VIII | 195 |
| 91 - 1627, 10. VII | — Francisco Ingoli, Secretario | 195 |
| 92 - 1627, 18. VII | — Cardinaibus S. C. de Prop. Fide | 196 |
| 93 - 1627, 20. VII | — Eisdem Cardinalibus | 197 |
| 94 - 1627, 10. IX | — Nuntio Varsaviensi | 198 |
| 95 - 1627, 12. IX | — Protectori Collegii Graecorum | 198 |
| 96 - 1627, 29. XII | — Nuntio Varsaviensi | 199 |
| 97 - 1628, 28. I | — Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide | 200 |
| 98 - 1628, 30. I | — Urbano PP. VIII | 201 |
| 99 - 1628, 15. IV | — P. Nicoao Novak, OSBM | 202 |
| 100 - 1628, 12. V | — Nuntio Varsaviensi | 203 |
| 101 - 1628, 28. VI | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 204 |
| 102 - 1628, 28. VI | — Cardinali Bandini | 205 |
| 103 - 1628, 28. VI | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 206 |
| 104 - 1628, 28. VI | — Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide | 208 |
| 105 - 1628, 5. VIII | — Nuntio Varsaviensi | 209 |
| 106 - 1628, 30. VIII | — Urbano PP. VIII | 210 |
| 107 - 1628, 30. VIII | — Cardinali Francisco Barberini | 210 |
| 108 - 1628, 5. VIII | — Attestatio de vita S. Josaphat | 211 |
| 109 - 1629, 9. I | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 223 |
| 110 - 1629 | — Visitatio per Volhiniam | 226 |
| 111 - 1629, 25. III | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 229 |
| 112 - 1629, 5. VI | — Nuntio Varsaviensi | 230 |
| 113 - 1629, 27. VII | — Nuntio Varsaviensi | 231 |
| 114 - 1629 | — Eidem | 233 |
| 115 - 1630, 18. II | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 237 |
| 116 - 1630, 3. III | — Cardinali Barberino | 238 |
| 117 - 1630, VIII | — Tragoedia Stepanensis | 239 |
| 118 - 1630, VIII | — Peregrinatio Kiovensis | 241 |
| 119 - 1630, 1. XII | — Cardinaibus S. C. de Prop. Fide | 244 |
| 120 - 1630, 1. XII | — Francisco Ingoli, Secretario | 245 |
| 121 - 1630, 1. XII | — Eidem | 247 |
| 122 - 1630 | — Instrumentum erectionis monasterii | 247 |
| 123 - 1632, 31. I | — Concordia de administratione Volodimirien | 249 |
| 124 - 1632, 1. II | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 252 |
| 125 - 1632, 1. II | — Eisdem | 253 |
| 126 - 1632, 1. II | — Eisdem | 254 |
| 127 - 1632, 1. II | — Eisdem | 255 |
| 128 - 1632, 1. II | — Eisdem | 256 |
| 129 - 1632, 1. II | — Eisdem | 257 |
| 130 - 1632, 3. III | — Francisco Ingoli, Secretario | 257 |
| 131 - 1632, 5. VII | — Eidem | 259 |
| 132 - 1632, 18. VII | — Eidem | 260 |
| 133 - 1632, 20. VII | — Urbano PP. VIII | 262 |
| 134 - 1632, 20. VII | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 263 |
| 135 - 1632, 8. XI | — Protestatio contra «Puncta Pacificationis» | 264 |
| 136 - 1632 | — P. Nicoao Novak, Procuratori | 265 |
| 137 - 1632 | — Informatio de «Articulis» | 266 |
| 138 - 1633, 1. III | — P. Mutio Vitelleschi, S. J. | 269 |
| 139 - 1633, 1. III | — Cardinali Francisco Barberini | 270 |
| 140 - 1633, 1. III | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 270 |
| 141 - 1633, 1. III | — Francisco Ingoli, Secretario | 271 |
| 142 - 1633, III-IV | — Informatio pro R. Korsak, Romam | 272 |
| 143 - 1633, III-IV | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 277 |

| | | |
|---|--|-----|
| 144 - 1633, III-IV | — Urbano PP. VIII | 278 |
| 145 - 1633, III-IV | — Praefecto S. C. de Prop. Fide | 279 |
| 146 - 1633, III-IV | — Eidem | 279 |
| 147 - 1633, III-IV | — Cardinali Cosmo de Torres | 280 |
| 148 - 1633, 30. VII | — Francisco Ingoli, Secretario | 281 |
| 149 - 1633, 1. VIII | — P. Mutio Vitelleschi, S. J. | 282 |
| 150 - 1633, 1. VIII | — Urbano PP. VIII | 282 |
| 151 - 1633, 1. VIII | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 283 |
| 152 - 1633, 1. VIII | — Cardinali Antonio Barberini, Praefecto | 284 |
| 153 - 1633, 1. VIII | — Cardinali Antonio Barberini, seniori | 284 |
| 154 - 1633, 1. VIII | — Francisco Ingoli, Secretario | 285 |
| 155 - 1633, 1. VIII | — Cardinali Protectori Graeciae | 285 |
| 156 - 1633, 1. VIII | — Francisco Ingoli, Secretario | 286 |
| 157 - 1633, 1. VIII | — Eidem | 287 |
| 158 - 1633, 1. VIII | — Francisco Ingoli, Secretario | 281 |
| 159 - 1633, 1. X | — Raphaëli Korsak, Ep. Pinseensi | 288 |
| 160 - 1633, 25. XI | — Eidem | 289 |
| 161 - 1633 | — Compendium relationis | 290 |
| 162 - 1633 | — Attestatio de miraculo Kiovieni | 292 |
| 163 - 1634, 1. II | — Cardinali Francisco Barberini | 293 |
| 164 - 1634, 5. II | — Raphaëli Korsak, Ep. Pinseensi | 294 |
| 165 - 1634, 12. II | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 298 |
| 166 - 1634, 6. V | — Francisco Ingoli, Secretario | 299 |
| 167 - 1634, 6. V | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 300 |
| 168 - 1634, 2. VIII | — R. Korsak, Ep. Pinseensi | 301 |
| 169 - 1634, 2. VIII | — Eidem | 305 |
| 170 - 1634 | — Relatio de motibus Schismaticorum | 307 |
| 171 - 1635, 10. I | — Relatio de rebus Unionis | 309 |
| 172 - 1635, 14. II | — R. Korsak, Ep. Pinseensi | 310 |
| 173 - 1635, 27. II | — Depositio iurata in favorem Al. Sokolowski | 311 |
| 174 - 1635, 1. III | — R. Korsak, Ep. Pinseensi | 316 |
| 175 - 1635, 18. III | — Eidem | 318 |
| 176 - 1635, 1. VIII | — Instrumentum unionis Longini Brankovic | 321 |
| 177 - 1635, 2. VIII | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 324 |
| 178 - 1635, 31. VIII | — Eisdem | 324 |
| 179 - 1635 | — Francisco Ingoli, Secretario | 325 |
| 180 - 1635 | — De morte Hieremiae Barbarigo, Archiep. | 328 |
| 181 - 1635 | — Relatio de rebus Rascianorum | 329 |
| 182 - 1635 | — R. Korsak, Ep. Pinseensi | 330 |
| 183 - 1635 | — Cardinali Pasman | 331 |
| 184 - 1635 | — Episcopo Bosnensi | 332 |
| 185 - 1635 | — Primi Hungariae | 332 |
| 186 - 1636, 20. VIII | — Francisco Ingoli, Secretario | 333 |
| 187 - 1636 | — Regulae Particulares Basilianorum | 334 |
| 188 - 1636 | — Regulae Episcoporum | 369 |
| 189 - 1636, 7. XI | — Francisco Ingoli, Secretario | 380 |
| 190 - 1636, 7. XI | — Cardinalibus S. C. de Prop. Fide | 381 |
| 191 - 1637, 28. I | — Ultima dispositio Metropolitae | 383 |
| 192 - 1637, 28. I | — Professio fidei et testamentum | 384 |
| Sigillum Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj | | 386 |

INDICES

| | | |
|---|-----------|-----|
| I. Index nominum et rerum (R. P. Hlib Kinach OSBM) | | 389 |
| II. Elenchi Pontificum, Regum, Nuntiorum, Metropolitarum, Episcoporum (1600-1637) | | |
| III. Index generalis documentorum | | 407 |

“ANALECTA ORDINIS S. BASILII M.,

Ex Sectione tertia “DOCUMENTA... ex ARCHIVIS ROMANIS ,”

Monumenta Bio-Hagiographica

S. Josaphat • Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et Canonizationis,

vol. I: 1623-1628, Romae 1952;

vol. II: 1628-1637, Romae 1955.

Documenta Pontificum Romanorum

Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia,

vol. I: 1075-1700 (pp. 708), Romae 1953;

vol. II: 1700-1953 (pp. 680), Romae 1954.

Acta S. Congregationum

Acta S. C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusiae spectantia,

vol. I: 1622-1667, Romae 1953;

vol. II: 1667-1710, Romae 1954;

vol. III: 1710-1740, Romae 1954;

vol. IV: 1740-1769, Romae 1955;

vol. V: 1769-1862, Romae 1955.

Litterae S. C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusiae spectantes,

vol. I: 1622-1670, Romae 1954;

vol. II: 1670-1710, Romae 1955;

vol. III: 1710-1730, Romae 1956.

Congregationes Particulares Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusiae spectantes,

vol. I: 1622-1728, Romae 1956;

vol. II: 1729-1862, Romae 1957.

Epistolae Metropolitarum et Episcoporum

Epistolae Josephi Velamin Rutskyj (1613-1637), Romae 1956.

Epistolae R. Korsak, A. Sielava, G. Kolenda, (1637-1674), Romae 1956.

Epistolae Cypriani Zochovskyyj, Leonis Zalenskyj, Georgii Vynnyckyj (1674-1713), Romae 1957 (sub prelo).

Litterae Nuntiorum Apostolicorum (editio imminet)

Diplomata Imperatorum, Regum, Principum (parantur)